



Baccanelli
De Consensu Medicor
1556.










A. XXIX. Bac

597/A/1



IOANNIS BACCA-NELII MEDICI REGIENSIS, DE CONSENSU MEDICORUM, IN CURANDIS MORBIS, Libri quatuor.

Eiuſdem de conſenſu Medicorum in cognoſcendis ſimplicibus Liber.

& non reſpexit

Beatus uir cuius eſt dominus ſpes eius



in uanitates & inſanias falſas.

VENETIIS IN VICO SANCTAE Mariæ Formoſæ ad ſignum Spei.

M D LVI.

IOANNES BACCANELLIVS
AD LECTORES.



EAS *lucubrationes, quas prælo excudendas olim tradideram, adeo lectores candidi Typographus deturpauit, ut uix ſcirem tam fœdas ac mutilas, cum ad me redirent, agnoſcere. Ego uero tametſi rudis primum, non adeo tamen obtuſi ſum pectoris, ut quæ in eis ſuperſunt ac deſint non aperte intelligam, nec me adhuc decipit, quæ pleroſque infatuat* φιλαυτία, *ut pudenter ignorem, minus ſatis fuiſſe eas in tenebris delituiſſe, quàm inſcitia tam ignaui in publicum prodeuntes damnari, Quare nunc ne chorœbo ſiue licio qui* χρυσεια χαλκείον *commutabat, ſtultior uidear. Rurſus ut candidæ ſimplices & ſine labe ad uos redeant, denuo eas reſarcire coactus ſum, Pleraque etiam his adneximus, ut ſi quid frugi uobis attulerint, non rugoſa fronte tandem legantur.*

Valete.

IOANNES BACCANELLIVS EXCELLENTISSIMO MEDICO

Ioanni ſcutellario ex ordine equeſtri dignißimo ac uiro undecunque doctißimo.

S. P. D.

*



ERTVM *eſt mi doctißime Ioannes quòd olim elegeram, quædam medicorum dogmata, ad medendi normam ſatis(meo iudicio) oportuna, tum ut inde labili memoriæ quandoque alijs in rebus occupatæ, ſuccurrerem, cum etiam illis ſatisfacerem, qui non niſi authoritatibus etiam ſi mille rationes probatißimæ adducerentur, acquieſcere nolunt. Certe ut ingenuæ fatear. Quod ex mea inuentione non poteram, ut græce loquar* συλλεξάμενος γὰρ πολλὰς τῶν παλαιῶν ἐκείνων βίβλους ἀνδρῶν, ἐν μέσῳ τούτων ἐμαυτῶν ἐμαυσὸν ἵδρυσα, *ac flores uarios ueluti ex pratis relegēs ita effeci, ut quod prima nauigatione non poteram,* πρὸς τὸν δεύτερον ἀπείδον *me contulerim ac expediuerim. Sed opus adeo utile ac gratum eſſe non poteſt, ut tuo excellenti ingenio poßit ſatisfacere, Quanquam(ni fallor) nihil in eo dictum uel excogitatum eſt, quod authoritate non comprobetur, quod planum non ſit, quod non remedijs ſulcitum, quod breuitatem etiam non amplectatur: in quo multa uno intuitu uiſuntur ac comprobantur, quæ ſicco pede(ut aiunt) forte intacta dimitterentur. Non au*

derem tamen (quod expostulas) ut formis excussum istud opus in publicum prodiret, Ne mihi nouo homini & uix intra proprios lares cognito, id mihi uitij daretur quod scilicet plura uoluerim amplecti & exprimere, quæ semidocto cuiuis homini nota ac uulgata sunt. Et ita trita ac explosa ut uix de illis mentio fieri debeat. Vrget tamen me tua quotidie humanitas & potißimis præcipue rationibus adhortatur, ut illud iam iam in lucem pariam, & alios iuuenes huiusce mei laboris participes efficiam. Certe uereor ego, Si tuæ uoluntati obtemperare uoluero, Ne uelut inter olores anser primum obstrepere uidear. Et quum plurimi nominis apud te sim. Ne deinceps de me id fiat, ut est apud Theocritum quòd τόσσον ἔχεις λάθας ὅσσον ποκα θησέα φαντὶ ἐν δία λαθῆμεν ἐυπλοκάμον ἀριάδνας. Nosti enim (ita uaria sunt hominum ingenia.) Quod uni placere solet multis non placere posse, Nec te præterit, quòd in diuino illo Platone confusionem criminantur, in Aristotele tenebrosam obscuritatem, in Plinio turbulentam quandam congeriem, In Paulo Aegyneta miram breuitatem, In Auicenna etiam nuper emendato quandam nominum barbariem, In Galeno nimiam prolixitatem & ad praxim non desyderatum ordinem, In aliis confusionem potius quàm compositionem, Qui dum latini uideri non possunt, interdum ita loquuntur, ut uix a paucis quid uelint intelligantur, Quid dicam de Hippocrate? Qui modo laudatur, modo à Galeno damnatur ac reprehenditur, Hunc deinde Auerrois pluribus in locis, alioqui doctißimum, etiam redarguit. Postremo Thessalus omnium placita Medico-

rum renuit, ac confutat, adeo, ut nihil ſit in ſcientijs ab omni parte beatum, Quare ſi uera hæc tibi eſſe uiden tur, exiſtimare poteris, puxilla hæc mea, quæ nec no= mine digna ſunt, Si in lucem exierint, quo tandem ap pullerint, ac peruenerint, ut τιμιώτερα, ſicuti dici ſolet, πολὴ τῶν γραφησομένον τὰ χάρτια εισι. Verum ſi his rationi bus acquieſcere nolueris, ecce mitto tibi librum, ut tuo arbitratu eo utaris ac abutaris, Expunge ac reſeca, Quod eſt ſuperfluum, Quod uero deficit adiunge, Fac, ut lubet, modo id intelligas animi noſtri pignus apud te eſſe, & tenax noſtri amoris intimi quoddam uincu= lum, Vale & ut facis me ama, Ex ædibus noſtris. 5. Ca lendas Maij, Anno 1550.

IOANNES BACCANELLIVS STVDIOSIS IVVENIBVS REGIENSIBVS
χαίρειν.

*



SAEPENVMERO ac diu cogitaui doctißimi iuuenes, quo pacto hanc mei animi in uos obseruantiam, qua semper eruditißimos quosque homines amplecti soleo, possem attestari ac palàm demonstrare, sed hucusque nunquam mihi datum est, Vt aliqua mei ingenij industria, uos insigni encomio, aut aliquo magno munere ornare potuerim. Quum nec ornatissima sermonis integritas, neque rerum locupletißima suppellectilis mihi adfuerit, Sed alij ĩgenio doctrina, & rebus longe inferior, nil tandem præstare posse cognoscebam, quàm meram & insignem mei ignorantiam, In qua cum diu immersus sim, nec à tam innolucri scirpo me absoluere sciam, Id certe agere tentaui, ut quod de proprio & peculiari non possum, alieno ære soluere procurauerim: Extãt enim apud me quædam ex Galeno & Hipocrate alijsque doctißimis Medicis excerpta dogmata mirum in modum ad πρᾶξιν facientia, atque in ordinem redacta. Quæ & si uobis condigna nec fœcunda munera esse uideantur, Ne tamen meæ in uos obseruantiæ desertor uidear, Vobis dicare, donare, & consecrare constitui, Id existimans quod si alicui uestrum non pla-

cuerint, Saltem fore aliquem inter uos, Qui meum hunc animum, ne dicam laborem, interdum laudauerit ac contra æmulos ſiquid ſecus ac ſcripſi, ſenſerint, uel publice blaterare uoluerint ualidiſsimis rationibus propugnauerit. Accipite igitur hæc qualiacunque ſint hilari animo, Et ueſtro iure fruimini. Scio enim quòd ſi quid eritis θηρώμενοι παρ αὐτῶν *non niſi gratiſsima eſſe poterunt. Vos interim illius apophthegmatis ne obliuiſcimini, quòd* ὡς ἡ μὲν ὅρασις ἀπὸ του περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων.

Valete.

Dies

FINIS.

AVTHORES QVORVM PRAECIPVE Authoritates in hoc opere citantur sunt infrascripti uidelicet

Hippocrates
Plato
Aristoteles
Galenus
Aetius
Paulus œgyneta
Alexander tral.
Cornelius Celsus
Oribasius
Dioscorides
Teophrastus
Theophilus
Plinius
Phylaretus
Platearius
Auicennas
Auerois
Razes
Serapio
Haly abbas
Azarauius
Nicolus florentinus
Conciliator
Mesues
Gordonius
Michael sauonarola
Marcus catinarius
Arculanus
Guielnus Placentinus
Ioannes Manardus

Epigrama eiusdem Authoris Ad lectorem.

Scripsimus in numeros Medicorum in codice sensus
Lusimus, Hæc tibi sint seria dicta loco
Vale.

IOANNIS BACCANELLI MEDICI REGIENSIS,

DE CONSENSV MEDICORVM In curandis morbis.

Lib. primus.

Quid sit Medicina.



EDICINA est scientia corporis humani sanitatem reficiens uel conseruans; uel, Medicina est adiectio & ablatio, uel Medicina est scientia sanitatis conseruatrix morborumq; repultrix, uel, Medicina est quæ sanis uictus rationem præscribit & ægrotos curat. Quæ definitiones ueræ non sunt medicinæ. Non.n. hæc ipsa efficit, Sed ex illis quæ efficit, hæc proueniunt, idq; non semper. Quare medicina erit scientia salubrium insalubrium & neutrorum.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Galenus und. Meth. cap. 12. Medicina appositio est & detractio, deficientium quidem appositio redundantium detractio; Et hæc intelliguntur de 1. 2. & 3. descriptione. De 4. loquitur Gal. lib. finitionum med. in principio; Sed quod hæ non sint ueræ definitiones ex sequentibus locis mostratur: Gal. in lib. de sectis ad eos qui introducuntur. Propositum artis medice est sanitas finis uero eius adeptio, quibus autem quis absentem sanitatem recuperet uel præsentem conseruet, medicis cognoscere est necessarium. Porro quæ absentem sanitatem restituunt, curationes & auxilia uocantur, quæ præsentem, conseruant salubris uictus est ratio. Quod si ita est, medicina igitur non erit conseruans uel reficiens sed salubrium in

salubrium & neutrorum scientia. Quod probatur ex Gal. p art. med. cap. 2. Auic. medicina est scientia qua humani corporis dispositiones noscuntur ex parte qua sanantur uel ab ea remouentur, ut habita sanitas conseruetur & amissa recuperetur. Si scientia est qua noscuntur humani corporis dispositiones. Id igitur non erit, Quod adijcit uel aufert, quod reficit uel conseruat, nec quod ægros ad sanitatem perducit.

Quot sint partes Medicinæ.

Partes medicinæ sunt quinque. Prima est φυσιολογικη.i. rerum naturæ contemplatio. Secunda est αιτιολογικη και παθολογικη.i. causarum et affectuum consideratio. Tertia est quam υγιεινον sanitatis tuende ratio. Quarta est σημεωτικη .i. signorum osseruatio. Quinta est θεραπευτικη.i. medendi modus Physiologica naturam hominis consyderat & elementa quibus componitur & generationem eius, & partes corporis tam intrinsecas quam extrinsecas: αιτιολογικη unius cuiusque morbi causas & effectus inquirit. υγιεινη sanitatem tuetur præcauendo ne corpora in morbos incidant, & ubi inciderint ad sanitatem reducit. σημειωτικη signorum notitiã. Præteritorum cognitionem, Præsentiam inspectionem & futurorum presagia nobis declarat. θεραπευτικη tres in partes diuisa est, una que uictu curat, altera quæ medicamentis, tertia quæ manum admouet.

Loci consentientes de naturæ contemplatione.

Gal. lib. de constit. art. med. cap. 13. φυσιολογικη non est inter minimas naturalis contẽplationis partes recesenda, imo opus erit illum in ea esse probe exercitatum. Et primo de elemen. Naturalis scientia corpora quæ generantur ac intereunt, quæque prorsus sunt exposita transmutationi contemplatur. Quibus deinde ablatis pariter & medicina tollitur. Primum quidem ob id, q ea sit quasi generationis & interitus mi

nistra, & meth. tertio cap. quarto. Nihil posse medicũ inquit de ulla similiarium partium agitare sine naturali scientia. Et tertio meth. cap. 7. in eius modi sermonis nostri de cursu perspicuum planè, sit tum ægri nostram esse considerandam tum cuius q; hominis esse propriam curationẽ &c. Et in lib. quod optimus sit medicus & phy. hæc ars docet corporis nosse naturam tum eam quæ ex primis constat elementis tumq; constat ex secundis: De cæteris medicinæ partibus deinceps suis locis loquemur.

Quid sit Natura.

Natura phylosophice sumpta est, quæ deorum hominum syderum plurimorumque corporum essentiam potentiam uires que complectitur.

Natura humana est temperies uel quædam facultas qua animal regitur.

Loci consentientes de Natura philos.

Plato loquens de natura deorum. uim quandam esse dixit rationis atq; ordinis participem, cuius solertiam inquit Cicero de natura deorum. Nulla ars nulla manus nemo opifex consequi potest imitando: Gal. lib. finit. med. de mente platonis, natura est uis quæ ex seipsa mouetur, auctor formationis generationis & perfectionis. Aris. sec. physic. Natura est principium motus & quietis in quo est primo & per se.

Loci consentientes de natura humana.

Gal. tert. de temper. & secun. aphor. com. 34. Natura humana nihil aliud est quam ex primis quatuor elementis conflata temperies, uel facultas quædã uniuersi corporis rectrix. Et quin. de Simpto. cau. in principio. Natura est omnis illa facultas qua animal regitur. siue illa pendeat a uoluntatis nostre imperio siue secus; & sext. de simpto. cau. cap. pri. Natura est aggregatio omnium uirtutum. quæ totum corpus re-

git, & lib. fini: med. Nam est spiritus calidus, qui ex sese pro seminarijs rationibus mouetur, ac certis temporibus homines generat perficit & conseruat.

Quot modis accipitur natura.

Accipitur natura quadrifariam. primo pro facultate naturali, secundo pro consuetudine, tertio pro temperie & cōpositione naturali: quarto pro naturali calore.

Locis consentientes ex uera Medicina.

Quod pro naturali facultate natura accipiatur hi sequentes loci attestantur. Gal. quinto de sym. cau. cap. 2. Nam si morbus facultatem uicerit. i. naturam, membrum haudquaquam poterit transferre. Si superior manserit facultas. i. natura nihil eam impediet & paulo inferius, Natura facultas attollit & sustinet. i. natura hoc efficit, & quarto de uic. in mor. ac. scire oportet naturā haud quamq; quiescere sed interdum contentos humores ita aggredi ut a bonis eos seperet &c. i. Naturam esse facultatem qua boni humores retinentur & praui reijciuntur. Pro secundo de consuetudine Gal. 2. de temp. consuetudo est natura acquisita & Hip. lib. de Aere & aqua, itē auerois pri. phy. & Arist. in predicamentis consuetudo est altera natura. Pro tertio de temperie: Gal. 2. de temp. hæc in nostra regione, quæ utiq; est temperata, subiectarum partium naturam prodit. i. temperiem demostrat. Nam temperaturas iuxta regiones ibi consyderat. & Auic. humor & natura mutant animam. i. humor & temperies pro compositione sic. & intelligitur de natura medicinarum. unde citatur poeta in lib. de natura humana ita loquens.

Sic ait a Maia genitus, medicamen & offert.

Euulsum terra, naturamq; edocet eius. i. compositionem eius Explanat. Pro quarto de naturali calore, Gal. lib. de tre. & pal. cap. 6. Natura et anima nihil aliud quam calidum est,

q̃ ſemper mobile eſt. Diſtinguit autẽ naturam ab ipſa anima primo de potentijs naturalibus, dum dicit, & motor in corpore. aut eſt natura aut anima. hic pro calido intellige calorem innatum qui teſte Gal. aphor. pri. comm. 15. eſt facultatis nos gubernantis robur & omniũ naturalium operum cauſa.

Quid eſt elementum.

Elementum philoſophice ſumptum ita deſcribitur. Elementum dicitur id ex quo quidpiam primo componitur & eſt in eo, indiuiſibileq; exiſtit ſpetie in aliam ſpetiem. Medice ſic, elementum eſt minima rei particula cuius eſt elementum.

Loci conſentientes de elemento phy.

Ariſto. 5. met. tex. 4. στοιχεῖον λέγεται ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος. Similiter ſecundo de generatione a principio, & ter. cœli, & de ſenſu & ſenſato tex. 20.

Loci conſentientes de elemento Med.

Gal. 8. de plac. Hip. & plat. Nominatur utiq; elementum quodcunque minima ſit pars illius rei cuius fuerit elemẽtum, ſimilis ſententia eſt pri. elementorum cap. pri. item primo elementorum ad medium. ſi elementum ſit minima & ſimpliciſſima rei particula, atq; hoc ſi ſenſu metiri oporteat profecto os & ſimilaria omnia erunt humanorum corporum elementa, & Auic. pri. can. cap. 3. elemẽta ſunt corpora, & ſunt primæ partes humani corporis & aliorum, que in partes diuerſarum formarum diuidi minime poſunt, intellige quatuor elementa ſub ratione elementi hic definiri, nam dixit ſunt corpora, ut primam materiam facultates & id genus alia excluderet. Dixit primæ partes ut ne quis de humoribus membris ue ſimplicibus ut caroos &c. que in componendo non ſunt prima intelligeret, Cætera in deſcriptione ſunt nota.

Quot ſunt elementa.

Vniuersalia elementa sunt quatuor a prima materia ut Ignis Aqua Terra Aër; particularia erunt duo Membra simplicia & humores.

Loci consentientes de uniuers.ele. & de particular.

Arist. secundo de generatione probat per quatuor qualitates esse quatuor elementa, nam sicut sunt quatuor qualitates ut calida frigi. humi. sicc. ita erunt quatuor coniugationes ut cal. cum hum. uñ Aër, cal. cum. sicc. uñ Ignis, frigi. cum hum. uñ Aqua, frig. cum sicc. uñ Terra. Probat etiam hæc esse quatuor per binas essentiales formas elementorum quæ sunt grauitas & leuitas; Auic. et Auer. similiter iisdẽ et & argumentis hoc probant: De particularibus elementis Gale. secundo elementorum Hominis uero propria elementa sunt ipsæ particulæ minimæ, quæ similares appellãtur de quibus inquit paulopost in dissectionum pertractationibus sermo erit, & secundo element. in primo sanguis.n. pituita & utraque bilis sunt non modo generationis hominum sed cæterorum animaliũ sanguine prædictorum elemẽta, probatur etiam tali ratione, id esse elementum dicitur quod est principium omnium corporis particularum sed sanguis cũ aliis humoribus in utero matris est huius modi, igitur sanguis & cæteri humores erunt elementa.

Authores erronei dissentientes circa elementa.

1 *Adserere elementa esse unum ut plerique phylosophi,*

2 *Adserere duas qualitates in sumo in elementis dari.*

3 *Adserere idem esse principium & elementum.*

4 *Adserere elementorum doctrinam esse medico inutilem ac superfluam.*

Confutatio dissentientium ex uera Med.

Confutat eos Gal. primo de elementis, si unum est, uel erit patibile uel impatibile, non patibile, quia unum quatenus unũ

non habet in quod transmutari, uel a quo pati poßit, non impatibile, quia tunc id alteratione & sensu careret igitur plura quam unũ. Arist. primo phys. contra hos inquit, Quicunq; ens unum esse pronuntiant. naturalis phylosophiæ principia tollunt. Quum maxime in physica contemplentur corpora que generantur & intereunt & transmutationi sunt exposita; Que si auferantur tunc medicina tollitur. Ad secundum. Arist. secundo de generatione inquit q; ignis est magis calidus quam siccus Aër magis humidus quam calidus. Igitur duæ qualitates non sunt in summo in elementis. Obiectio.
Quomodo dicis hoc; Nam Gal. quem tantopere sequeris: dari has qualitates in summo docet primo elementorum?
Responsio. Quod in igne sit summus calor & summa siccitas, uerum est, ut Gal. asserit, si modo intellexeris in superlatiuo gradu has qualitates reponi non debere, sed quod sint duæ qualitates in summo .i. simplices & sine ulla admixtione. Ad tertium Gal. pri. de elementis. principia sunt eiusdem generis quorum sunt principia, sed elementa non sunt huius modi. Igitur sunt diuersa. Quod principia sint eiusdem generis. probatur ab ipso, nam simplex qualitas ita qualitatis compositæ sicut simplex corpus corporis compositi est principium. Differunt etiam quia elementum dicitur de causa materiali intrinseca; At principium de causa finali & efficiente extrinseca ut Arist. 12. meth. Quod uero elementum dicatur de causa materiali probatur ex Arist. 8. metha. dum inquit elementum est materia cuius est elementum.

Ad quar. quod hæc doctrina elementorum non sit inutilis neque superflua probatur a Galeno primo de elementis, tribus medijs; primo quia omne quod nostris corporibus offertur non impermixtum est, sed cum altero semper mixtum, secũdo quia omnibus elemẽtis ut Aqua Aêre Terra Igne sem-

per utimur. tertio quia hæ qualitates possunt omnem substantiam transmutare, unde fit si quid in qualitatibus modum excesserit, comprimi indigeat, & si quid defluit restituatur, igitur nec inutilis uel superflua, de elementorum utilitate lege uberius Auic. cap. de elementis.

De temperaturis & primo de earum descriptione.

Temperies quæ a græcis κρασεις dicitur duplex, est quarum altera qualitas est. quæ ex elementorum qualitatibus cõficitur. Altera quæ ex mixtorum etiam inuicem actione & paßione resultat.

Loci consentientes ex uera Medicina.

De utraque loquutus est Auic. pri. pri. cap. de complexionibus Complexio est qualitas, quæ ex actione & paßione diuersarum qualitatum in elementis inuentarum prouenit quorum partes ad tantam paruitatem sunt redacte, ut plurimum cuiusque earum, plurimum alterius contingat. Ac si dicat tẽperies est quoddam aggregatum non ex actione & paßione mixtorum, sed ex qualitatibus elementorum ut res naturales & corporeas excluderet, Nam dictum est etiam alibi ab ipso quod ex primis elementorum qualitatibus remißis quædam media qualitas constituitur quæ corporis mixti est propria qualitas constituitur quæ corporis mixti est propria qualitas, uide fusius de his. Arist. quar. Methe.

Quot sunt temperaturæ.

Nouem sunt temperaturæ, octo inæquales, & una equalis, unde inæqualium quatuor sunt simplices, ut calida, frigida, hnmida, & sicca, quatuor ex his compositæ, ut calida & humida, calida & sicca, frigida humida, frigida & sicca æqualis est qua corpus incolume cun moderatione quadam seruatur.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Quod nouem sint, probatur ex Auic. pri. pri. cap. de com

plex. dum inquit postquam de complexione temperata diximus, ad loquendum de distemperatis redeamus; Igitur datur temperata complexio, quod uero distemperatæ sint octo, paulo inferius dicta resumens inquit unaquæque ante harum octo complexionũ, aut est cum materia aut sine materia &c. Gal. pri. de temper. cap. pri. unum igitur & primum id est, q̃ temperatam naturam dicimus, quæ tamen non uirtute modo, sed etiam uiribus reliquis præstat. Et pri. de temper. probat etiã q̃ detur ista temperata natura tali ratione, caliditas stat cum excellenti siccitate & cum excellenti humiditate, igitur cum medio inter eas, & sic datur natura media contra philosophos. Quod uero sint nouem temperaturæ probatur rursus ex Gal. pri. de temp. cap. 8. dum inquit. Et siquidem hæc sic se habẽt, sicut certe se habẽt, cur nouem dicere uniuersas temperamentorum differentias dubitemus, temperatã quidem unã, non temperatas octo, Quarum quatuor simplices sint cal. fri. hum. sic. quatuor compositæ ut cal. hum. &c. Quid uero sit temperies æqualis, Gal. pri. de temper. cap. 6. æqualis siue temperata ea est que ex contrarijs æqua prorsus inter se portione coeuntibus constat.

Authores erronei dissentientes circa temperamenta.

1 Adserere cum antiquis non esse nisi quatuor temperamentorum coniugationes duas humidas, & duas siccas atque has a calore & frigore diuisas,
2 Adserere cum aueroistis simplices non dari temperaturas,
3 Aserere temperatam naturam esse calidam & humidam,
4 Adserere humiditatem non posse cum abundanti calore cõsistere aut siccitatem cum uehementi frigide.
5 Adserere temperiem & mixtionem esse idem.

Confutatio dissentientium ex uera Med.

1 Confutant antiquorum opiniones loci superius citati de

nouem temperaturis ex Auic. et Gal. Confutat etiam eos Gal. primo de temper. cap. 3. Inquiens q antiqui; Quum de sanitatis tuendæ uictum inuestigant, calidius iusto corpus iubent refrigerare, ut omnes exuberãs æquent sed quomodo inquit hoc fieri potest, nisi temperatam quãdam naturam constituant ad quam sunt intenti, quam si constituerint, tunc erunt quinq; & non quatuor &c.

Ad secund. Auerois suismet uerbis uincitur, Quum tertio colliget species octo morborum enumerat, inter quas quatuor simplices reponit, erunt igitur per ipsum quatuor simplices a compositis separatæ: Gal. pri. de temper. cap. 8. hanc etiam opinionem improbat hoc modo concedis alteram esse temperiem humidam & calidam, & alteram siccam, & calidam, si non erit igitur necesse siccam esse, quæ calida est, quoniam & eam esse humidam licet: tunc igitur eam esse mediam licebit; & sic calida tantum: Quod etiam de frigida et de alijs similiter est ratiocinandum: Igitur quatuor erunt simplices temperaturæ.

Ad tert. hipp. ter. Epidimion, si totus inquit annus calidus & humidus fuerit tunc necesse est q magna succedat pestilentia: Igitur q erit calidum & humidum non erit temperatum: Preterea Gal. pri. de temper. cap. 4. ad hoc probandum tali utitur raciocinio, Quod est putredine aptum, idest pessimum temperamentum; Sed natura calida & humida est putredini apta, igitur erit peßima: unde optimam esse concludit temperiem, quæ in quatuor qualitatum mixtionis æqualitate consistet.

Ad quar. Impugnat Gal. pri. de temper. & omnis scola medicorum, nec non & ipsa experientia; Nam aqua ex calore feruenti humida manet; Verum num calida magis uel humida dicatur, ab eo q in mixtura pollet inquit Gal. appellatio

ſumitur, ut ſi maior erit portio humiditatis quam caliditatis, humida dicetur &c.

Ad Quint. lege Ariſt. ſecũdo de gene. cap de mixtione ubi omnes dicunt temperiem eſſe mixtionem, ſed non econtra: Item mixtio ſignificat motum unde complexio peruenit et ſic idem non ſunt &c.

Quot modis aliquid dicatur eſſe calidum uel fri.

Bifariam calidum dici poteſt, Abſolute, & ſic omnes qualitates abſoluto ſermone inueniuntur in elementis, aut per collationem, & ſic trifariam, aut per collationem ad medium, ſiue ad pondus ſiue ad iuſtitiam, aut ad ſeipſum, aut ad extraneum medium, ad iuſtitiam rurſus duplici modo ſumitur. ſ. ſecundum genus, ut animal in genere animalis dicitur calidũ; uel ſecundum ſpetiem, ut homo in ſpetie hominis eſt temperatus. Calidum etiam dupliciter intelligitur, energia, quum id ſit actu, uel poteſtate quũ id nondũ ſit, ſed id fieri facile poßit.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Gal. Primo de temper. cap. 6. Calidum dicitur per collationem, uel per abſolutum ſermonẽ, et hoc ſimpliciter, uel permixtionem, uel ſecundum genus uel ſecundum ſpeciem, ut Animal in genere animalis eſt calidum. Secundum ſpeciem, ut bos leo canis unde medium temperie in toto genere animalium, homo eſt, medium in temperie in hominum ſpetie eſt, quem græci ἄκρατον. i. bene temperatum uocant &c. Quod uero detur temperies ad Iuſtitiam, in hoc capite ad finem ita inquit Gal. temperies ad Iuſtitiam eſt. quæ eo quod pro dignitate cõuenit, æqualitatem explorat; Auic. latius de his omnibus pertracta cap. de complexionibus.

De membrorum temperaturis.

Calidiora in corpore membra uicißim ſe comitantia ſunt ſpiritus cor ſanguis, hepar, caro, muſculi, ſplen, renes tunicæ

arteriarum uenarumq;, & cutis.

Frigidia sunt, Pituita, pilli, Os, cartilago, ligamentum, tendones membranæ, Nerui, nuca, cerebrum, adeps, pinguedo.

Humidiora sunt Pituita, sanguis, adeps, pinguedo, Cerebrum, nuca caro mamillaris, testiumq;, pulmo, hepar, renes, musculi, cutis.

Sicciora sunt, pilli, os, cartilago, ligamentum, tendones membranæ, arteriæ, uenæ, nerui motrices, cor, nerui sensus.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. pri. de temp. cap. ult. cor, tum natura, tum omniũ animalis particularum maxime sanguineum, tum uero calidissimum, proximum illi iecur, & sic ibi de singularum partium temperie membratim pertractat; Auic. pri. pri. cap. 2. de complex. hæc diffusius enarrat.

De notis temperaturarum in genere.

Cognoscuntur temperaturæ ex: habitu totius corporis, ex operationibus, ex regione, ex colore, ex tactus ratione, & ex ætatibus.

Loci consentientes ex uera medicina.

Gal. secun. de temperamentis cap. 4. Pinguiores omnes sunt frigidi, sicut mari fœmina. Si quidem adeps ex habitus frigiditate gignitur, corpulenti calidiores quia carnis abundantia, a multa sanguinis abundantia oritur, Mediocritas uero quæ inter hæc reperitur, temperatæ naturæ est nota, & sic ex habitu totius corporis cognoscuntur, tẽperamenta, Auic. prima pri. cap. de complexio. inuestigat etiam ipse notas temperamentorũ ibi fœminæ frigidiores secũdũ diuersitatẽ &c.

Ex operationibus sic. Gal. sec. de temper. cap. 6. At ubi uaria partium temperies est ex una earum pronunciare de toto corpore non licet, sed adeundæ singulæ, sunt, æstimandumq; quo temperamento, uentriculus, quo, pulmo, quo, cerebrum

ac reliquarum per se unaquæq; seorsum fit, atq; hæc ex functionibus &c. & pri. temperaturarum cap. 6. optime se habere aliquid pro sua natura, ex ipsis functionibus intelligitur, quippe animal & stirpem optime se habere dicimus quum optime suam functionem obeunt, igitur ex operationibus tẽperies agnoscitur.

Ex regione. Gal. 2. de temper. cap. 6. Pensitandus & continentium partium affectus est quarum omnium extrema cutis est; Sed corporis temperies in his regionibus quæ a temperie recesserunt, inæqualis uisitur, externis. s. & internis partibus non adeundem modum se habentibus, Gallis. n. & Germanis & omni thracio & scythico generi, frigida & humida cutis est, Ideoq; etiam mollis alba & pillis nuda, Aethiopibus uero & Arabibus qui ad meridiem incolunt, natura cutis exambientis æstu, & naturali calore foras acto, usta, dura, sicca, nigra, redditur, toto corpore, naturalis quidem caloris exiguũ obtinente portionem, sed alieno atq; a scititio incalescente. Hoc etiam probatur ex Auic. cap. allegato ibi Septentrionales sunt humidiores & sciimiliter nautæ &c.

Ex colore; Gal. de tuenda sanitate, succorum corporis color est certißima nota, nam rubeus, croceus, luteus, ac pallidus caliditatem demostrant Liuens Plubeus albus frigiditatem, Aetius ser. pri. cap. de uiribus simpl. Amplius uero nihilo magis ex coloribus conijcere possumus de ijsdem, In singulis. n. coloribus inueniuntur & calida & frigida & sicca & humida &c. Ex tactus ratione: Gale. secundo de temper. cap. 3. ergo calidi frigidiq; corporis, solus tactus est iudex, humidi & sicci, una cũ tactu ratio &c. Et sec. de tẽp. cap. 2. calidũ q, in ætatibus cognoscere cupimus primũ et maxime, tactu iudicemus.

De notis temperaturæ optimæ.

Temperaturæ optimæ signa sunt quum corpus, neque den

sum, neq; rarum neq; duarum neq; molle neq; hirsutum, neque glabrum, sed medio quodamodo se habeat, de temperamento calido frigido humido sicco in particulari non me extendā neq; de singulis partibus corporis loquendo, Nam Gal. in arte med. cap. 52. & Aet. ser. quar. cap. 77. & Paul Aegy. lib. secun. cap. 63. usque ad. 73. De his fusius loquuntur Notato tamen q. non ex temperie unius particulæ tantum, est pronuntiandum de toto corpore, sed singulæ partes per se considerandæ sunt.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. pri. de temper. cap. 9. quod omnium extremorum calidi. s. frigidi hum. sicci medium est quod induritie mollitieq; medio statu consistit id corpus erit temperatum. & in lib. de opt. corp. const. cap. 4. Porro corpus etiam, quod conspicimus neque densum, neque rarum neq; durum neq; molle &c. optime temperatum est: &c. Vide etiam de his Aetium serm. quar. cap. 59. diffusius loquentem.

De Aetatum temperaturis & de earum descrip.

Aetas siue αἰων est, spatium in quo animal crescit stat decrescit & manifeste declinat, & diuiditur in quatuor partes, In adolescentiam quæ est calida & humida. In iuuentutem quæ est calida & sicca; In senectutem quæ est frigida & sicca; & in ultimum senium quod est frigidum & siccum.

Loci consentientes ex uera medicina.

Quod ita describatur Aetas habes ex Alberto Magno in lib. de senectute & iuuentute, dum inquit Aetas est spatium tēporis in uiuente derelictum in quo uirtus uitæ, secundum omnem suæ operationis modum perficitur. Gal. quar. de salub. dieta tex. 7. Aetatum temperamenta sunt quatuor humida & calida puerorum sicca & calida adultorum, sicca & frigida eorum qui in ætate inclinata sunt, humida & frigida senum, & Aui. prima pri. cap. 3. de complex. ætatū. Aetates omnes sunt

quatuor ætas adolescentiæ quæ durat usque ad. 30. annum Aetas consistendi quæ durat usq; ad. 40. Aetas minuendi cum uirtus non amittitur quæ est usque ad. 60. annum, & Aetas minuendi cum manifesta uirtutis imbecilitate quæ durat usque ad finem uitæ. Obiectio. Plures uidentur esse ætates quam quatuor siquidem Auic. octo. Gal. & Hipp. plures etiam enumerant. Responsio. Aetates in genere sunt quatuor, sed in spetie plures, Nam Hip. teste Gal. Aphoris. 3. Aphoris. 26. Mentionem facit de recens natis puerulis, deinde de illis qui dentire incipiunt, deinceps de his qui mediam ætatem habent, quæ ad duodecimum & tertiumdecimum annum progreditur; & est ætas proxima pubertati. Nam pubertatis tempus incipit post quartumdecimum annũ & durat usq; ad uigesimumquintum teste Gal. aphor. 5. apho. 7. Adolescentia igitur comprehendit sub se infantiam pueritiam & pubertatem. sic iuuentus ac senectus, alias ætates sub se habet quæ tandẽ ad capita redacta in genere sunt quatuor, possent etiam reduci ad duo capita, ut phylosophi ad profectum. s. & defectum, uel ad trinam diuisionem si his addam statum, sed nos ad quaternam diuisionem ætates reduximus, eo q; temperamenta sunt quatuor.

Autores erronei dissentientes circa ætates.

1 Adserere ætatem per quandam qualitatem describi debere & non per quantitatem.

2 Adserere senium esse frigidum & humidum simpliciter.

3 Adserere Aetates posse præfiniri.

4 Adserere in ætatibus fundari temperaturas. seu dicere ætates temperatas uel distemperatas absque ullius subiecti intelligentia.

5 Adserere ætatum doctrinam esse inutilem.

Cunfutatio dissentientium ex uera Medicina.

Quod non per qualitatem probatur ratione: quia interrogatus, quotennis es respondetur per numerum ut biennis triennis, qui est quantitas discreta, non qualitas Præterea Aetas nihil aliud est, quam distantia a primordio uitæ usque ad finem quæ distantia quantitate non qualitate determinatur, Hanc tamen dico non esse ueram deffinitionem, sed quandam descriptionem necessitate datam. Nam quod loco generis ponitur, non conuenit rei descriptæ.

Ad secundum Gal.2. de tempera. cap 2. Senum inquit temperies est frigidissima & siccissima, non autē humida. Quod probatur tali ratione ab ipso: Omne id siccum dicitur, quod nutrimentum intra se trahēre non potest. Senum autem temperies ob excrementa superflua, nutrimentum intra se trahere non potest. Igitur senum temperies erit sicca. Pro exemplo sint Arbores nam quotiens senescunt magis exiccantur. Et Auic. prima pri. cap. de complex. ætatum inquit Senes et decrepiti præter hoc quod sunt frigidiores adhuc etiam sunt sicciores.

Obiectio.

Dictum est superius ex Gal. temperiem senum esse frigidam & humidam. Quomodo nunc probas esse siccam.

Responsio. Gal non iuxta propriam opinionem loquutus est, sed id de mente aliorum disseruisse uoluit, sicuti uberius per totum illud commentum demostratur. Ad tertium Gal.3 pronosticorum commen.28. Ob id igitur Hippoc. quandoq; inquit trigesimum commemorat, sæpe etiam trigesimū quintum, quia aliæ alijs accidunt mutationes, fieri nō potest, ut una mensura firma, ac cunctis promiscua finiatur.

Ad quartum Gal.2. de tempera ca.2. Intelligamus inquit recens formatum animal in utero matris, quo sciamus, qua ratione humidissimum callidissimumq; sit. Nam prima eius cōstitutio ex semine & sanguine est, que humidæ & calidæ res

sunt

sunt igitur hic de complexione subiecti, non autẽ de ipsa ætate calida & humida loquitur. Dicitur.n. ætas calida & humida prout est in corpore calido & humido, posset probari hoc ex mille locis, sed tantum hic locus ad probandũ sat sit.

Ad quintum Gal. 2. de tempera. ca. 2. Verum quum ad eam quæ nunc sunt proposita magis urgeat ætatum consideratio. Quæ etiam maximam nobis ad causarum inuentionem facultatem suggerit, huic nunc insistamus &c. Ex quibus uerbis doctrinam ætatum non inutilem esse nobis demostrat.

Obiectio. Quos putas esse calidiores puerulos an iuuenes?

Responsio. In calore tria considerantur, quantitas.s. natiuæ humiditatis & sanguinis influentis qualitas. i. ipsa caliditas, & fomes ipsius caliditatis, quæ est caloris essentia. Dico igitur si iuxta humiditatem natiuam quantitas caloris consideretur, ꝙ pueruli sunt iuuenibus calidiores. At si iuxta sanguinem influentem ꝙ iuuenes sunt puerulis calidiores quia sanguine magis abundant. Sic etiam Gal. 3. de tempera. ca. 4. considerat. In calore qualitatem & substantiam, quem legere poteris, aduerte tamen has diuisiones, quoniam omne dubium remouere circa hæc poteris.

De Humorum definitione & diuisione.

Quoniam humores ex primis elementis orti, sunt causa generationis & corruptionis hominum idcirco dupliciẽ etiam definitionem sortiuntur uniuersalem.s. & particularem, uniuersaliter sic, Humores sunt corpora, quæ ex prima ciborum mixtione generantur. Particulariter sic, Humor est corpus humidum currens, quod ad membra conuertitur. Generantur humores ex alimento quod ab innato calore alteratur.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. 2. de elemẽ. Quatuor humores ex primis elementis ortos constat, materiamq; esse generationis hominis, causam

q; eße corruptionis omnimodam si quid in generatione animalis deeßet, quoniam uno quidem deficiente humore totum animal interit ac deperditur. Auic. prima.1.ca.de Membris, Membra sunt corpora, quæ ex prima humorum commixtione generantur. Quemadmodum humores sunt corpora, quæ ex primo ciborum commixtione generantur. Et ca.de humoribus. Humor est corpus humidum fluidũ liquidum, in quod in primis nutriens cõuertitur. Ac si diceret, est corpus humidum.i.actu fluens.i.substantia fluida. Nam aliquid eße humidum dupliciter intelligitur, natura, uel substantia. Nam quedam res dicuntur in substantia humidæ, quæ natura & potestate sunt siccæ & sic econuerso, quedam uero utroq; modo tã natura quam substantia humidæ dicũtur. Idcirco dixit humidum fluidum. Gal.aphor.5.aphor.39. Superfluum id quod ex alimento relinquitur humor existit naturæ partis similis. Et secundo de facul. naturalibus cap.8. Demostratum est inquit, Alimentum dum inuenis ab innato calore alteratur. Sanguinem quidem ex mediocri calore fieri reliquos uero succos ex eodem modum non seruante: & sic habes quomodo generentur humores.

De alia diuisione de his qui nutriunt humoribus.

Ex his qui nutriunt humoribus. Quædam sunt primæ & secundæ humiditates, Quarum prĩmæ sunt humores, Seceundæ rursus bipartiuntur. Nam quedam sunt superfluæ quedã non: Non superfluæ erunt quæ a principali dispositione conuersæ ad membra relegantur & iuxta Auic. placitum erunt quatuor.s.nomen non habens, Ros, Cambium, Glutem, Humorum uero, a quibus hæ humiditates proueniunt, sunt quatuor genera, ut genus sanguinis, pituitæ, bilis, Melancholiæ.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Auic.pri.pri. cap.de humi. Humiditates quedam sunt pri

mæ quedam secundæ, Primæ sunt quatuor humores, Secunda uero que non sunt superfluitates sunt humores, quia dispositione principali conuersi ad membra relegantur & sunt nomen non habens, ros, cambium, gluten. Et Gal. 10. Meth. ad finem, loquens de hectica de his mentionem facit, primam, uocans natiuam humiditatem, alteram nomen non habens similiter de diff. feb. Et Auic. prima quarti & dicitur. 12. de animalibus, De his etiam uide de hectica. Quod uero humorum genera sint quatuor probatur ex Gal. 2. de elemen. dum inquit conabor ea explicare, unde adductus est Hippoc. ut sentiret humores quatuor, materiam esse generando homini. Et lib. finit. Med. Humores quatuor sunt ex quibus animal consistit, Sanguis pituita & duæ biles flaua. s. & atra & sic sunt quatuor humorum genera.

De humoribus in particulari & primo de sanguine.

Αἷμα .i. *sanguis humor est calidus & humidus ex ipsius chyli temperatiori parte progrediens: Qui naturalis est & non naturalis: Naturalis qui mediocris substantia, rubido colore, malo carens odore, sapore dulci, mitis ac benignus existit: Nõ naturalis, qui ab isto degenerat, et hæc bifariã, uel sui, uel alterius ratione. Ratione sui dum mutatur propria substantia, & hæc dupliciter, uel quia nimis crassa, aut nimis tenuis, uel quia aduritur, & sic pars tenuior in flauã bilem uertitur, Crassior in atram, Ratione alterius, quum alius humor illi permiscetur, & tunc uario modo hoc contingere potest, prout uariæ bilis species & pituitæ & melancholiæ sanguini admiscentur, locus in quo consistit est cor, in quo perficitur hæpar, in quod influit uenæ & Arteriæ.*

Loci consentientes ex uera Medicina.

Quod sit calidus & humidus probatur ex Gal. 2. de Mor. cau. cap. 4. quum dicat, Nempe quod flaua bilis potestate cali-

da est & sicca. Atra uero sicca & frigida, Sanguis calidus & humidus pituita frigida & humida. Et primo de naturalibus facul. cap. 9. idem aßerit. Auic. prima pri. cap. de humor. Sanguis uero natura calidus & humidus existit, cuius duæ sunt species naturalis & non naturalis &c. Gal. lib. de Atrabile ca. 2. Igitur magna ex parte rubeus color in hoc humore exuperat & talis exacte optimus sanguis existit, & paulo inferius sanguis maiori, ex parte dulcis apparet. Et secundo de tēpera. ca. 3. Succorum optimus & maxime proprius ac domesticus sanguis est, igitur a temperantiori parte progreditur. Et secundo de facul. naturali cap. 8. Sanguis fit a mediocri calore, bilis ab immodico. Igitur sanguis a parte temperata oritur, & hæc de naturali sanguine. De non naturali, dum mutatur propria substantia, ut pars tenuior in bilē, habes ex Gal. 2. de diff. feb. cap. 9. ubi inquit pars sanguinis subtilior ac pinguior omnino in flauam conuertitur bilem, quæ autem crassior in atram. Itidem ait. 2. de cris. ca. 12. Quod uero sanguini alius humor misceatur, habes ex Gale. lib. de plenit. ad medium. Quum tumor inquit præter naturā ad quam cunq; substantiam pertinere poßit siue is sincerus sanguis sit, siue biliosus, siue serosus siue pituitosus &c. i. quum bilis aut pituita sanguini miscetur. De loco sanguinis, Gale. 1. de temper. cap. ult. sanguis ipse a corde suum accipit calorem. Et. 6. de plac. Hip. & Plat. At qui in dextro sinu continetur sanguis, eandem speciem habet, quam omnis alius, et is qui in Iecore habetur &c. hic etiam ab ipso probatur cor et Iecur eße sedem sanguinis, ipsumq; Iecur, uniuersam sanguinis spetiē absoluere & ꝙ sanguis humidi, temperamento, rubri, colore, cuius sane in Iecore est prima generatio. Riui autem & uenæ id toti corpori traducunt, distribuuntq;. At sanguinis flaui tenuis spumosi prima in sinistro cordis sinu est origo, uerum talem Arteriæ di-

ſpenſant & intotum corpus deducunt &c. Vide de his etiam Gal. de facul. natural. diffuſius.

De pituitæ diuiſione & deſcriptione.

φλεγμα. *i. pituita duplex eſt naturalis & non naturalis. Naturalis eſt humor frigidus humidus ſubſtantia crudus, colore ad albedinem, ſapore interdum dulci, quandoq; omnis qualitatis expers: Non naturalis eſt qui a ſui natura degenerat, & hoc bifariam efficitur per ſe ſ. & per admixtionem. Per ſe quum a propria ſubſtantia egreditur, nam in ſubſtantiam aquoſam uel flatuoſam, uel admodum tenuem cõuertitur, unde pituita aquoſa flatuoſa & tenuis dicitur, Si uero craſsior ac uiſcoſior reddatur, tunc pituita erit craſsa uiſcoſa & mucilaginoſa. Quæ ſi magis indureſcat, Gypſea & uitrea dicetur pituita. Quæ ſi ultra putreſcat & alteretur, fiet ſalſa uitroſa & corroſiua. Per admixtionem, quum illi alius miſceatur humor. Nam ſanguine admixto dulcis efficitur. flaua bile, ſalſa, Melancholia, pontica acida.*

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Auic. prima pri. ca. de humor. phlegmatis aliud naturale, aliud non naturale: Naturale eſt quod aptum eſt in aliquo tẽpore fieri ſanguis, quoniam eſt ſanguis non plene concoctus. Vnde ariſt. 6. topic. inquit phlegma eſſe primum indigeſtorũ a cibis proueniens. Gal. 2. de diff. feb. ca. 6. Quicunq; humor in corpore frigidus atq; humidus fuerit, hunc nos pituitã appellamus & ſic erit humor frig. & humi. Et de Atrabile ca. 2. apparet pituita omnis qualitatis expers ueluti aqua. Verum, naturali qualitate mutata non modo ſalſa, ſed acida etiã fit, quin & non raro dulcem qualitatem acquirit. Hunc itaq; humorẽ, qualiſcunq; fuerit pituitam appellant, ſi modo albus extiterit. Et. 2. de diff. feb. ca. 6. alia eſt pituitæ ſpecies, quam pleriq; cum reatu expuunt ſenſibilem habens dulcedinem &c. Auic. pri.

primi cap. allegato octo ſpeties phlegmatis non naturalis enu merat, ut uidere poteris. Obiectio.

Quomodo octo enumerat, quum iuxta Gal. ſentētiam ad ſummum tres tantum ſint, ut ſalſa, dulcis, acida.

Reſponſio. Certum eſt Gal. non niſi tres enumeraſſe differentias pituitæ, ut. 2. de diff. feb. ca. 6. Item. 3. de loc. aff. ca. 7. Veruntamen pituitam poſſumus dupliciter conſiderare, uel in ratione ſaporis, uel in ratione ſuæ ſubſtantiæ ſi ratione ſaporis tunc erunt tres differentiæ, ut ſalſa, dulcis, acida, quāquā & inſipida addi poſſet, ſed ratione ſubſtantiæ erunt etiam quatuor, quæ primis copulatæ, erunt octo. Quod Gal. etiam non negaret, nam in lib. de plenit. ad finem, humorem crudum inter pituitæ ſpeties eſſe reponendum ait, qui craſſior ac minus flatuoſus eſt &c. Præterea. 14. Meth. ca. 17. dixit euacuationem bilis eſſe facilem, ſed pituitæ craſſioris & glutinoſioris eſſe difficilem, Ergo datur pituita craſſa, que & mucilaginoſa eſſe poteſt. Rurſus. 3. de loc. aff. ca. 7. mentionē facit de uitrea a proraxagora appellata. Item de aquoſa, que nulla qualitate infecta, dici poteſt inſipida & ſic ratione ſubſtantiæ erunt aliæ ſpeties. Item. 3. de loc. aff. ca. citato, atrā bilē differre facit, ob ſubſtantiæ uarietatem, igitur a ſimili pituita etiam in ſubſtantia uariabit. Obiectio.

Quomodo concordabis Auic. Gale. in iis admixtionibus, Nam Gal. ſalſam fieri pituitam aſſerit, aut pp putredinem, aut pp ſalſæ ſeroſæ humiditatis miſcellam, Auic. uero ex miſcella bilis cum pituita. Reſponſio.

Quod fiat pp putredinem ut dixit Gal. 2. de diff. feb. cap. 6. etiam Auic. concedit inquiens, Et nos quidem dicimus putredinem, ipſum phlegma ſalſum efficere, ideo ꝙ in ipſo aduſtionem facit &c. Nec in humiditate ſeroſa e Diſtat à Gale. Nam ipſe ſola inquit aquoſitas non facit ſalſum, quod uerū

est. Sed Gale. non solam sed salsam & serosam dixit, quod Auic. non negaßet. Quod uero a bilis miscella fiat phlegma salsum, uerũ est, Nam Arist. in lib. de sen. sensa. & 2. meth. salsum saporẽ affirmat eße eiusdem speciei cum amaro, Nã terreæ partes adustæ & amari saporis, si insipidæ humiditati, æqualiter misceantur fit salsedo, si uero humiditatem superent, amaritudo, Quare cum bilis amara quidem natura ac sicca sit, & pituitæ misceatur, fieri potest, ut inde pituita salsa euadat.

De bilis definitione & diuisione.

χολὴ.i. bilis est humor calidus & siccus ex tenuiori et calidiori parte chyli, uel ex sanguine tenui & feruescente proueniens: Hæc duplex est, naturalis & non naturalis: Naturalis est humor calidus & siccus potestate, substantia tenui, flauo colore, aut rubro ad flauitiem declinante, sapore amaro: Non naturalis est que à iam dicta degenerat, Et hoc dupliciter per se & per admixtionem. Per se adhuc bifariam quum putrescit & aduritur & tunc dicitur adusta per putredinem. Altero modo quum non naturalis uitellina dicta, colore quodam igneo, in hepate, aut uentriculo, aut inuenis concoquitur & tunc fit porracea, quæ et praßina dicitur et eruginosa: Per admixtionem non naturalis efficitur, quum illi alius humor admiscetur, et hoc multifariam. Nam si phlegma tenue & aquosum admisceatur, citrina siue crocea efficitur, si craßum & uiscosum uitellina, si adusta melancholia, fit bilis adusta & sic erunt sex species.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Quod bilis sit calida & sicca potestate probatur ex Gal. 2. de natu. fac. ca. 9. Bilis inquit flaua calida et sicca est, quantũuis sit ab aspectu humida. Quod uero sint sex bilis species habes ex Gal. lib. de atrabile ca. 2. ubi inquit Bilis. n. flaua fit pal

lida ex ſeroſa, & tenui humiditate, Quæ ubi reſoluitur λεκυτώδης .i. uitellina appellatur, eſt & bilis inquit ipſe πρασειδὴς. i. porracea alia ἰώδης. i. eruginea, alia ἰσατώδης i. glauca, alia rubra ſanguini tenuiori proxima & ſic erunt ſex ſpeties. Auic. prima primi cap. de humor. hanc totam diuiſionem habet, lege eum uberius.

De melancholiæ definitione & diuiſione.

Melancholia duplex naturalis & non naturalis: Naturalis eſt boni ſanguinis fex ac ueluti limoſa quedam ſuperfluitas, ſiue craßior quidam ſanguis, cuius color niger eſt, ſapor uero acerbus uel acidus in maßa ſanguinaria exiſtēs ad alendas partes melancholicas progenitus. Non naturalis que a naturali degenerat, definiturq; in uniuerſum. Quod ſit humor frigidus & ſiccus ex craßiori portione chyli proueniēs, Cuius ſpeties ſunt quatuor: Prima quum Melancholicus humor naturalis dictus in ſua propria ſubſtantia aduritur & putreſcit, fitq; bilis exquiſite nigra quæ acida eſt et in terram effuſa uelut Acetum feruet & terram attolit: Secunda eſt bilis atra ex aduſtione aliorum humorum. Que.n. fit ex flaua bile uehementer aduſta. Non aliter ac exquiſita atra terram radit ac attolit. Tertia ſpeties Melancholiæ non naturalis eſt quæ a lapidoſa concretione oritur. Quarta ſpeties quum alius humor ipſi melancholiæ naturali permiſcetur, dumq; hoc fit dulcoratur & miteſcit, modo neutra bilis aduſta admiſceatur, quia tunc uel aceſcit uel amareſcit & eroſionis fit particeps.

Loci conſentientes ex uera medicina.

Gal. 2. de temper. ca. 3. Sanguis optimus ſuccorum ac proprius, huius ueluti ſedimentū ac fex atrabilis eſt. Quæ id circo tum frigidior tum craßior ſanguine est, ſicuti flaua bilis longe calidior. Et. 3. pronost. comen. 29. Atræ bilis generatio

duplex, Altera a sanguine craßiore, qui proportione in uenis subsidenti in dolio uini feculæ respondet, Altera a flaua bile uehementer assata, quæ atrabilis alioqui malefica est ac derodit partes in quibus abunde collecta est, Altera mitior, quã hæc est, maxime quoties nondum traxit in animali moram, cum aliquo calore abundanti præter naturam. Et.3. de loc. aff. ca.7. Melancholicos inquit esse in quibus siccitas & frigiditas dominatur & paulo inferius: Atrabilis ob substantiæ uarietatem, non obscuras habet differentias: Nam alia est ueluti fex sanguinis, quẽadmodum spissa & fecibus uini non absimilis. Alia uero quam superior essentiæ est multo tenuioris atq; uomentibus causa & olfacientibus acida uidetur quæ etiam terram radit attollit & fermentat, sed ea quam crassæ feci similem esse dixi in terram effusa nõ inducit feruorem nisi forte in ardente febre ipsam præassari contingat. Hanc nominare consueui succum melancholicum aut sanguinem melancholicum. Vide etiam de his plura iuxta Gal. de atra bile ca.2. & .2. de naturalib. facul. ca.9. ad finem. Auice. prima pri. cap. de humor. Choleræ nigræ alia naturalis alia non naturalis. Naturalis est boni sanguinis fex & turbulentia & superfluitas in comparatione ad sanguinem. Melancholia non naturalis non est admodum hypostasis & fecis, imo est admodum adustionis & cinereitatis, & tunc est multiplex uel est phlegmatis, uel choleræ uel sanguinis uel melancholiæ cinis & sic erunt quinq; speties.

Obiectio.

Quomodo dici potest cinis phlegmatis quum Manardus dicat nõ posse ex pituita tantã assationẽ fieri ut nigra euadat.

Responsio. Dico quod pituita, si aduritur, Melancholia in qualitate si non in colore fieri potest.

Obiectio.

Quid est frigidior pituita, an atra bilis?

Responsio. Si considerentur iuxta earum essentiam frigidior est pituita.

Si uero iuxta earum Impreßionem, atrabilis, quia pituita eſt denſior.

Authores erronei diſſentientes circa humores.

1 *Adſerere cum Ariſt. ſolum ſanguinem nutrire & cæteros humores eſſe ſuperfluitates.*

2 *Adſerere humorem naturalem eſſe malum, quum nutrire non poßit.*

3 *Adſerere ſanguinem dari ab alijs humoribus in aggregatione diſtinctum.*

4 *Adſerere uirium Robur ſequi ad ſanguinis copiam & ad eius paucitatem minui.*

5 *Adſerere non dari quartam temperiem in ſuccis quæ eſt frigida & ſicca.*

6 *Adſerere humorum generationem eſſe reciprocam ita ut ex ſanguine fiat pituita.*

7 *Adſerere humorum cognitionem eſſe inutilem cum Eraſiſtrato.*

Confutatio diſſentientium circa humores.

Confutat primum Gale. 3. de Tempera. cap. 2. dum inquit, Omne animal conueniente ſibi nutritur alimento, conueniēs cuiq; alimentum eſt, quicquid aßimillari poteſt corpori quod nutritur. Et primo de natur. fac. ca. 2. Nutritio eſt ad id quod nutritur eius quod nutrit aßimilatio. Igitur Melancholica membra, Melancholia, Pituitoſa, ipſa pituita in nutritione indigebunt, & ſic ſolus ſanguis non nutrit. Auic. prima pri. cap. de humor. Qui ſolum ſanguinem dicit nutrire mentitur, ſi. n. ſolus ſanguis eſſet humor qui membra nutrit, omnia in ſuis complexionibus & eſſentijs ſimilia forent &c. Igitur ſolus ſanguis non nutrit.

Ad ſecundum probatur tali ratione, Humor malus poteſt nutrire, ergo bonus & naturalis, q. malus nutrire poßit pro

batur, quia ad benignum potest reduci.

Ad tertiũ Gal. lib. de plenit. ad finem. Nam neq; fieri alioqui potest, ut adeo sincerus in uenis reperiatur sanguis, quin illi aliquid aut bilis aut pituitæ aut serosi humoris permixtum sit, siquidem syncerus ab alio humore sanguis & impermixtus in uenis nusquam habetur. Et lib. de Atrabile cap. 5. Quod igitur in uenis & in arterijs humores omnes unà cũ sanguine continentur, ostendit ipsius uarietas tum in colore tum in consistentia &c. probatur & ex Hippoc. lib. de natura humana, quem citat hoc in loco Gale. igitur sanguis ab alijs humoribus non distinguitur.

Ad quartum Auic. pri. pri. cap. de humor. Sunt quidam inquit qui opinantur corporis uirtutẽ sequi ad sanguinis multitudinem, et ipsius debilitatem sequi eius paucitatem, sed nõ est ita, Quod uero attenditur est dispositio eius quantitatis quæ de eo corpus ingreditur.

Ad quintum Gale. 2. de natural. fac. ca. 9. contra Erasistratum hoc probat authoritate Medicorum et philosophorum, qui humores quatuor anni temporibus compararunt. Vnde inquit sicut quatuor sunt anni tempora ita quatuor erunt humorum temperaturæ. Præterea sicut dantur Morbi frigidi et sicci ita in humoribus quarta tẽperies quæ est frigida et sicca.

Ad sextum Gal. 2. de uic. in mor. ac. comen. 31. Pituita processu temporis coquitur & sanguis efficitur, sed nec flaua bilis, nec atra in sanguinis substantiam redeunt, igitur eorum generatio non erit reciproca, uel tali ratione, frigidum a calido fieri non potest regulatis a natura humoribus igitur nec a sanguine fiet pituita & sic non erit reciproca generatio.

Ad septimũ Gal. 2. de nat. fac. ca. 8. Nunquid queso quemadmodum cibi concoquuntur in uentre est utile sciuisse, ita nõne paris momenti est, uel sanguinem bonum gigni uel nutrimen

tum in uentre probe in chylum uerti, & paulo inferius. Non ne generandi hydropis causa ex sanguificationis deffectu prouenit, sicuti ex ciborum coctionis deffectu diarrhea, ac si diceret, quomodo hæc capi possunt nisi humorum cognitione contemplatus fueris &c. & sic humorum cognitio non erit inutilis.

De diuisione Membrorum in genere.

Membrorum alia sunt homæomera. i. similaria, alia organica. i. instrumentaria: Homæomera dicuntur, quæ communicant cum suis partibus in nomine & ratione, ut os, caro, Organica uero sunt, quorum nulla pars nec in nomine nec in ratione cum toto communicat, quum manus siue capitis pars, nec manus sit nec caput. Quæ diuisio a naturali operatione sumitur: Naturalis. n. operatio his tribus perficitur. s. temperie, compositione & unitate, quarum temperies simplicibus membris attribuitur, compositio instrumentarijs, & horum utrisq; unitas. Compositorum igitur quedam sunt principalia, quorum unum ad spetiem conseruandam, ut testiculi, Reliqua ad indiuiduum seruandum attribuuntur, his seruiunt, ut cerebro nerui, cordi arteriæ, hepati uenæ, testiculis uasa spermatica, ab his quoq; tanquã a principio dependent, stomachus, renes, intestina omnesq; musculi, quæ præter proprias uirtutes sensu & uita cum uoluntario motu fruuntur.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gale. de cõsti. art. Med. cap. 4. Nimirũ quum corpora quæ similaria appellantur ex dissectione apprehenderimus, compositorum pariter membrorum quæ instrumentaria nonnunquam nominare solemus, scientiam assequemur & sic duplicia sunt membra simplicia & composita. Auic. pri. pri. cap. de memb. Membrorum alia sunt simplicia, alia composita, simplicia sunt, quorum quancunque sensibilem partẽ assumpse

ris in nomine & definitione erit toti communicans, composita sunt illa, quorum quancunq; partem acceperis in nomine & definitione communicans non erit sicut manus & facies. Gal. in lib. art. med. ca. 9. Vniuersæ partium differentiæ sunt quatuor, nonnullæ earum principia, aliquæ ab his originem habent, aliquæ nec aliarum gubernationi præsunt neq; aliunde gubernantur, quum insitas habeant a natura potentias a quibus reguntur. Quædam sunt quæ insitas simul & aliunde emanantes habent. Principia igitur sunt cerebrum cor hepar testiculi, ab his oriuntur & subministrant nerui & spinalis medulla cerebro, cordi arteriæ, hæpati uenæ testiculis uasa seminaria. Et ca. 8. ar. med. Vitiorum genera eadem sunt his, quæ uirtutem perficiunt. Temperies quidem in consimilibus numerus formatio magnitudo & situs in instrumentarijs, utrisq; uero cõmunis unitas. Et de tot. morb. temp. ca. 7. Tria facultatum totum corpus gubernantium principia sunt cor, hepar, cerebrum, ex quibus oriuntur nerui uenæ arteriæ, hi & similes loci ea quæ dicta sunt probant.

De facult. naturalibus & de earum definitione.

Potentia siue facultas est cuiusuis operis & actionis causa & hæc duplex ενεργεια. i. actu, altera potestate, hæc potentia siue facultas etiam dicitur uirtus & tunc quadrifariã describi potest. Primo q; uirtus sit habitus penes quem aliquis dicitur bonus. Secundo quod sit quedam actiua qualitas, sicut dicimus elemẽta habere quatuor uirtutes. i. quatuor qualitates. s. calidas frig. &c. Tertio describitur q; uirtus sit quedam forma specifica, sicut dicimus eupatorium habere uirtutem ad iecoris morbos. Quarto describitur q; uirtus sit animæ facultas qua suas peragit operationes.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Arist. 2. ethic. uirtus est dispositio quedã animæ, per quã in

ter duo extrema tenemus medium, & hæc ſpectat ad moralem philoſophum. Gale. 1. de cau. pulſuum, loquens de generibus pulſuum, inquit, Quando eßentia incognita nobis eſt, hoc nomine facultatis eam appellamus. Alicuius. n. eſt facultas, & eius notio eſt relationi ſubiecta, ac ſi diceret eam facultatem dici de omnibus ad quæ referri poteſt & ſic de habitu & de qualitate actiua dicitur. Gale. 1. de fac. ſimp ca. 1. facultas cauſa quæ eſt effectrix, eaq; partim actu ut calefaciẽdi in igne, partim in futuro tempore ut calefaciendi pyretro, uel ſic in animalibus deſcribitur. Virtus ſiue facultas eſt anime potentia membris eßentialiter attributa ad ſuas operationes peragendas.

De facultatum alia diuiſione.

Facultas etiam triplex eſt, Naturalis, uitalis & animalis, triplex inquam in ratione non in ſubſtantia. Nam ſicut in citro, color, odor, & ſapor inueniuntur diuerſi in ratione ijdẽ in ſubſtantia, ita in his facultatibus, naturalis locatur in hæpate & eſt facultas, quæ nutriens in ſimilitudinẽ nutriti trãſmutat. Hæc duo præſupponit generationem. ſ. & auctionem. Nam generatio ita alterationem & formationem ſicuti auctrix habet alteratricem & nutricem auxiliatrices, auctrix facultas eſt potentia, qua corpus in omnem dimenſionem augetur uſq; ad augmenti finem, uocatur ab Auic. creſcitiua, Naturalis ſiue nutrix facultas ſimiliter agglutinationem & appoſitionem præſupponit. Aßimilatio quæ in nutrice reponitur, quatuor has facultates ſupponit attractricem. ſ. retentricem alteratricem ſiue concoctricem, & expultricem. Facultas uitalis ſiue animoſa eſt quæ uiuificat, & locatur in corde, a quo procedit uita ad ſingula corporis membra uiuificanda. Facultas animalis eſt potentia ipſius animæ in cerebro locata quæ in motricem & ſenſibilem aut in quaternas cerebri faculta-

tes diuiditur, quæ sunt sensus communis imaginatrix ratiocinatrix quam cogitatiuam etiam dicunt, & memoratrix. Sensus communis est qui solus omnium aliorum sensuum sensata percipit. Imaginatrix quam Græci φανταστικὴν uocant, dicta est eo q nobis uisa proueniant. Ratiocinatrix est quæ reuocat species subsensum ad iudicium, atq; rerum imagines de potentia abstrahit. Memoratrix est quæ omne a cæteris facultatibus elaboratum est & receptum ueluti tutrix conseruat & fouet.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. 9. meth. ca. 10. Gubernant animal tres diuersi inter se generis facultates toti corpori ex suo ueluti fonte quæq; distributa (eas Plato uocat animas) Est. n. earum quedam ad nutriendum animal neceßaria, ac, cum stirpibus communis quæ Iecur pro fonte habet, hanc appetitricem seu naturalem seu altricem appellare licet sicuti & animam aut facultatem. Altera est quæ non modo ut stirpibus, aut uita præditis sed etiam ut animalibus est anima insita, hæc in corde collocatur ceu insiti caloris fonte. Tertia anima ratiocinatrix in cerebro domicilium habet, ea uoluntarijs actionibus unà cum sensibus præsidet.

Loci de uirtute nutrice.

Aristo. 2. de anima uirtus nutritiua est potentia saluare suscipiens ipsum secundum quod est eius, Gale. 1. de naturalibus fac. cap. 12. At quod neceße sit nutritionem eße aßimilationẽ nutrientis ei quod nutritur dare liquet. Auic. pri. pri. cap. de uirt. Virtus nutritiua est illa quæ nutriens in nutriti similitudinem conuertit, ideo ut per ipsum restaurationem eius recuperet quod dißolutum fuit. Quod primum in naturæ operibus sit generatio probatur ex Gale. 1. de fac. nat. cap. 5. Generatio simplex quædam actio naturæ non est sed ex formatione

alterationeq; composita, & cap 8 ubi animal magnitudinem perfectam adeptum est, usq; ad ætatis uigorem nutrix uirtus dominatur, cui auxiliatrices & ministræ sunt alteratrix & nutrix. Et ca.11. Ad hoc ut fiat nutritio siuē adhærētia præcedat oportet, Sicuti etiam ut illa fiat appositio, exemplum habes de uitiligine quæ nutrimenti est adhærentia sed non est assimilatio.

Loci de quatuor facul. nutritiuæ minist.

Auice. pri. pri. cap. de uirt. minist. Virtute nutritiuæ ministrantes sunt quatuor uirtutes attractiua retentiua digestiua et expulsiua, quæ uero sit unaquæq; poteris ab ipso ediscere. Gal. 3. de temper. ca. 1. Quatuor nimirum dicimus totius corporis proprias facultates esse, attractricem alteratricem retētricem & quartam quæ alieni sit segregatrix, easdemq; facultates effectus esse totius in quouis corpore substantia & c.

Loci de uirtute auctrice.

Arist. 2. de anima uirtus augmētatiua est uirtus factiua quā anti. Gal. 1. de fac. nat. cap. 7. Auctio est solius naturæ opus, ut corpus quod continuitatem suam & speciem quam prius habuit uniuersam seruet, in omnem partem extendere, quæ sine nutrimento affluente adhærenteq; fieri nequit. Auice. pri. pri. cap. de uirt. minist. Virtus augmentatiua est uirtus quæ addit in diametris totius corporis secundum proportionalitatem, quousq; corpus ad augmenti finem perducatur per illud quod ipsum ingreditur ex nutrimenta, itidem ait in sexto de naturalibus.

Loci de facul. uitali.

Gal. 5. de locis aff. cap. 1. Cor. innati caloris ueluti fontē esse, neque animal mori posse nisi cor afficiatur, tam declaratū est igitur cor est membrum uiuificans.

Auic. pri. pri. cap. allegato. Virtus uitalis est quæ cum recepta

cepta fuerit in membris præparat ea ad recipiendum uirtutem sensus & motus & operationes uitæ &c.

Loci de facultate animali.

Gale. 5. de loc. aff. ca. 1. Ostensum est sensum & motum uniuersis corporis partibus a cerebro suppeditari &c. Et tertio de loc. aff. ca. 7. Rationi consonum uidebatur animam in cerebri corpore sedem obtinere atq; in ipso & rationis uim & sensibilium imaginum memoriam residere &c. & sic animæ facultas in motricem & sensibilem potentiam diuiditur. Aristo. tertio de anima cap. 2. sensus communis est qui solus sensata aliorum sensuum percipit. Auic. primo can. ca. de uir. animali. Phantasia. i. imaginatiua est uirtus quæ formas perceptas a sensu communi custodit, & retinet eas post sensus absentiam. Themist una cum Arist. Imaginatiuam esse potentiam animæ a sensibus ortam dicunt, Arist. primo ethic. facit differre uirtutem ratiocinatricem ab intellectu, eo q causas cum effectibus conferre posit, sed intellectus causas tantum comprehendat. Gal lib. fin. med Sensus est affectus animæ per corpus nuntius rei quæ mouere idonea est. Aristo. lib. de memoria & reminiscem. Memoria inquit est habitus phantasmatis. i. imaginis. Auero. ibi memoria est reuersio in præsenti, intentionis iam in præterito comprehensæ. Auice. primo can. Memoria est thesaurus eius quod peruenit ad extimationem de intentionibus perceptis a sensu extra formas perceptas a sensu. Gal. lib fin. med. Memoria est preteriti comprehensio, cuius presens fuit ex sensu perceptum.

Dissentientes circa facultates dictas.

1 Adserere facultates naturales non esse in qualibet parte corporis.

2 Adserere facultates esse remediorum indices.

3 Adſerere facultatem nutricem & auctricem eſſe idem.
4 Adſerere facultates non alibi, quam in animato corpore poſſe reperiri.
5 Adſerere facultatum cognitionem eſſe medico inutilem.
6 Adſerere facultatem uitalem non eſſe naturali priorem.

Confutatio diſſentientium circa facul. naturales.

Ad primum Gale. 5. de loc. aff. cap. ult. Eſt igitur communis ſermo quem inuenire propoſui de naturalibus facultatibus, quas in qualibet parte, quatuor generatim eſſe didiciſtis, primam uoco attractricem quæ parti peculiares ſuccos alendi ipſos gratia & appetere & attrahere poteſt. Altera eſt quæ alteratrix dicitur, qua ſuccus attractus ſimilis euadit parti, quæ aliter, huic duæ aliæ miniſtrant retentrix & expultrix &c. & ſic in qualibet parte erunt facultates, ſimilis ſententia eſt in lib. de plenit. circa medium.

Ad ſecundum Gal. de opt. ſecta ad Thraſybu. cap. 42. ſi conſtans uis remedium indicat. In ſanis quoq; quoniam conſtat, remedium indicabit, ſed in ſanis remedium non indicat, ergo nec in ægris conſtans remedium indicabit.

Ad tertium Gale. primo de natural. facul. ca. 9. Quippe ſumma rei ſic habet, generatio auctio & nutritio, prima naturæ operum ac ueluti capita ſunt, ubi diſtinguit auctionem a nutritione, igitur idem non ſunt. Præterea tali ratione probatur, Quæcunque in fine & in quantitate materiæ differũt, non ſunt idem, ſed auctrix & nutrix ſunt huiuſcemodi, igitur idem non ſunt, Quod differant in fine & in quantitate materiæ probatur ex hoc quia nutrix indiuiduum tãtum conſeruat, Auctrix uero auget. Veruntamen dicimus unam & eandem ſubſtantiam eſſe, quæ duo hæc efficit.

Ad quartum Gale. primo de natu. fac. cap. 13. probat in magnete & in ſuccino eſſe uim attractoriã, ſicuti & in purganti

bus medicamentis & in stirpibus & in similibus esse alias facultates, igitur alibi quam in animato corpore reperiuntur.

Ad quintũ Gal. 2. de naturali fac. ca. 3. Nisi. n. a natura facultas quædam naturalis unicuiq; instrumento statim ab initio sit tributa, durare animalia non poterunt, non modo tantum annorum sed nec paucissimorum dierum, igitur scire has facultates, non erit inutile. Præterea probat Gale. citra facultatẽ attractoriam de urinæ secretione neque de alimenti distributione, aut de nutritione non medico licere loqui igitur harum cognitio, non erit inutilis. Rursus quinto de loc. aff. ca. ult. has facultates inquit in qualibet affecta parte, utrum ualidæ sint, an infirmæ consideretis, hortor, & sic earum cognitio non erit inutilis.

Ad sextum Auice. prima primi cap. de uirt. uit. inquit quod præparat ad recipiendum alias uirtutes, igitur erit prior, Præterea id prius est, cuius instrumentum est primum sed instrumentum. s. cor uirtutis uitalis est prius factum quam hepar; igitur erit prius.

De sanitatis ac Morbi definitione.

Sanitas est harmonia siue cõcinnitas quatuor primorum elementorum qui secundum naturam in nobis sunt, uel sanitas est omnium nostri corporis partium naturalis quædam constitutio ex qua actiones naturales edimus, uel est naturalium uirium actio minime impedita, ad sanitatem requiruntur pulchritudo bonus habitus integritas, Pulchritudo erit si proportio membrorum cum coloris probitate adsit, Bonus habitus sit non qualis exercitatorum nam ne salubris quippe hic habitus est, sed sicut superius a nobis descriptus. Integritas erit sine quid circa animum mores & robur ac symetriã corporis desit. Morbus uero cum ex diametro sanitati opponatur, erit inconcinnitas. siue intemperies primorum elemen

torum qui in nobis sunt, uel erit partium præter naturã constitutio ex qua actio uitiata prouenit, uel erit naturalium uirium præpeditio.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Quod sanitas sit harmonia &c. probatur ex Gale. 1. de tempe. cap. 1. Nam indicium inquit sani hominis ac temperatim est elementorum portionis æqualitas. Et tertio de Mor. diff. ca. 1. Sanitas est affectus secundum naturam ad faciendam actionem idoneus, nec refert si dixeris constitutionem siue affectum sicut nec actionem, nec actionis causam. Et primo meth. cap. 9. Sanitatem inquit esse ipsarum functionum constantiam aut affectum siue constitutionem partium, cuius ope functiones secundum naturam edimus. Et tertio meth. ca. 3. Quippe mostratum est sanitatem in similaribus corporibus ipsarum quatuor qualitatum esse iustam temperiem. Auice. secunda primi cap. de diuisione dispositionum corporis. Sanitas inquit est dispositio, per quam corpus hominis in sui complexione & compositione tale existit, ut ex eo operationes eius omnes proueniant in columes. Quod uero pulchritudo requiratur &c. Gale. in art. med. cap. 8. Signa optimæ constitutionis sumuntur a commensuratione pulchritudine ab optimo colore, ac præterea ab earum quæ ipsis insunt uirtute operationum. De morbo uero sic. Gale. de constitutione art. med. ca. 12. Id quod excellenter sanum est, sit modo illud similare uel instrumentarium, omni ex parte moderatum existet, ægrum uero immoderatum, siquidem morbus immoderatio quædam est. Et secundo de natu. hum. commen. 1. Morbus est affectio quædam in animantis corpore, quæ primum actionem lædit. Et. 3. de sympt. diff. cap. 1. Morbus est constitutio quædam præter naturam a qua primo actio uitiatur, quin si affectum dixeris a quo actio uitiatur, idem est &c. Et meth.

2. cap. 1. & . 3. Nam contrarium ſanitati affectum a quo læ-di actionem diximus, morbum tantum appellamus, & ſimili ter cap. ult. Quicunq; affectus functioni officit, is eſt morbus.

De ſex morborum generibus.

Sicuti naturalis operatio in his tribus conſiſtit .ſ. in tem-perie compoſitione & unitate ut dictum eſt, ita morbus erit in triplici diuiſione, nempe in complexione compoſitione & unitate ſoluta. In complexione ut calidus frigidus humidus & ſiccus, aut cal ſicc. cal. hum. frigidus, ſiccus frigidus humi-dus. In compoſitione quadrupliciter in poſitione magnitudi-ne figura & numero. In unitate ſimpliciter nempe in ſimila ribus & inſtrumentarijs ſimul, & ſic ſex erunt in uniuerſum morborum genera, unum quippe in ſimilarium partium in-temperantia, in organicis quatuor, in utriſq; unum, quod eſt ſoluta continuitas, læditur etiam operatio tripliciter debili-ter uitioſe aut quia nullo modo fit operatio.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Auice. ſecunda primi cap. 2. dicimus quod ægritudinum genera ſunt tria loquendo de ſimplicibus ægritudinibus, Pri-mum eſt ſimilarium & eſt ſpecies malæ complexionis, Secun dum eſt membrorum officialium, quæ ſunt ægritudines com poſitionis, Tertium eſt ægritudinum communium, quæ ægri tudines accidunt membris ſimilaribus & inſtrumentarijs &c. Gale. 1. de diff. mor. cap. ult. Nempe dictum eſt q̃ alij ſunt primorum ſimilariumque corporum morbi, alij inſtru-mentorum compoſitorumque, alij utrorumq; ut phlegmone &c. Et lib. de opt. corp. conſtitutione inquit quod tempera-mentũ ex calido frigido humido ſicco cõgmenti menſura defi nitum, ſimilariũ membrorũ eſt ſanitas & q̃ conſtructio par

tium ex positione magnitudine & figura & numero constituitur &c. Si igitur sanitas in ijs consistit simili modo & morbus in his erit, quum in eodem genere ambo constituantur teste Gale. meth. 1. cap. 7.

Quod uero sex sint morborum genera probatur ex Gal. 2. meth. cap. 6. dum inquit, Ergo sunt sex in uniuersum morborum genera, unum ipsorum similarium proprium nempe intemperies, quatuor ut modo dictum est instrumentorum cuiusq; & cum his sextum, quod tum similaribus tum instrumentalibus est commune ipsius unitatis solutio.

De causis salubribus & insalubribus.

Causarum aliæ sunt conseruatrices, aliæ effectrices, conseruatrices sunt quæ corpus in optima constitutione præseruant, Sed quia corpus alteratur et corrumpitur, idcirco quot modis alteretur dicamus. Alteratur corpus sextupliciter, primo ex aere ambiente, secundo ex motu & quiete, tertio ex somno & uigilia, quarto ex cibo & potu, quinto ex his quæ excernuntur & retinentur, sexto ex affectibus animi. In his causæ salubres & insalubres conseruatricesq; consistunt, Nã in his si modus seruetur conseruatrices sunt, sed ubi a modo recesserint insalubres redduntur, de his sex rebus non naturalibus in morbis a capite usque ad pedes de inceps pertractabimus, causa etiam dispositionum corporis rursus alteratur ex frigore calore siccitate humiditate. Causæ uero morbi effectrices sunt tres procatarcticæ & antecedentes & coniunctæ quæ diuiduntur per se uel per accidens.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. in art. med. cap. 84. Quia salubrium nonnullæ sunt cõseruatrices, nonnullæ effectrices & Paulo infra si corpus esset impatibile & inalterabile semper optima constitutio perduraret, sed quia corrumpitur et alteratur idcirco eundem [illegible]

ris statuѕ tenorem non seruat, &c. Et cap. 85. eiusdem lib. Quot igitur numero sint ea quæ ex necessitate corpus alterāt, distinguentes proprium in singulis eorum causarum salubrium genus inueniemus. Vnum igitur erit ex ambientis aeris adhæsu. secundum ex motu & quiete &c. ubi sex res non naturales enumerat. Auic. secunda primi doc. secunda, cap. 1. causæ dispositionum corporis &c. sunt tres antecedentes primitiuæ & coniunctæ, et paulo inferius dicemus q; causæ quæ mutant dispositiones corporis & quæ conseruant, aut sunt necessariæ a quibus impossibile est hominem egredi in toto tempore uitæ suæ, aut non necessariæ, necessariarum sunt sex genera. genus aeris circundantis. genus motus & quietis &c. Gale. in art. med. ca. 80. Alteratur uero substantia a caliditate frigiditate humiditate & siccitate.

De causis morborum partium instrumentalium.

Dictum est q; ad composita membra quatuor spectant, positus siue situs formatio magnitudo & numerus. Primum situs uel est optimus, uel parū uariat, uel a modo recedit, uel ægrū plurimo recessu reddit. Formatio quoq; tripliciter læditur, uel in figura quum a cursu naturali mutatur in meatu uel orificio & hoc ratione obstructionis aut dilatationis, in membrorum superficie quum adest asperitas et lenitas, magnitudo dupliciter excessu & defectu, numerus similiter aut deficit aut superabundat, ut sextus digitus in manu, hæ omnes causæ, si modum excederint insalubres dicuntur, si uero a mediocritate non recesserint, erunt salubres de soluta unitate quū de chyrurgia tractabimus fusius loquemur.

Loci consentientes ex uera medicina.

Auic. secunda primi cap. 3. Compositionis ægritudines quatuor comprehenduntur generibus, ut ægritudines creaturæ, ægritudines quantitatis, ægritudines numeri & ægritudines

ſitus, ægritudines creaturæ. i. formationis uel ſunt in figura uel in uijs uel in receptaculis & uentriculis, uel inſuperficie &c. Gale. in art. med. cap. 87. Inſtrumentarium partium cauſæ ſalubres, aliæ ſunt ſalubres erroribus qui in foramine conſiſtunt, aliæ his qui in magnitudine uel numero uel poſitu &c. quæ fuſius uidere poteris, lege etiam de his Gale. 1. de diff. morb. cap. 7. exempla in omni morbo afferentem.

De Morborum calid. frig. ſic. & humid. cauſis.

Cauſæ morborum calidorum ſunt quinque putredo, uicinitas ad corpus calidum, obſtructio, cibus & potus calidus et motus uehemens, Cauſæ frigidorum ſunt quatuor uicinitas frigidorum cibi potuſque qualitas & quantitas, obſtructio & raritas, otium & motus immodicus: Cauſæ ſiccorum ſunt ſex plurima tranſpiratio & pauca nutritio, alimenta ſiccantia, ſolicitudo & uigiliæ, aeris conſtitutio ſicca, aquæ nitroſæ & ſulphuroſæ aluminoſæ, & medicamenta exiccantia, Cauſæ humidorum ſunt his, econtrario oppoſitæ, ut alimenta humida, quies ſomnus potus plurimus &c. ex quibus facile morborum compoſitorum cauſæ intælliguntur.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Gale. 2. de morb. cau. cap. 2. Corpora quæ plus ſatis incaleſcunt, ita uidêtur affici, uel ob motum aliquem aucto calore, uel ob putredinem, uel ob calidiori corpori uicinitatem &c. redditq; rationem de unoquoque. Et cap. 3. eiuſdem lib. frigidi morbi cauſæ ſunt ut frigidorum uicinitas cibi potuſq; quantitas & qualitas, conſtipatio & raritas &c. reddens de ſingulis rationem. Et cap. 4. & 5. ſimiliter de ſicci & humidi morbi cauſa etiam rationem reddit. Auice. ſecunda primi doc. ſecunda ſumma ſecunda cap. 2. 3. & 4. idem aſſerit ut Galenus, quæ longum eßet recenſere, uide tu ſi lubeat eum fuſius. Vide etiam Galenum primo de diff. feb. cap. 3. & 2. eiuſ=

dem cap.9.

Autores erronei dissentientes circa sanitatẽ & morbũ.

1 Adserere sanitatis cognitionem non esse medico necessariam.

2 Adserere morbos posse cognosci non cognito affectu secundum naturam.

3 Adserere morbos similarium partium, non distingui ab instrumentarium morbis.

4 Adserere, scire morborum numerum non esse necessariũ.

5 Adserere morbum in numero ab eo quod est in quantitate non differre.

6 Adserere causas morborum non esse semper considerãdas.

Confutatio dissentiẽtium circa sanitatem & morbũ.

Confutat primum Gale. meth.2. cap.3. inquiens q; sanitatis egemus omnes ob actionem quæ est secundum naturam. Nam sine sanitate actionem integram habere non possumus. Et nono meth. cap.9. sicut primum propositum est in methodo, morbi sublatio, ita in opere de sanitate tuenda, est sanitatis tuitio, igitur erit necessaria.

Ad secundum Gale. meth.2. cap.4. Necesse tibi erit eo quod secundum naturam est prius præsumpto, ita quod est præter naturam inquirere. Nam si ipsum quod secundum naturam est, non nosti, nec quod egressum est a natura nosti, igitur primum sanitatem cognosces antequã morbum cognoscas.

Ad tertium Gale. 2. meth. cap.6. exemplo probat. Nam quum christallinus humor ex intemperie laborat, omnino læditur oculorum functio. Cæterum non est ut eorum organa sint morbus. Præterea Hippoc. constituit aliud esse in corporibus similaribus morbi genus, aliud in instrumentarijs igitur distinguntur.

Ad quartum Gal. meth. 1. cap. 5. Quoniam omnis morbi curationem inuenire propositum est, necesse est, morborum numerum prius sciri.

Ad quintum Gal. de consti. art. med. cap. 12. Differt numeri morbus a quantitatis morbo, ex eo quod in hoc morbi genere particula nonnunquam integra, in illo uero portio quæpiam alicuius particulæ, aut amputanda est aut adijcienda.

Ad sextum Gale. pri. meth. cap. 8. tria rerum genera enumerans, primum genus corporum, alterum actionum, tertium inquit esse genus causarum quæ hos affectus creant, quæ ad medendi artem incipiendam primum sunt noscenda.

De cura singulorum sex morborum in genere.

Morbus in complexione per sui contrarium aufertur. Nam si calidus sit frigido, si frigidus calido si humidus sicco & econuerso remouebitur, si ex utroque sit compositus utroque contrario indigebit, Si quidem contraria contrarijs curantur, Morbi in formatione, in nuper nato animali ad habitum naturalem tantum reducuntur, post hac emendari non possunt, similiter morbi in cauitate parui, quum adhuc augetur animal per quietem & alligationem redduntur. Magni uero per partium operationem & spiritus retentionem, Morbi in numero si ex aliqua particula deficiente fiant, eam efficere studebimus subministrando naturæ, si ex superabundanti hanc resecabimus, hæc omnia sanare possumus, sed quod omnia generentur, non æque possumus: morbis in magnitudine similiter excedentibus naturæ modum, ablatio & abolitio conuenit, deficientibus, refectio uel generatio, morbos in situ, si quæ particulæ a suo situ dimoueantur, ad suum locum reducendo, sanabimus.

Locis consentientes ex uera Medicina.

Gale. in art. med. cap. 89. Curatio unam præcipuam accom

munißimam habet intentionem, ad id, quod est dispositioni cõtrarium auferendæ Calido enim affectui causa frigida contraria est, frigido calida, eademq; in cæteris proportione seruata. Et cap. 93. eiusdem libri, in ijs igitur qui adhuc crescunt, poßibile est plurium partium figuram emendare, in his autem qui iam aucti sunt minime. Et cap. 96. quum morborum in numero duplex sit differentia, quibus aliqua particula deficit, his intentio alteram efficere sub ministrando naturæ, At quibus superabũdat, hanc resecare oportet aut scalpello, aut igne, aut medicamento quod urendi uim habeat, de alijs morbis lege cap. 97. & . 98. eiusdem libri. Gal. 8. meth. cap. 3. illud eße uerißimum omnium inquit q contraria contrariorum sunt remedia, & cap. primo eiusdem libri omnis exceßus per contrarium exceßum sanatur, similiter lib. 7. cap. tertio. & lib. 4. cap. 2. curabis inquit calidum refrigerando frigidum calefaciẽdo &c. similis sententia est aphor. 2. aphoris. 22. & in mille alijs locis.

Obiectio.

Obstructio ad quem horum morborum referenda erit?

Responsio.

Obstructio est compositionis morbus in meatu siue in orificio, fitque ex lentis ac craßis humoribus, curaturq; per apertionem quæ fieri solet per abstergentia atq; incidentia medicamina.

Obiectio.

Inteligis ne per apertionem uulgarem medicorum digestionem, an aliud ab hac distinctum. Nam digestio Auic. est tenuis materiæ incraßatio, uel craße & lentæ extenuatio.

Responsio.

Inteligo per apertionem humorum ac meatuum præparationem. Nam humores oportet eße non tantum fluxui paratos, quam etiam aperta eße foramina per quæ debet purgatio fieri, ut Gal. aphoris. primo, comm. 24. Et secundo aphorismo. commen. 9. Nam tunc fluidum eße corpus pronunciat, quum tam in humoribus quam etiam in meatibus reseratis,

fuerit apertum.

De Morborum indicijs in genere.

Indicia morborum uel a ratione temporis ſumuntur, & ſunt tria præſentia præterita & futura. Nam *uel morbum præſentem indicant, uel futurum eſſe prænunciant, aut memoriæ ſubijciunt, hæc omnia interdum a medicis prænunciatiua uocantur, uel ſummuntur a rationæ ſuæ eßentiæ & ſic erunt quatuor. Primum ab exeuntibus in quantitate & qualitate mutatis & cognoſcuntur a multitudine excrementorum ſiue per urinam per ſudorem per uomitum per ſputum & per ſeceßum & per qualitatem mutatam ſicut eſt totius corporis rubor uel pallor uenarum ac membrorum tumor &c. Secundum ab operatione læſa & cognoſcitur a grauitate, a pigritia, a ſenſuum imbecillitate, a pulſu magno & pleno, ab hanelitu, a corporis extenuatione &c.* Tertiū *a proprijs morborum accidentibus ſicut in pleuritide a tußi, a dolore, a febre. Quartum a membrorum poſitu ut a capite, a uentre, & ab alijs locis affectis.* Vel *ſumuntur indicia a uiribus corporis & hoc trifariam, uel a uirtute animali & cognoſcitur ex motu ex ratione & ſenſibus, uel a uirtute uitali & cognoſcitur ex pulſu & ex ſpiratione, uel a uirtute naturali, & cognoſcitur ex urinis & ex egeſtionibus.* Horū *quædam ſunt ſalubria q̄ ſalutem, quædā inſalubria q̄ mortē prædicere ſolent.*

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Gale. *in art. med. cap. 7. Signa ſunt ſalubria & inſalubria quæ præſentem indicant ægritudinem & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ ſubijciunt, & paulo inferius,* Hæc *quoq; ſecundum tria tempora ſalubria & inſalubria dicuntur, quorū uſus maior eſt de indicatiuis, quā ex his quæ memoriæ ſubijciunt.* Gale. *in art. med. cap. 81. quæcunq; excernūtur, nonnulla quidē ſunt ueluti partes patiētium locorum,*

non nulla tanquam excrementa, quæ uero in ipsis continẽtur singula propriã faciunt iudicationem, et sic ab exeuntibus sumitur indiciũ. Gal. pri. de loc. aff. cap. 5. locorũ notæ, ab actione læsa & excrementis & positu & doloris proprietate & a proprijs accidentibus sumuntur. Affectuum uero ab excrementorũ specie, a loci natura & doloris proprietate & proprijs accidentibus, sane actio læsa affectam partem indicare potest &c. similiter. 3. de Symptomatum diff. ca. 3. de his indicia habentur. Gal. meth. 9. cap. 13. hæc itaq; cum uires indicẽt, maxima harum erit dignitas. Nam uiuere ipsum nobis ex harum custodia constat, ut pote quum uitã, aut ipsas esse uires, aut earũ actiones sit necesse &c. Hippo. aphoris. 2. apho. 33. In quouis morbo mẽte cõstare et bene si habere ad oblata bonũ, cõtra uero se habere, malum, & Gale. in hoc commen. ex his constare mente cognosces, quæ ad cerebrum & omnes membranas, sicuti ad uentrem attinet hepar & cor ubi adest prõptitudo ad ea quæ offeruntur &c. Gal. 1. de art. curat. ad glauc. Virtus uitalis, quam ex corde prodire ostendimus expulsuum debilitate cognoscitur, at quæ ex hepate oritur, naturalis dicta, ex sanguineis egestionibus aquosis & tenuibus, & quæ ex cerebro originem ducit, animalis dicta, ex motuum uoluntariorum imbecillitate deprehenditur &c.

De alia signorum diuisione.

Sumuntur etiam indicia a complexione, ab humorum dominio ab ætate, a tempore consuetudine & uictu præterito complexiones cognoscuntur per decem genera. Primo ex tactu ut si cali. frig. Secundo ex adipe & carne addita nam multa caro caliditatem, Pauca cum multo adipe frigiditatẽ. Tertio ex cæleri ac tardo capillorum ortu, nam cæler cali. tardus frig. Quarto ex corporis colore, nã color croceus rubeus luteus ac pallidus caliditatẽ, albus liuens plumbeus frigiditatẽ.

Quinto ex membrorum forma, nã ampla lata caliditatem. Angusta uero frig. Sexto ex membrorum sensu, nam cito sentiens cali. tarde frig. Septimo a cogitatione hominum. Octauo ab operationibus, nam celeres operationes caliditatem & econtra frig. Nono ex superfluitatibus corporis, nam siquid egrediens acutum habeat odorem, caliditatem indicat, si minus frigiditatem. Decimo ex accidentibus animi ut ira audatia inquietudo impietas & similia caliditatem, contra uero frigiditatem, De ætate, id dictum est pueros & iuuenes eße calidos, senes & decrepitos frigidos, similiter ex tempore & consuetudine & uictu præterito iudicandum est.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. lib. de sectis ad eos qui introducuntur ca. 4. & .5. Hoc igitur modo illi ab ipso affectu eius quod confert indicationem eliciunt, similiter ab ægrotantis uiribus ab ætate, ab anni tempore & regione &c.

Auic. secunda primi cap. 3. signorum genera quibus complexionum dispositiones cognoscuntur sunt decem & ea enumerat exempla singulorum afferens ut dictum est supra.

De urinæ definitione & diuisione.

Lotium est sanguinis aliorumq; humorum serea quædam redundantia. Id tamen existimandum est optimum lotium in quo residet candidum leue & æquale per omne tempus, uel id optimum est quod urinæ sanorum est simillimum. Tria in lotio considerantur substantia, color & hypostasis. Substantia si tenuis, craßa, nam si tenuis & alba sit uel uirtutis imbecillitatem, uel renum obstructionem significat, si tenuis et pallida, uel tenuis & rufa uirtutis imbecillitatem, & quo ad substantiam cruditatem significat, tenus uero & flaua incoctionem, et alimenti defectum, uigilias ac animi pathemata significat, tenuis rubra sanguinem incoctum, tenuis & nigra melancho

liam, uel nimiam frigiditatem, aut ſanguinis aduſtionem indicat. Craßa uero & alba maximam crudorum humorum copiam demoſtrat, ſi craßa & rubea plenitudinem ſanguinis, ſi craßa nigra euacuationem atræbilis ſignificat. Color flauus rubeus caliditatem, albus, liuens, ater, frigiditatem denotant. Hypoſtaſis uero diuiditur ſecundum ſitum, nam ſi in fundo, non diuulſa reſidet, ſed pyramidalis, bonam indicat concoctionem, ſi in ſupremo loco, diuulſa & inæqualis, imbecillitatem uirtutis, ſi in medio loco, malum portendit, maxime ſi diuulſa ſit, nam naturam defeciße in concoctione obdiſtrationem ſignificat. Conſideratur etiam urina iuxta ſuum colorẽ, nam rubea ſanguinis incocti copiam & morbi cruditatem indicat. Idcirco morbum facit diuturnum, nigra cui anteceßit liuiditas, frigiditatem, cui uero croceitas, calorem, liuida frigiditatem, & uirtutis interitum, oleoſa, totius corporis adipis coliquationem indicat. Rurſus ſi ſedimentum cito craßum fiat, cito morbum ſolutum iri ſignificat. Si reſidet craßum, aſſiſtente uirium robore longum fore morbum, ſi uero imbecillitas adſit ægri mortem pronunciat.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Theoph. de urinis cap. 1. lotium eſt ſanguinis aliorumq; humorum aquea quædam colatura. Gal. lib. finit. med. Vrina eſt ſuperfluitas ex colatu ſanguinis in magna uena quæ per renes & ureteras in ueſicam delabitur. Hippocra. pronoſt. 2. tex. 26. τοδ'ε ουγον ἄριστονεστι ἐὶχλεν κητε, ἠυποστασι's καὶ λέιη, καὶ ὁμαλη ἐπὶ παντατῶν χρονον. Gale. 1. de criſ. cap. 12. ex his igitur illa optima eſt quæ urine ſanorum eſt ſimillima, quæ uero non eſt talis ſimpliciter, uel incocta eſt, uel præter hoc pernitioſa. Gale. 1. de criſ. cap. 12. oportet urinam optimam diſcedere tantum ſua craßitudine ab aquoſa, quantum colore, ſi bene concoqui debeat ponens differentiã in ſub

stantia & colore &c. Gal. loco citato praua autem sufficienter est, quæ tenuis & alba est, sicuti aqua, nam simplex quidem dispositio est, sed ultimæ imbecillitatis est indicium, huic proxima est altera urina uini tenuis albi colore, quæ in multis apparet morbis, post hanc est sub pallida &c. Hippo. 2. pronost. tex. 30. Dum urina tenuis fuerit ac rufa crudam esse significat ægritudinem. De lotij colore Hippo. 2. prono. tex. 32. Exitior urina est si aquosa fætida nigra crassaq; est, uide in hoc latius Galeni cōmen. Quod situs hypostasis consideretur & eius color lege Hippo. 2. prono. tex. 36. Considerandα inquit in urina nebecula utrum sursum fuerit an deorsum, item color quem obtinet &c. De oleaginosa urina Hippoc. 2. pronost. tex. 35. si pingue de super natet araneorum speciem referens, damnandum. Indicat enim consumptionem. Et Gale. de cris. cap. 12. Quod si ueluti oleum mingatur colliquationis est signum. De colore Hippoc. 2. pronost. tex. 27. Vrina subrubra cum sedimento subrubro admodum salutaris, sed morbū diuturnum fore indicat, & tex. 33. eiusdem lib. In mulieribus & uiris urina nigra, in pueris aquosa, deterrima est: lege fusius Galenum. De urinis quæ uel turbidæ minguntur et paulo post resident, uel quæ semper turbidæ mictæ permanent, aut quæ puræ minguntur & postea conturbantur habes plura ex Gal. 1. de cris. cap. 12. & aphoris. 4. commen. 7. & 4. super primam epidemiam.

Authores erronei dissentientes circa urinam.

1 Adserere renum nutritionis excrementum tantum esse lotium.
2 Adserere, per urinam cognosci posse morbos ex succis ortos qui in uenis non continentur.
3 Adserere sedimen in urina esse semper bonum indicium.
4 Adserere ex Galeno non posse per urinarum coniecturam

in

in sectionis uenæ cognitionem peruenire.

Confutatio dissentientium ex uera Med.

Confutat primam opinionem Gal. 1. de nat. fac. cap. ult. cōtra lupum quendam dum inquit, Quod autem soli renes tantilla corpora, quatuor interim totos uel etiam plures habeant excrementi congios, id nec confessum, nec rationi consentiens est.

Ad secundum Gale. 4. de sanit. tuend. circa principium, Quoniam laßitudo uitio acrium excrementorum oritur, ante omnia considerandum, in solidis ne tantum corporibus, an intra uenarum sinus succus contineatur, de his quæ intra uenas sunt, nullum planæ, nec manifestum, nec euidens signum, præter solam urinam conijcere licet, in reliquis, quonam qui affligitur, usus sit uictu, existimandum. i. per alia signa quam per urinam coniecturandum, quum urina in hoc casu sit exiguum signum, & quarto de uic. ratione in morb. ac. Non tuto inquit Gale. commen. 83. morbi facilitas ex urinarum concoctione prænoscitur, nam et si febris cruditates per urinas manifeste indicentur, Morborum tamen musculos infestantium, non secura est per urinas significatio &c.

Ad tertium Gale. aphoris. 4. commen. 69. contigit aliquando uel per initia morbi, uel paulo post urinas factas crassas propter grauitatem habere sedimen, quod bonum signum nō est, sicuti in alijs quæ ab initio tenues existentes, ratione coctionis totius morbi sedimen capiunt.

Ad quartum Gal. 2. pronost. commen. 27. Quoties serum sanguinis pariter cum urina excernitur, colore subrubra apparet, indicat enim exuperantiam sanguinis non exquisita ratione confecti & sic sectionem uenæ. Et meth. 9. cap. 4. Mittendus est sanguis etiam si nec in lotio, aut in ipsa caloris qualitatę humorum putrescentium signum apparuerit, interdum

igitur signum in urina de mittendo sanguine apparet.

De pulsuum definitione diuisione.

Σφυγμὸς.i.pulsus est cordis arteriarumq; dilatatio ac contractio, consideratur pulsus uel ratione uirium, & tunc est triplex, uehemens quando.s.tangentis manus, ualide repellitur, lãguidus, quum inualide imbecillum ictum edit mediocris mediam seruans proportionem. Vel ratione arteriæ, & est duplex durus & mollis, uel ratione diastoles, & est trinus ut altus longus latus, uel ratione plenitudinis & euacuationis & est duplex plenus & uacuus plenus qui arteriam solidiorem undosamq; in compreßione ostendit, uacuus qui inanitatem suo digito representat, uel ratione rhythmi, in quo proportiones temporis metiuntur & sic est duplex deficiens uel intercidens, uel ratione temperaturarum ætatum, anni temporum regionum sexuum de quibus satis loquuti sumus infra ubi Gale. loca citauimus, uel ratione somni & uigiliæ uel aliarum causarum non naturalium, nam in somno languidiores minoresq; sunt. Quum a somno expergiscuntur uehementes & crebriores sunt.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. 4. de diff. pulf. Pulsus est distentio & contractio cordis & arteriarum ubi uarias pulsuum descriptiones ex antiquis recitat. Quod uero ratione uirium consideretur pulsus habetur ex Gale. 4. de præsag. ex puls. cap. ult. Quũ inquit pulsus per se sint languidi, infirma est facultas, ubi earum arteriarum languidus nunc pulsus sit, nunc uehemens, facultas nõ est per se imbecilla, sed ex copia humorum degrauatur &c. & ibi omnia ad uirtutẽ spectantia per pulsum declarat. Et. 3. de diff. pulf. Pulsus qui cum renisu quodam pulsat uehemens uocatur, cuius causa est facultatis robur. Quod uero ratione arteriæ pulsus consideretur, habes ex Gal. primo de cau. pulf.

Reliqua inquit & tertia gignendorum pulsuum continens causa ipsum est arteriarum corpus &c. & cap. de puls. causis ex diff. instrumentorum, Quum durius aut mollius euaserit corpus arteriæ, ipsos pulsus duros uel molles reddit, simi lis sensus est primo de diff. puls. & in lib. finit. med. Gale. pri. de diff. pul. Iam quia arteria tres dimensiones obtinet longitudinem latitudinem & profunditatem non potest in singulis dimensionibus non fieri quantitas aliqua distentionis & contractionis.

Gale. primo de diff. pulsuum cap. de reliquorum diff. generum plenus est pulsus qui pleniorem arteriam ostendit, uacuus qui arteriæ eleuationem facit bullosam ut digitorum impreßioni greßus per uacua occurrat, & sic plenitudinis & euacuationis pulsus datur. De rhythmo genere pulsuum habes Gal. 1. de diff. puls. ca. de. diff. quietis & rhythmi, dum plures species rhythmorum pulsuum enumerat quem fusius leges, omnibus. n. naturis locis anni temporibus omnibusq; aliis suũ rhythmum tribuit & inter omnes rhythmos, alios pari proportione, alios impari constare inquit. De temperie. Gale. 3. præsag. puls. ex intemperie cordis calida fiunt pulsus imbecilles, ex intemperie uero frigida plane efficiuntur contrarij parui tardi & rari de intẽperie sicca & humida cordis tractat eodem lib. cap. ult. & lib. de introductione puls. calidiores natura pulsuum habent maiorem cæleriorem ac longe frequentiorem non multo tamen uehementiorem, Graciliores uero maiorem ac longe rariorem, uerum non multo uehementiorem, uide de his similiter de usu pulsuum circa finem. De pulsibus ætatum Gal. in introduct. puls. cap. 9. Mutantur per ætates, sic puerulo nuper nato pulsus est frequentißimus, Senum rarißimus, qui uero in media ætate sunt inter hos, ijs pulsus ad proportionem respondent. De pulsu anni

temporum Gale. loco nuper citato per anni tempora pulsus mutantur, nam in medio uere maximi ac uehementißimi celeritate uero ac frequentia moderati, similiter medio autumno habentur progrediente uere magnitudo ac uehementia ipsius minuuntur, augentur autem celeritate ac frequentia, Autumno progrediente, omnia minuuntur magnitudo. s. uehemẽtia celeritas ac frequentia, adueniente uero æstate fiunt langui di & parui celeres & frequentes, contra uero in hyeme in paruitatem langorem tarditatem ac raritatem mutãtur &c. De regione, Gal. loco citato per regiones mutantur, si quidem in calidis, pulsus sunt quales in æstate media, in frigidis ualde, quales hyeme media, in medijs ad proportionem se habẽt &c. Quod pulsus uirorum a feminarum pulsu differat, habes Gale. loco citato, uiri. n. inquit mulieribus pulsum habent multo maiorem & uehementiorem, paulo tamen tardiorem ac longe rariorem. De somni pulsibus ac de expergefacto a somno, similiter de mutatione pulsuum per exercitium, balnea, cibos & potus aerem ac accidentia animi, nam ab ira pulsus fiunt alti magni uehementes cæleres ac frequentes, a mæstitia parui tardi languidi rari, a metu celeres turbulenti inordinati inæquales &c. habes in hoc loco citato plura ex Galeno.

Autho. erronei dissentientes circa pulsuum doctrinã.

1 Adserere utilitatem pulsuum esse magis necessariam quam respirationis.

2 Adserere certius esse indicium ab urina sumptum quam a pulsu.

3 Adserere cor & arterias moueri tantum ex motu pulsus.

4 Adserere pulsuum genera esse quam decem pauciora cum Auerroe.

5 Adserere, ex repletione pulsum dilatari & nõ econuerso.

Confutatio dissentientium circa pulsuum doctrinam.

Ad primum Gale. de usu pulś. si respirationē cuipiam adimes, illico mortem afferes, at pulsu, si per multas particulas priues, non magnopere lædes, & sic maior erit respirationis utilitas, quam pulsuum, Præterea ex Hippocra. totum corpus est conspirabile atq; confluxile, Quare si non per arterias saltem certe per alia & potissimum per uenas &c.

Ad secundum Haly Abbas. 7. suæ practices inquit quod pulsus est præco uerus qui multa refert, Præterea id certius est quod ab operatione sumitur, quam quod ab exeuntibus, sed pulsus sumitur ab operatione igitur certior, Probatur etiam ex uulgari quodam carmine sic dicto. Vrinæ fraudes aperit discretio pulsus. Gale. primo de diff. respirationis, ca. 18. plus indicat pulsus quam ipsa respiratio & lib. de const. art. med. cap. 18. hoc idem affirmat &c.

Ad tertium Gale. 4. de difficul. pulś. probat de mente antiquorum non solum cor & arterias moueri motu pulsus, sed etiam per se sicuti etiam cerebrum, unde. 8. de usu partiū cap. de usu instrumenti odoratus, probat cerebri interiores uentriculos aerē se dilatando attrahere, & se constringendo expellere &c.

Ad quartum Phylar. de pulś. ca. 9. habentur genera pulsuū decem, quorum primum &c. & Gal. 1. de differen. pulś. decem etiam enumerat, igitur non pauciora quam decem.

Ad quintum Gale. de usu pulś. Inquit neq;. n. eo ꝙ impletur, idcirco dilatatur, uerum ex eo ꝙ dilatatur, impletur contra Erasistratum.

De signis repletionem indicantibus.

Plethora est succorum æqualiter se habentium exuperantia, Differtq; a cacochymia quum hæc uitiosorum humorum repletionem non referat, sicuti cacochymia, Plethora igitur

duplex est quo ad uires.s. altera quo ad capacitatem uasorũ, cuius signa sunt uasorum distentio, rubor, totiusq; corporis grauitas & in mouendis membris pigritia, cutis extensio, pulsuum plenitudo, uisus debilitas & somnia quæ grauitatem portendunt, Hæc nisi sanguinis mißione curetur, calorem natiuum strangulat.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gal. 13.meth.ca.6.ubi autem æqualiter inter se succi adaucti sunt, id & plethos & plethoram Græci uocant, nos succorum plenitudinẽ siue redundantiam dicimus, ubi uero flaua bile uel nigra uel pituita, uel serosis humoribus refertum corpus fuerit cacochymiam .i. succorum uitium dicimus, & lib.de plenit.ad finem, Plenitudo est copia humorum in uniuerso animalis corpore, & paulo post, Quid inter sit inter cacochymiam & plethoram apertiori sermone demostrat.

Gal.lib.de plenit.inter indicia, uenarum tumorem, ac earũ tensionem, ruborem corporisq; grauitatem & in mouendis membris pigritiam, memorat, itidem meth.9.cap.5.obstructione distentionem tumorem ruborem, in ea que ad uasa refertur repletione recenset. Auice. secunda primi doct.tertia, cap.6. Repletio secundum duos modos existit, est.n.repletio secundum foramina, & est repletio secundum uirtutem, repletio secundum foramina est ut sint humores & spiritus in qualitate boni, sæd in quantitate sui sint superflui, ita ut foramina impleant & extendant, repletio secundum uirtutem, est ut humores sui quantitate non noceant, sed sui qualitate, de duplici hac plenitudine habes ex Gale. lib. de plenit. & meth.9.cap.5.&.10.eiusdem lib cap.ult.

Hippoc.aphoris.1.aphor.3.Habitus exercitatorum qui ad summum bonitatis attingunt &c. ibi in commen.Gal.Nimia repletio inquit calorem natiuum extinguit &c.

Gale.meth.13.cap.6.Ergo plethora tum sanguinis mißione curatur tum frequenti balneo, exercitatione frictione & digerentibus medicamentis, uide fusius.3.& .6.de san.tuend.

Aut. erronei dissentientes circa plenit.indicia.

1 Adserere plenitudinem mensurari posse tantummodo ex ipsis uiribus.

2 Adserere plenitudinem tantum esse quo ad uasa non quo ad uires.

Confutatio dissentium circa plenit. indicia.

Confutat primum Gale.lib.de plenit.circa principiũ dum inquit, qui ex ipsis tantum uiribus plenitudinem metiuntur hi uidentur nunquam utres præter modum repletos uidisse, nec se etiam plusquam par est unquam impleuisse cibo ita ut uentriculus inde distenderetur &c.

Ad secundum Gale.loco nuper citato, itaque inquit subiecimus duas esse tum notiones tum relationes multititudinis, alteram ad robur uiresq; illius qui defert alteram ad eius qui suscipit capacitatem &c.

De signorum notitia uniuscuiusque humoris.

Sanguinis superabundãtiam indicãt, repletio grauitas capitis circa oculos oscitatio nausea laßitudo absq; labore, dulcedo in ore, rubor, & sanguinis a quocunq; loco facilis fluxus, indicant & temperies, uictus præcedens ætas consuetudo & insomnia circa res rubeas. Pituitæ indicia albedo, mollities frigiditas, sputi copia, sitis pauca, somnus multus, otium pigritia pulsus tarditas & quæcunq; de uictu & ætate & consuetudine indicare possunt. Bilis indicia sunt color flauus siue citrinus oris amaritudo, sitis copiosa narium ac linguæ siccitas pulsus crebritas nausea & uomitus biliosus & quæcũq; dici possunt de ætate temperie uictus ratione. Atræ bilis indicia sũt corporis macies, uigiliæ multæ, craßities ac nigra

do sanguinis, multa sollicitudo corpus nigrum fuscum pilosum insomnia terrorem inducentia in tenebris timor, similiter ætas consuetudo ars tempus, & uictus ratio præterita de atrabile indicant.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Faciunt ad sanguinis signorum probationem quæcunq; dicta sunt ex Galeno *lib. de plenit. circa principium, ut uasorũ distentio rubor, grauitas uniuersi corporis pigritia ad motũ membrorum tentio laßitudo, prior uita in otio, uictus ratio transacta & suppressæ euacuationes solitæ. Auic. secun. pri. cap. 7. sanguinis significationes cum dominantur, significationibus repletionis secundum foramina uicinæ existunt &c. Nam de singulis humorum signis ibi diffusæ per tractat. Dictum est etiam de his fusius de febribus, & ubi de humoribus pertractauimus, & de morbis a capite usq; ad pedes, nã ibi non solum de his sed de obstructionum flatuum abscessuumque signis aperte declarauimus.*

De artis curatoriæ diuisione.

Ars curatoria trifariam diuisa est, in διαιτητικὴν *.i. in uictus rationem in* φαρμακευτικὴν *.i. medicamentorum rationem, & in* χειρουργικὴν *.i. in eam quæ manu medetur. Prima, auxiliorum quæ digerendi apponendi & concoquendi facultatem habent, est administratio, confertq; non solum sanis, sed etiam omnibus ægris & maxime febricitantibus. Secunda est* φαρμακεία *.i. medicatio dicta, quæ nudis medicamentis interiores affectus & exteriores, in corporum cognitionẽ, et remediorũ naturam, diuisa, sanat. Tertia est quæ incisionibus ustionibus et oßiũ instauratione homines curat.*

Loci consentientes ex uera Medicina.

Cor. Cels. *lib. 1. cap. 1. Medicina in tres partes diducta est, ut una esset quæ uictu, altera quæ medicamẽtis tertia quæ ma*

nu medetur &c. Auice. quarta primi, Res medicationis ex uno trium rerum completur regimine potione & chirurgia. Gale. primo de uic. in morb. ac. commen. 6. de triplici hac diuisione etiam ipse loquitur. s. de dieta chyrurgia quæ per sectiones adustiones perficitur, & de pharmaceutica quæ per medicamenta perficitur, accusans priscos qui nihil de uictus ratione scripserint. Gal lib. finit. med. Medicina uictus institutrix est quæ in sanis atquæ ægrotis rationi uictus instituendi studet. Gale. de art curat. ad glauc. cap. 1. Ars curatiua qualitate & quantitate singulorum medicaminum perficitur. Et lib. de constitu. artis med hæc ars in duo capita redacta est, in corporum nempe cognitionem atque ipsam remediorum naturam. Gal 4. meth. cap. 1. unum esse morborum genus ipsam quoque continuitatis solutionem diximus, hæc in animalis fere omnibus partibus incidit &c. ubi docet quibus curandum sit intentionibus &c. de hac plura quum de chirurgia dicemus.

De uictus diuisione in genere.

Victus ratio sumitur uel a ratione morbi tantum, uel a ratione uirium ægrotantis & materiæ morbi simul, uel a ratione temporum anni, ætatum, uel a ratione suæ quantitatis uel qualitatis, aut in uniuersali, uel in particulari.

De uictus ratione in morbis.

Morbus uel per acutus est, uel acutus uel longus, in per acuto qui in quatuor diebus iudicatur, uti oportet tenuißimo uictu, sicuti melicrato, ratio est quia totus hic morbus status est, Idcirco in statu tenuißimo uictu utendum est, præcipue si uires consentiant, in longo pleniori uictu ut ouis alica piscibus, sed non eodem quo insanis modo utendum, in acuto uero tenui, ut ptisanæ succo, Quare duo in uictu duo extrema dantur, Primum ꝙ sit uictus tenuißimus, Secundum ꝙ

ſit craßißimus, mediat uero inter hæc tenuis, ratione igitur ſtatus morbi ſemper uictus ratio inſtituenda eſt.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Gal. aphoriſ. 1. commen. 12. Nam morbus uel eſt acutus uel per acutus uel longus & quando maxime &c. Hippoc. *aphoriſ. 1. aphoriſ. 4. Victus tenuis atq; exquiſitus, in morbis quidem longis ſemper, in acutis uero in quibus nõ conuenit, periculoſus. Gal. in commen. nunc dixiße ſufficit, ut in omnibus morbis, quibus morbi uigor & iudicatio primis quatuor diebus futura ſit, modo natura ſit fortior, integram inediam ſeruare debemus, in quibus uero non ultra primam ſeptimanã protahantur, forti exiſtente natura ſolo utendum eſt melicrato, ſolus autem hic tenuißimus uictus eßet, non tamen in extremo &c. & poſt hæc uictum tenuem appellat ptiſſanæ hordeaceæ ſuccum, & plenum uictum qualis qui ſit per oua & alicam & piſces. Quod uero morbus per acutus totus ſit ſtatus,* Probatur *ex aphoriſ. 7. primi lib. ubi inquit* Hippoc. *ubi morbus per acutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuißimo uictu utendum eſt ex quo aphoriſ. probatur etiam ꝙ ratione ſtatus morbi inſtituendo ſit uictus ratio. Si uires cõſentiant notanter dictum eſt, nam* Gal. *aphoriſ. 1. commen. 9. inquit, Quod ſi in ipſo morbi uigore aliquis caſus interuenerit, naturæ robur dißoluens, nutrire cogimur. Quod uero in longo morbo, pleniori uictu utendum. Gal. loco nuper citato, cum morbus conſiſtit uictu tenuißimo oportet uti, in alijs morbis qui ſuum uigorem ſunt poſterius accepturi non licet afferre ſtatim ab initio tenuißimum uictum, nam prius homo morietur quam morbus in uigore conſiſtat, &c. Auic. 4. can. de cib. feb. ſi uideris ægritudinem cronicam, aut propinquam cronicæ non ſubtilies regimen &c.* Obiectio.

Quum morbus non poßit cognoſci, an ſtatum habere de

beat, in quarta, uel in ſeptima. Quomodo inſtituendus erit uictus?

Reſponſio.

Vera præcognitione ſtatus morbi non cognoſcitur, ſed iuxta æſtimationem, quæ proxima eſt ueritati præcognoſcitur ex qua tunc uictum ordinamus. Nam Gal. de uirium robore primo aphoriſ. commen. 12. idem refert eſſe coniecturandum.

De ratione uictus a uiribus & a materiæ morbi.

Victus uel reſpicit uires tantum, uel materiam morbi tantum, ſi ſolum uires tunc uictus plenus conuenit, ſi ſolam morbi materiam tunc nullus cibus conuenit, quia cibare prohibet naturam in morbum agere, Hac ratione duo erunt uictus extrema, quorum alterum ſolam uirtutem conſeruat & auget, & talis uictus erit ſanorum, alterum ſolum uirium robur in materiam excitat & talis uictus erit morbi per acutiſſimi, in quo pene nihil datur, Medium uero inter hæc extrema duplex erit, uel maiorem uirium partem ſeruabit & minorem partem in morbum excitabit, & talis erit uictus craſſus qui in longis morbis conuenit, aut minorem uirium partem ſeruans, maiorem in morbum reijcit & talis erit uictus tenuis qui in morbis peracutis inſtituitur, Aut tantum uirtuti quantum morbo tribuit, & talis uictus eſt mediocris qui in morbo acuto exhibetur, Si igitur uires ſint debiles & humores pauci & corrupti, parum & ſæpe cibandum, ſi uires debiles & humores temperati uel abundantes parum & raro, ſi uires multæ humores pauci non corrupti, multũ ſæpe, ſi uires multæ & corpus plethoricum, paucum raro.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Gale. aphoriſmorum primo commen. 11. Totius morbi uictus rationem in unoquoq; morbo, a duabus intentionibus iuſſit aſſumere, ex futuro totius morbi uigore et ex uiribus ægro

tantis &c. Hippocra. aphoris. 1. aphoris. 9. coniectari autem oportet an æger cum uictu sufficiat perdurare, ubi de uictu quo ad uires intelligit Hippocra. Gale. in eodem commen. est autem hæc intẽtio uis ipsa ægrotantis, cuius gratia nutrimus, neq; enim morbi causa: igitur ratione morbi nullus cibus cõuenit. Auic. prima quarti, cap. 8. et scias quod si non esset illud quod pertinet uirtuti, esset magis necessarium, ut subtiliaretur cibus ultima subtiliatione, sed uirtus nõ suffert &c. Gal. aphorismo. 1. commen. 4. In sanis corporibus semper oportet naturæ robur seruare, uel augere alimentis non demoliri, est autem augere potens alimentum quod plenum uocatur, conseruans quod modicum existit, quod uero cominuit tenue, igitur dantur duo uictus extrema, alterum augens uires, alterum in quo nihil datur. Et in eodem commen. Magna uero ex parte properamus in longis quidem morbis fouere uires in acutis uero parũ debilitatas conseruare, igitur si fouere uires uolumus uictu crasso utemur, & sic partem maiorẽ uiribus condonabimus & minorem in morbum concitabimus, & sequitur in textu, in acutis si uires sint parum imbecilles conseruamus, igitur non minus uiribus quam morbo dabimus. Auic. cap. citato, nam si ægritudo fuerit ualde acuta & uirtus non deficiat usque ad statum, tunc eam incitabis super materiam, & non facias eam occupari in cibo spisso, imo subtilia regimen statim cum dimissione cibi omninino, igitur minus dandum est uirtutis, & talis uictus erit tenuissimus. Gale. aphorismo. 1. commen. 17. Nam si sæpius aut raro siue omnino nutrire oporteat ab ægritudine & uiribus primum maxime accipitur, post hæc autem singula recitat quæ a me prius enarrata sunt, ut si humores corrupti et uires debiles sint, parum & sæpius cibandum &c.

De ratione uictus per ætates.

Aetas puerili minus inter alias ætates inediam ſuſtinet, Deinde qui in ætate conſiſtente ſunt, poſt hos decrepiti, Senes uero qui nondum ad extremam ſenectutem peruenerunt facillime inediam tollerant. Nam pueri ob id quod creſcunt, plurimum innati caloris obtinent idcirco plurimo indigent cibo, ſenibus uero parum caloris ineſt quam ob rem paucis egent fomitibus, medio modo ſe habent qui inter has ætates conſiſtunt.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Hippocra. aphoriſ. primo, aphoriſmo. 13. Senes facillime ieiunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem coſiſtentem habent, minus adoleſcentes, omnium minime pueri præſertim qui inter ipſos ſunt uiuidiores, & hoc probans inquit, Qui creſcunt plurimum habent calidi innati plurimo igitur agẽt alimento alioqui corpus abſumitur &c. Auice. quarta pri. cap. de cib. febri. omnis cuius calor innatus fortis eſt ualde, aut plurimus, aut calor innatus eſt debilis ualde, non poteſt dimittere cibum &c. Gale. primo aphoriſ. commen. 14. Omne id eget alimento, cui plurimum ex corpore defluit, ſed humidioribus & plus aeris participantibus plurimum defluit, igitur plurimo egent alimento, quare pueri quum humidiores & aerei ſint, plurimum cibum expoſtulent. Senes uero et iuuenes ſicci & terreſtres non ſic reſoluuntur idcirco ieiunium facile ferunt.

De ratione uictus ex temporibus anni ſumpta.

Conducunt anni tempora mirum in modum ad uictus rationem inſtituendam, nam in hyeme plus dare expedit quam in æſtate, ſiquidem hyeme calore innato ad interiora ſe recipiente cibi facilius concoquuntur, cõtra uero in æſtate ad exteriora ſe protendente non fit tam ualida concoctio, Quare

minus dare conueniet, in æstate igitur sæpe & pauca exhibeantur, in hyeme raro & multa, in uere, raro & pauca, in autumno similiter sumpta a roboris uirium indicatione, si uires ualidæ sæpe & multa, si uero imbecilles, pauca & sæpius offerimus.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Hippoc. pri. aphoris. aphoris. 15. Ventres hyeme & uere, natura calidißimi sunt, & somni longißimi, Quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. Et enim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egeat alimentis indicio sunt ætates & Athletæ. Gal. in commẽ. huius aphoris. Non parum inquit conducunt anni tempora ad uictus rationem inueniendam. Nam hyberno tempore plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt, contra in æstate &c. Hippoc. aphoris. 1. aphoris. 18. Aestate & Autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime secundum locum uer habet &c. Hippocra. aphorism. 1. aphoris. 17. Et quibus semel & bis, & quibus plura ne cur pauciora particulatim oporteat afferre considerandum, condonandũ est aliquid tempori ætati & consuetudini. Gal. in commen. huius aphorismi, a tempore & ætate & alijs quæ sunt proportionalia uictus accipitur hoc modo æstiuo tempore, quantum ad temporis rationem attinet sæpius & pauca danda sunt. Hyberno tempore ob uirium robur multa sed raro &c.

De uictus ratione a ciborum qualitate sumpta.

Quæcunq; præter naturam sunt, contrarias in uictus ratione indicationes expostulant. Quæ uero secundum naturã sunt, similes. nam morbus calidus & siccus, cibum frigidum & humidum expostulat, calidus & humidus frigidum siccũ frigidus & siccus calidum & humidum & sic de reliquis, similiter similia similibus conseruantur seruata tamen quanti-

tate & qualitate eadem inter se.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Hippo.apho.1. aph.16. Victus humidus omnibus febricitãtibus confert, maxime uero pueris & alijs qui tali uictu uti consueuerunt. Gal.in commen. *primum qualis sit adhibendus uictus febricitantibus mostrat, Deinde q̃d uictuũ* υγιαινοντων *indicationem ijs quæ præter naturam sunt contrarias, in ijs uero quæ sunt secundum naturã similes facere oporteat &c.*

Gal.8.meth.cap.9. *Dictum sæpe numero est, id quod secundum naturam est similis semper postulare, quod præter naturam est, contraria, siquidem quod naturaliter se habet, custodire, quod præter naturam est tollere oportet, Porro febris præter naturam est, ideoq; uictus rationem frigidam & humidam exigit &c.*

De uniuersali ac particulari uictus ratione.

Vniuersalis totius uictus ratio est quæ ad duos medẽdi scopos ad morbi s.uigorem & ad ægrotantis uires respicit, sed particularis est quæ morborum accessiones in cibando cauere studet, ita ut nec quando accessiones adsunt, nec futuræ sunt, quicquã exhibeatur, cauendo tamen ea interim quæ inediam ferre non possunt, corpora, nam et in ipso febris principio cibanda sunt.

Loci consentientes ex uera medicina.

Gal.aphor.1.aphoris.11. *Totius uictus rationem a duabus intentionibus ex totius morbi uigore & ex uiribus ægrotãtis assumere iussit, Quod autem quispiam particulatim cibũ afferat conuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubẽs morborum accessiones.* Et commen.12. *Totius uictus figuram ad duas respiciens intentiones faciebat, quarum altera uis ægrotantis, altera constitutio morbi, particulares autem oblationes ex accessionibus coniecturabatur &c.*

Hippocra. aphoris. 1. aphoris. 11. In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare, nocuum & quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipso accessione abstinere oportet.

Auice. quarta primi, cap. de cib. feb. Et de corporibus sunt corpora cholerica, quæ requirunt regimen diuersum ab illo quod diximus. Ipsi. n. quum non cibantur in ipso febris principio, aut in hora status quæ est prauior, tunc non uacuæ sunt dispositiones eorum a duabus rebus, nam si sunt debilium uirium, superuenit syncopis, & moriuntur in paroxysmo, si uero fortium uirium cadunt in extenuationē. igitur hæc corpora cauenda sunt, quæ ferre inediam non possunt. Gale. meth. 10. cap. 5. Al quos uero eorum cibabis et quum inuasura adhuc est febris & quum incipit, sint porro hi sicco ac calido temperamento &c.

Autores erronei dissentientes circa rationē uictus.

1 Adserere, plenum uictum in omnibus morbis conuenire.
2 Adserere, tenuem uictum in omnibus morbis esse pleno præferendum.
3 Adserere, uictum plenum ut crassum in diuturnis morbis non esse necessarium.
4 Adserere, uictum tenuißimum in nullis morbis esse exhibendum.
5 Adserere, uictus scopum, summi tantum debere a uiribus non a morbo.
6 Adserere, esse incipiendum a tenuiori uictu in principio morbi & procedere ad pleniorem.
7 Adserere, qualitatem & non quantitatem esse tantum modo considerandam, & e conuerso.
8 Adserere, in febribus, carnem præsertim delicatis non esse præbendam.

Confutatio dissentientium circa rationem uictus.

Ad primum, Hippoc. aphoris. 1 aphor. 7. Vbi morbus per acutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo uictu utendum, igitur plenus uictus in omnibus morbis non conuenit, Gal. præterea hoc ipsum attestatur in cõmen.

Ad secundum Hippo. aphor. 1. aphor. 4. Victus tenuis atq; exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis uero in quibus nõ conuenit periculosus, igitur in omnibus morbis pleno non est præferendum. Præterea Gal. in hoc comẽ. In sanis seruandum robur uel augendum monet, in ægris raro augendum, in longis morbis conseruandum, in acutis mediocriter debile seruandum, Quare sicuti in acutis tenues, ita in longis plenus erit præferendus.

Ad tertium Hippoc. aphor. 1. aphor. 7. tantum cibi indulgendum est quanto morbus extremis mollior est, Gale, in commen. præcipit tantum a uictus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit, igitur quanto tardiorẽ fere morbi statum iudicabimus tanto magis craßiori uictu utemur.

Ad quartum Hippoc. aphor. 1. aphor. 6. extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt, ubi Gale. inquit Hippocra. præcipere exquisitißimam curationem & uictum pariter adhiberi tenuissimum, igitur uictus tenuis in his morbis erit exhibendus.

Ad quintum Gal. 1. aphor. commen. 12. Cum igitur tres essent intentiones ad perfectam & indeficientem uictus rationem. Prima quidem sumpta ex uiribus ægrotantis. Secunda ex morbi constitutione. Tertia ex particularibus acceßionibus assumi debet, &c. igitur non tantum a uiribus quantum a morbi constitutione, scopus rationis uictus assumi debet.

Ad sextum Gale. aphoris. 1. commen. 7. In morbis qui sunt suum uigorem posterius accepturi, non licet ab initio afferre tenuißimum uictum. Nam prius homo e uita migraret, quam

morbus in suo uigore consistat.

Ad septimum Hippoc. aphor. 1. aphor. 9. Coniectari oportet an æger cum uictu sufficiat perdurare &c. & aphoris. 13. Senes facillime ieiuniunt tollerant &c. & aphoris. 15. Ventus hyeme & uere natura calidißimi &c. In omnibus his locis loquitur de quantitate uictus instituendi, quæ a uirtute ab ætate a tempore sumenda est, igitur quantitas est consideranda. Et particulariter Gale. 1. de art. cur. cap. 9. quantitas cibi tanta sit, ut bene concoqui ualeat, de qualitate iam dictum est superius.

Ad octauum Gal. 1. de art. cur. ad glau. cap. de feb. tertiana concedit ex piscibus saxatiles ex uolatilibus quæ molli carne consistunt, ita & gallorum testiculos & suum pedes & cerebra præsertim delitiosis.

De parte Pharmaceutica.

Medicatio bifariam diuisa est in euacuationem & in alterationem euacuatio fit multifariam uel per sectionem uenæ per clysteres per urinas per secessum per sudores per diuersionem & deriuationem per menstrua per hæmorrhoidas per nares per palatum. Alteratio uero erit duplex uel secundum qualitatem uel secundum locum, alteratio secundum qualitatem nihil aliud est quam mutatio eius quæ prius fuit qualitatis, mutatio uero secundum locum non alteratio dicitur, sed potius latio, quæ est prioris loci mutatio, alterationis uero species concoctio existit.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Indicatio huiuscemodi est euacuatio & alteratio inquit Gale. in art. med. cap. 89. Euacuationes uero fiunt & per sanguinis mißionem & clysteris usum & per urinæ uias atque eam quæ fit per cutem transpirationem, ac per eam quæ fit ad partes oppositas attractionem & ad alias propinquas deri-

uationem &c. Gale. primo de naturalibus fac. cap. 1. Nec ea modo quæ in colore & sapore motantur alterari dicimus, sed si quid ex calidiore fit frigidius & e contra, nam commune nomen alteratio est, at genus aliud est in corporibus quæ situm mutant cui latio nomẽ est, hi duo motus sunt simplices. s. alteratio & latio sed compositi, ex quibus alteratur substantia, sunt diminutio auctio generatio & corruptio &c. Vide etiam de his secundo meth. & primo de loc. aff. Quod uero alterationis species sit concoctio uide Galenum in arte. med. cap. 89. & fusius secundo, & tertio de nat. fac.

Quomodo alteratio concoctio & humorum præparatio ac digestio inter se differant.

Quid sit alteratio iam dictum est, Concoctio uero duplex est, altera quæ penes alimẽta perficitur, & est mutatio in propriam eius quod mutatur qualitatem, altera, quæ improprie maturatio dicitur,. est quedam in concoquentis substantiam eius, quod concoquitur deductio, unde concocta etiam dicuntur, quæcunq; a natura euicta sunt, cruda uero quæ nondũ euicta. Digestio uero est ueluti quædam alimenti distributio. Nam Græci αναδοσιν .i. cibi distributionem per totum corpus a natiuo calore facti dicũt, interdum sumitur digestio pro discußione excrementorum seu pro segregatione, quæ a facultate expulsoria & attractoria perficitur, unde a concoctione differt in particula. Differt etiam quia concoctio ad digestionem præ ire solet, uel quia a diuersis facultatibus utraq; fit. Alteratio autem quum sit humorum in qualitate mutatio quo modo ab his differat, iam notum est. Solum enim in ijs morbis alteratio conuenit, qui non amplius ab aliqua causa fouentur, sed tantum contrarijs remedijs indigent ut hæctica et diaria febris, & hæc perficiuntur absq; concoctione digestione

& præparatione, quid autem ſit præparatio uide de obſtru-ctione ſuperius.

Loci conſentientes ex uera Medicina.

Gal. 2. de fac. nat. ca. 4 Concoctio eſt alteratio quædã ac nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur mutatio ſimiliter. 1. de nat. fac. cap. 4. & . 7. & . 8. eiuſdem libri aſſerit. Quod uero concoctio ſignificet maturationem uideri poteſt aphoriſ. 1 commen 12. unde Gale. ſi aliqua fuerit inflammatio cum tanta meatuum anguſtatione, ut nihil extra effundatur, neceſſe eſt illam eſſe & concoctu difficilem & longo tempore perdurare, ubi terminos concoctionis paulu inferius docet. Nam crudiſsimus inquit morbus eſt in quo nihil expuitur, Secundus in quo ſanies tenuis eſt, Tertius in quo craßior, Quartus in quo perfectam habet concoctionem. i. maturationem, Vide tamen etiam Gal. de hac maturatione, Secundo de uictu in morb. ac. commen. 45. fuſius loquentem. De digeſtione Gale. 6. de ſympt. cau. cap. 2. Igitur alimenti per corpus digeſtio Græci anadoſim uocant, inter naturalia opera numeratur quum ex uẽtriculo in iecur, atq; ex hoc in uniuerſum corpus, alimentum digeritur & ſic digeſtio ſumitur pro diſtributione. Gal. 3. pronoſt. commẽ. 23. in fine commen. humores tenuiores, ac calidiores ad excretionem parati ſunt, craßi uero & crudi ad abſceſſum uel ad digeſtionem, porro idipſum ut per concoctionem medeatur, excretio quædam eſt, quæ ex urina plerunq; raroq; per aluum efficiatur. Quod concoctio præcedat digeſtionem ſiue ſegregationem hoc habes ex primo aphoriſ. commen. 22. ſiquidem inquit Gale. ante concoctionem non medicari oportet, nam poſt concoctionem, natura euacuationi adminiculans humores diſcernit & ſuperfluitates expellit, quare concoctio ad digeſtionem præcedit præterea Gale. aphor. 4. commen. 22. Quando aliquis morbus inci-

pit si quid excernitur, nihil excernitur tunc naturæ rationæ, quia tunc a causis morbum facientibus grauatur, & cruditas humorum adest, tunc aliquid bene euacuari est impossibile, si quidem oportet concoctionem præire subsequi uero discretionem deinde euacuationem &c. Gale.meth.11.cap.9. Quum dictum sit contrariorum contraria esse remedia, Quid uetat omnibus febricitantibus, frigidam uno ordine exhibere, nam ostensum est ipsius febris prout febris est aquam frigidā semper esse remedium, quod uero ad alia spectat, non semper.i. febris prout calor est frigido indiget.i. alterari ad frigidum, sed ubi alia fuerit causa quam calor, non alteratione, sed & præparatione indigebit &c. Obiectio.

Quum quis dixerit excrementum crudum uel concoctum de qua concoctione intelliget, præsertim si tale excrementum mutatum, nutrire non ualeat? Responsio.

De uniuersaliori significato intelliget, nam Gale.2. de uic. in morb.ac.commē.45. Generali inquit concoctionis significato utimur, quum uel catarrhum uel coryzam, uel fluentes ex his humiditates, uel eas quæ ex oculis manant aut crudas aut coctas esse dicimus, quæ concoctio est, quum natura humores euincit.

Aut, erronei dissentientes circa digest. concoc. & humorum præparationem.

1 Adserere digestionem esse humorum alterationem.
2 Adserere concoctionem a frigidis fieri.
3 Adserere præparationem a digestione & a concoctione nō esse alienam.
4 Adserere humores calidos ac tenues nō præparatione prius indigere quam euacuentur.
5 Adserere humores crassos cum extenuantibus ac incidentibus esse maturandos & concoquendos.

Confutatio dissentientium circa concoct. & digest.

Gale. lib. finit. med. Digestio est concocti ac confecti & in sanguinem conuersi alimenti in corporis particulas omnes attractio quam natiuus calor molitur, igitur non humorum est alteratio. Obiectio.

Quum duplex sit digestio, altera alimentorum, altera humorum siue excrementorum, cur exemplum tantum affers de digestione alimentorum. Responsio.

Exemplum tantum adduxi de alimentis, quoniam digestio etiam excrementorum est ueluti segregatio, quæ non minus quam prima a calore innato perficitur, nec per alterationem, ut nonnulli putarunt conficitur, sed per ea quæ calorem innatum roborant.

Ad secundũ Gale. 3. de ratione uic. in morb. ac. commẽ. 29. concoctioni perpetuo calidum opitulatur confertq;, frigidum uero renititur & aduersatur. Obiectio.

Ergo biliosi humoris concoctio non fiet a frigidis.

Responsio.

Circa nomen deciperis, nam biliosi humoris non dicitur concoctio, sed potius alteratio quæ nullo pacto uel concoctio uel digestio dicitur, nam flaua bilis nec atra in sanguinis substantiam redire possunt teste Gale. 2. de uictu. in morb. ac. commen. 31. sed in contrarium alterari, nisi forte pro digestione uel concoctione intellexeris a natura euinci, quæ euinctio dici potest maturatio siue imperfecta concoctio.

Ad tertium, Quæcunq; fiunt a diuersis causis inter se sunt aliena, sed præparatio concoctio & digestio fiunt a diuersis causis, ergo sunt inter se aliena, quod uero fiant a diuersis causis probatur, nam concoctio & digestio fiunt a natura, Præparatio autem tantum ab arte.

Ad quartum Gale. 1. de sanit. tuend. circa finem, Quod si

uel craßitudinis uel abundantiæ, uel lentoris excrementorũ uitio meatus obstructi sũt tenuatoria uictus ratio his cõpetit.

Obiectio.

Non possum capere quo pacto in humore tenui præparatio fieri debeat, quum huic humori nec incisio nec alia præparatio competat, sed ratione sui poßit euacuari?

Responsio.

Præparatio quatuor in partes diuisa, est Quarum prima est crassorum humorum præuisio siue extenuatio, Secunda est meatuum obstructorum reseratio, Tertia est quæ humectãtibus ac laxantibus, ut puta quiete & alimentis & balneis perficitur de qua loquitur Hippocra. aphor. 4. aphor. 13. ubi iubet ante epotum ueratrum corpus præhumectandum esse cibis balneis & quiete, Quarta est humorum multitudinis obstruentis ac omnia uasa replentis apertio. Quare dicimus si non ratione humoris crassi, uel ratione meatuum obstructorum siue a craßitie siue a copia, saltem ob eam quam nobis mostrauit Hippocra. ut mollius corpus reddamus, præparationem molimur.

Ad quintum, Quæcunq; maturantur coguntur ac incrassantur, teste Gale. 4. de ratione uict. in mor. ac ubi inquit, Necesse est, quæcunque concoquuntur ac euincuntur, cogi ac incrassari, igitur non extenuari nec incidi debent. Prætærea Gale. lib de totius morbi temporibus adserit, urinam, sputum, lippitudines & omnes humores qui a cerebro per palatum et neruos defluunt esse ab initio aqueos tenuasque quum uero temporis processu concoctionem adsumunt, craßiores euadere & pauciores & sic quæcunque maturantur craßiora euadunt, similis sententia habetur ab ipso Hippoc. pronost. 2.

De euacuatione per lectionem uenæ.

Venæ sectio, est uniuersalis euacuatio, quæ auctionem hu

morum super æqualitatem uenis exuberantium euacuat, uerū est q, plenitudo non semper de sectione uene indicat, nam hæc ipsa ab humoribus crudis fieri potest, qui sectionem uenæ haudquaquam exposcunt. Indicatio sectionis uenæ sumitur a magnitudine morbi, a uirium robore, considerata tamen ætate puerili uel senili, & aere nos ambiente calido uel frigido. Sumiturque indicatio ab ipsa patientis temperie, ab habitu totius corporis, a loco habitationis ab anni temporibus. Fit sectio uenæ, ob duas causas, aut quia sanguis inutilis est & suam qualitatem non seruans nutrire non ualet, aut quia uires præmit aut uenas & arterias distendit findit & obstruit. Tempus incisionis erit, si fieri potest, a principio morbi, si minus, dummodo morbus sectionem requirat, nullus dierum numerus erit considerandus, sed usque ad quatuor dies erit factitanda sectio. Quantitas extrahendi sanguinis erit quousq; color mutabitur, aut uirium robur sustinebit, & in uirium imbecillitate aut dimittenda est, aut partiri expediet. Venæ secandæ sunt in capitis paßionibus exteriores, a collo infra interiores, a renibus infra quæ per malleolos ac poplites decurrunt.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Auice. quarta primi, cap. de phlebot. Phlebotomia est euacuatio uniuersalis quæ multitudinem euacuat, multitudo est augmentum humorum super æqualitatem ipsorum in uenis. Gale. de cur. rationem per sang. mißionem si infesta sit degrauans plenitudo, haud semper sanguinis mollienda detractio est, cuius rationem paulo inferius reddit. Auic. loco allegato itidem asserit, inquiens & debes scire q, quotienscunque fuerit plethora non debes phlebotamare, quoniam repletio quādoque ex humoribus crudis fieri potest, quod si minueris non maturabis eos & timebitur ne æger perdatur &c.

Gale. de cur. ratione per ſang. miſſ. cap. 20. Scopi in mittendo ſanguine ſunt morbus ingens roburque uirium excepta ætate puerili, & aere nos ambiente ualde calido. Et cap. 13. eiuſdem lib. Morbi itaque magnitudo cum uirium robore primi erant mittendi ſanguinis ſcopi. Idemq; aſſerit meth. 4. cap. 6. & meth. 9. cap. 5. Itidem quarto de ratione uict. in mor. ac. commen. 24. ſimiliter Hippoc. eodem lib. cap. 19. atteſtatur. Gale. de cur. ratione per ſang. miſſ. cap. 13. Deinde conſiderandum quæ ſit naturalis hominis temperies, nam quibus amplæ ſunt uenæ, quiq; modice graciles ſunt nec candidi nec tenera carne præditi copioſius euacuabis &c. & meth. 9. cap. 17. enumerat conſuetudinem ætatem locum habitationis anni tempus & laborantis uires. De tempore ſectionis habetur Galeni textus de opt. ſecta ad Thraſyb. cap. 37. Pleruncque inquit remedia, ut purgationem & ſanguinis mißionem adhibemus quum morbus quidem non adeſt, ſed futurus timeatur, & paulo inferius, age enim inquit in decremento inunctio cataplaſma & cibus adhibetur, & iſtorum cuiuſque eſt proprium tempus, ſed in initio ac morbi incremento ſanguis mittitur. Et de cur. ratione per ſang. miſſ. non numero tantum animaduertes, quod quidam faciunt, ſed & corporis habitui, nam ſunt qui ſeptuaginta annos nati ſunt & ſectionem perferant. Gale. 9. meth. cap. 11. Sanguis inquit naturæ inutilis fieri poteſt bifariam uel ſui qualitatem non ſeruans ut amplius nutrire non poßit, aut uires premat aut uenas & arterias diſtendat findat & obſtruat. Gale. de cur. ratione per ſang. miſſ. cap. 20. Igitur uniuerſim hoc ſciendum in ſanguinis mißione dierum numero haud attendendum & cæte. & paulo inferius, Quocunque die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto etiam ſi is uel uigeſimus ab initio extiterit.

Et Auice. quarta primi cap. de phleboto. non attendas quod quidam dicunt q; non est bonum post quartum diem, ut fiat phlebotomia, quoniam bonum est, ut fiat etiam si fuerit post quadraginta dies. Hippocra. 2. de ratione uict. in morb. ac. ca. 10. eo usque auferendus est sanguis donec rubidior multo, uel pro puro rubidoq; liuidus fluxerit. Similiter Auice. quarta primi, cap. de phleb. a coloris mutatione & a leuitate & laxitate pulsuum signum ponit, Almansor lib. 7 cap. de phleb. & Haly Abbas lib. 9. cap. de phleb. dicunt quod non debemus cōsiderare mutationem sanguinis nisi in calidis apostematibus ut in pleuresi, quod uerum est. Nam Gale. lib. de curandi ratione per sang. miss. cap. 14. inquit, In quibus iuxta sectam uenam phlegmone est ingens, optimum est sanguinis & in colore & consistentia mutationem expectare & cæt. Et paulo inferius non semper hæc expectanda est, sed antequam mutatio fiat, cessare conuenit tum ob infirmas uires tum ob phlegmones paruitatem. Gal. de curandi ratione per sang. miss. ca. 12. ubi multa euacuatione est opus, & uires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit. Et Auicen. cap. de phleb. cum phlebotomia fuerit necessaria cum debilitate uirtutis, partire phlebotomiam sicuti diximus. Gale loco allegato cap. 16. Igitur interior utilis est in his quibus inferiores collo partes patiuntur. Exterior uero in ijs quibus, quæ his superiores sunt ut facies & caput &c.

Aut. dissentientes circa sectionem uenæ.

1 Adserere sectionem uenæ, non nisi mane esse committendam.

2 Adserere obstructionem & putredinem esse causam mittendi sanguinem.

3 Adserere sectionem uenæ non competere, morbo non aßistente.

4 Adserere, in die iudicatoria sectionem uenæ fieri debere.
5 Adserere sanguinis detractionem uisum hebetare.
6 Adserere in plenitudinem sectionem uenæ semper esse perpetrandam.
7 Adserere fluente aluo esse mittendum sanguinem.
8 Adserere, nullum esse temporum anni discrimen in secanda uena.

Confutatio dissentientium circa sectionem uenæ.

Ad primum Gale. de cura. ratione per sang. miss. cap. 12. Quamobrem nec per noctem sanguinem mittere uerearis, siquidem ridiculum est quod quidam facti tanta secunda diei hora ad quintam aut sextam solum modo sanguinem mittentes, haud alio quouis tempore &c.

Ad secundum Gale. 2. meth. cap. 14. Nec obstructio nec putredo causa est mittendi sanguinem, sed succorum redundantia, nam nec obstructio nec putredo per sanguinis missionem curari possunt, ut quæ alia remedia desiderent.

Ad tertium Gale. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 37. plerunq; inquit remedia ut purgationem et sanguinis missionem adhibemus quum morbus quidem nõ adest, sed futurus timeatur.

Ad quartum Auic. quarta primi, cap. de phleb. Neque phlebotomia, neq; uentris solutio fieri debet in die motus ægritudinis, nec quum ægritudo est crisim habitura, sed si possibile fuerit quies est habenda, habes etiam in hoc aphorismum uigesimum pri. lib. ibi quæ iudicantur uel iudicata sunt &c.

Ad quintum Gale. de cur. ratione per sang. miss. ca. 7. sunt quidam imbecillioribus oculis aut scotomacis in quibus sanguis abundare dicitur, hos omnes euacuabis, uel medicamento purgante, si alij a sanguine humores sint, aut diminutione sanguinis & sic sanguinis detractio conuenit, nec hebetat, sed uiuidiores reddit.

Ad sextum Gale. 4. de uict. in morb. ac. commen. 19. Plethoria non semper sanguinis missione curanda, sed & frictione balneis multis abstinentia, faciunt etiam quæcunq; recitata sunt superius ex Galeno & Auic. ad hoc probandum.

Ad septimum Hippocra. 4. de uict. in morb. ac. cap. 118. si cuipiam sanguinem aufere confert, Ventrem confirmare oportet, & ita aufere &c. Et Gale. hoc in loco fluente aluo inquit sanguinem ne detrahes, ne perseuerando fluore uirtus prosternatur.

Ad octauum Gal. ad Glau. cap. 14. Qui omnino de temporum statu nihil cogitantes sanguinem abstulerunt medici, hos omnes interierunt, & quarto de uict. in mor. ac. commen. 19. si abunde aer calidus & siccus fuerit tunc a sanguinis missione abstinemus, etiam si morbus magnus fuerit & ætas florens.

De purgatione per medicamenta soluentia.

Purgatio est humorum qui sua qualitate molestant, euacuatio, ob id; purgans dicitur quia sanguinem ab excrementis purgat. Hæc purgatio ab ipso Hippoc. uocatur uasorum inanitio, ab euentu, nam omnia uasa inaniri euenit in omni euacuatione. Intentio euacuationis non solum humorem superabundantem respicit, sed & uires & naturam illius qui debet euacuari. Ad euacuationem quatuor requiruntur, Primum robur uirium, Secundum q; materia non sit crassa nec uiscosa, Tertium q; meatus non sint obstructi, sed aperti, Quartum q; nullum adsit apostema intrinsecum, nec illa sint extensa, nec materia sit in aliqua parte firmata, sed a natura sit euicta. Quantitatem purgantis medicamenti, quæ præberi debeat, ignoramus. Verum tantum medicamenti erit propinandum, quantum in plurimis mediocriter euacuari noueris,

non fiat igitur euacuatio nimia quoniam periculosa est. Qualitas uero medicamenti ea sit eligenda prout natura redundantis succi exposcit, nam si flaua bilis uel pituita abundet quæ flauam bilem uel pituitam educat. Tempus purgandi erit ab initio morbi si humores turgeant, si uero in aliqua parte firmentur uel crudi sint, eo usq; morandum in purgando donec a natura euincantur siue concoquantur, uel eo tempore euacuandum quo superfluitates natura expellere conatur, nam tunc ad id in quo natura deficit, supplere debet medicus. Tempus uero particulare erit ut purgationes in accessionibus morbi fiant per superiora & in remißionibus per inferiora. Si multa simul purgantia pharmaca miscueris fac sint congenera ut simul eodem tempore soluant, Vitandaq; est medicamenti insuauitas et eius uehementia moderanda, quãquã decem sint quæ in purgatione sunt consideranda, ut repletio uirtus complexio accidentia figura ætas tempus dispositio aeris & regionis consuetudo euacuandi & cæt.

Loci consentientes ex uera Medicina.

Gale. aphoris. 1. commen. 2. Euacuatio est humorum qui sua qualitate molestant purgatio. Et in lib. de purg. med. fac. purgans pharmacum ob id dicitur, quia a recrementis purum sanguinem reddat. Gale. aphoris. 1. commen. 3. Intentio quantitatis euacuationis non solum humorem respicit superabundantem, sed & uires hominis qui debet euacuari. Nam alij minus alij magis perferunt euacuationes. Idem etiam asserit aphoris. 4. commen. 2. Gale. aphoris. 1. commen 24. considerare oportet, nunquid æger idonee se habeat ad purgationem. Nam quicunque multa cruditate laborant, uel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt, & quibus, ὑποχόνδρια extenta atque inflata sunt, aut aliqua uiscerum adest inflammatio, omnes ij non sunt apti ad purgatio=

nem. Et aphoris. 1. commẽ. 3. in omni euacuatione uires ægroti oportet attendere, & donec laborans tollerat humorẽ exuberantem educere, quum uero dissoluuntur, etiam si remaneant superfluitates cauere oportet eorum euacuationem. Itidẽ Auice. quarta pri. cap. 5. asserit, Adiungit etiam q; fastidium habentibus molestæ sint purgationes. Gale. de cur. ratione per sang. miss. cap. 12. Quod laboranti præbendum sit medicamẽ, aut bilem tum flauam tum atram, aut pituitam aut serosum excrementum euacuans exacte nouimus. Cæterum quantum præberi debeat nescimus, similiter in lib. de sect. ad eos qui introducuntur, cap. 5. asserit. Et aphoris. 1. commẽ. 23. quantitatis euacuationis nullum habemus indicium nisi ex tollerantiæ facilitate. Gale. aphoris. 2. commen. 22. Euacuatio nimia morbum parit. Et Hippocra. aphor. 1. aphor. 3. sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt periculosæ. Et Auice. quarta primi, cap. 3. & scito inquit quod residuum materiæ dimittere, quod necesse erat euacuare, est minus nocuum quam exquisite euacuare, ibi etiam omnis euacuatio superflua secundum plurimum febres generat. De qualitate euacuationis Hippoc. aphoris. 1. aphor. 2. si talia purgentur, qualia purgari oportet confert & leuiter ferunt. Gal. in commẽ. sermo est de eorum qualitate quæ euacuantur, si igitur pituita superabundet, hanc omnino oportet euacuari, flaua autem bile uel atra infestante, demissa pituita, bilem euacuandum &c. Hippoc. aphor. 1. aphor. 22. concocta medicari atq; mouere non cruda, modo non turgeant, plurima uero non turgent. Et Gale. in commẽ. tales humores euacuare conuenit qui agitantur & de loco ad locum mouentur ac transfluunt, qui uero in aliqua parte firmati sunt, neque alio auxilio mouere oportet neq; medicari ante concoctionem, & paulo post, si natura mediocrius atq; imbecillius agat, id quod deficit oportet supplere, nam natura

expellente & medicamento attrahente humoris noxiſ euacuatio fiet. Et Auic. quarta primi, cap. 3. In acutis ægritudinibus maturationem expectare melius eſt quam euacuare præcipue ſi quietæ fuerint, Quod ſi moueantur ad euacuandum feſtina, nam impedimentum eius motus eſt maius quam ſuæ euacuationis. Gal. in lib. quos purg. oportet, Purgandi occaſio a temporibus morbi ſumuntur, ut puta purgationes in acceſſionibus per ſuperiores partes, in remiſſionibus per inferiores conueniunt. Gal. in lib. quos purg. oportet. Purgantia medicamenta ſi ſimul miſceantur congenera eſſe debent. i. eiuſdē naturæ ut eodem tempore ſoluant. Gal. lib. de comp. med. per genera purgantis medicamenti in ſuauitas ac eius uehementia moderanda eſt. Auice. quarta primi, cap. 3. Decem ſunt in euacuando conſideranda & enumerat omnia quæ dicta ſunt. Primum eſt repletio nam niſi repletio ſupponatur nulla opus eſſet euacuatione robur uirtutis, nam ubi uirtus deficeret inanis eſſet euacuatio, cōplexio, nam ubi nimis calida uel frigida foret non competeret euacuatio. Similiter accidentia uehementia prohibent euacuationem, ſic figura ſi ſit raræ texturæ, ne ſpiritus reſoluantur, ſic ætas nondum parata, ſic hora regioq; nimis calida uel frigida, ut ſeptentrionalis & meridionalis, ſic ars laborioſa euacuationem non admittunt. Et Gal. lib. de ſect. ad eos qui introducuntur, cap. 5. Euacuatio eſt plenitudini contraria & contraria contrariorum ſunt remedia, uerum uires ætatem tempus anni & regionem, & alia ante enumerata prius conſiderare oportet &c. & de feb. ad glau. cap. 14. ubi fuerint uigiliæ uehemētes aut dolor intenſus ægrotū infeſtans, cauendæ ſunt ſubitæ ac malæ euacuationes &c.

Aut. erronei diſſentientes circa purgationem.

1 Adſerere pharmaca non proprios humores attrahere.

2 Adſerere purgantia medicamēta a nutrimento nō differre.

3 *Adſerere nullo modo purgantia pharmaca in principio morbi eſſe exhibenda niſi materia turgeat.*

4 *Adſerere purgantium pharmacorum uſum etiam non ual de indigentibus eſſe proficuum.*

5 *Adſerere in die cretica nullo modo pharmacum eſſe præbendum.*

6 *Adſerere, pharmacum nulla habita de temporis anni ratione poſſe exhiberi.*

7 *Adſerere ob igneam caliditatem inferium principio eſſe uerenda pharmaca etiam ſi materiæ copia adſit.*

8 *Adſerere pharmaca purgantia æque omnes indifferenter humores purgare.*

9 *Adſerere, euacuationem optimam eſſe, ſi copia humorum peccantium extracta ſit.*

Confutatio diſsentientium circa purgationem.

Ad primum Gal. de elemen. 2. circa finem, Exeuntia oſtendunt quam proprium humorem quodlibet pharmacum attrahat, Quotieſcunq;.n. quis medicamentum hauſerit quod uim habeat bilem euacuandi, uomitu huiuſcemodi humorem eijciet, & paulo infra, Ex quibus licet manifeſte inferre q. unumquodq; medicamentum, cui uis purgatoria ineſt proprium attrahere humorem, hoc idem etiam aßerit primo de fac. nat. cap. 14. & de atrabile cap. 6. & 9.

Ad ſecundum Gal. 3. de nat. fac. cap. 7. Porro in hoc deſidet medicamentum a nutrimento, nam medicamentum uim corporis uincit, nutrimentum uero ab hac uincitur. Et. 3. de temper. cap. 2. At quæ quidem aßimilantur omnia nutrimenta uocantur, reliqua omnia medicamenta unde quatuor ſpecies medicamentorum enumerat. Prima quæ non mutatur a corpore, ſed corpus mutat ac uincit. Secunda quæ initium mutationis habet a corpore deinceps putreſcit & putreſcendo corpus

pus corrumpit ac putrefacit, & hæ duæ species medicamentorum uenenosorum sunt. Tertia est quæ corpus alterari facit, sed mali nihil infert. Quarta species eorum est quæ agunt & patiuntur aliquid, sed per spatium temporis uincuntur & aßimilantur & hæc sunt tam medicamenta quã nutrimenta &c.

Ad tertium Hippoc. aphor. 2. aphor. 29. Cum morbi incohant si quid uidetur mouendum moue, cum uero consistunt ac uigent melius est quiescere. Vnde Gal. in commẽ. ut mẽlius hoc eueniat melius est circa principium euacuare, quo minorem factam materiam, natura poßit facilius concoquere, unde hic de multitudine loquitur Gale. quæ euacuari in principio expostulat, Verum est q̃ etiam euacuatur in principio si humorum mala qualitas adsit, ut in pestilenti morbo uidetur. Nam Gal. 9. meth. præcipit in corruptela humorum cum uiribus imbecillis paulatim quod uitiosum est euacuare. Similiter quarto de sanit. tuend. sin inquit uires imbecilliores dehortantur sanguis haud mittendus est, sed deiectio mediocris adhibenda. Euacuatur quoq; in principio morbi si locus læsus urgeat, ut pleuritis aut si in aliquo alio principe loco materia decumbat. Nam Hippocra. 2. & 4. de uict. in morb. ac. tex. 76. si dolor sub thorace fuerit, & ualde infestauerit, pleuritico uentrem subpurgabis. Similiter Gale. in commen. si uehemens febris non sit hominisq; naturam noueris ad medicamenti purgantis potum te conferes &c. Euacuatur etiam maxime si uehemens dolor alicubi fuerit. Nam Gal. aphor. 1. commẽ. 23. In maximis doloribus nullum maius inueni remedium, quã usq; ad animi defectum euacuare &c.

Ad quartum Gal. aphor. 3. commẽ. 15. Euacuatio per purgãtia pharmaca ualde indigentibus & ex longo interuallo uix utilis est. Nam si quis uti uoluerit bis uel semel in mense, ueri

tus ne superfluitatum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem. Quãquam Gale. de pharmaco ualde purgatorio intelligat, sed uti solutiuis quæ sunt ueluti syliquæ ægyptiæ Manna Dactili indi quos tamarindos uocant, succus rosarum uiolarum Myrobalani Rheubarbarum & similia, non esset tam grande peccatum, Maxime si morbus fieret factus uel faciendus hoc Exposceret.

Ad quintum Hippoc. 4. de uict. in morb. ac. tex. 76. pharmacum exhiberi in quarta iubet, unde inquit si dolor ualde infestauerit, pleuritico uentrem subpurgabis, ueruntamen purgans medicamentum quarta die ministrabis & tribus primis diebus clysteres exhibebis. Et Gale. in commen. non tantum in prima, sed in tertia, & quarta se præbuisse pharmacum ait, uerum id nota quod ipse inquit, si minus dies iudicatorius expectetur quocunq; die hæc tuto præbebuntur &c.

Ad sextum Hippoc. aphor. 4. aphor. 5. sub cane & ante canem difficiles sunt medicationes. Vnde Gale. reddens rationem inquit, nam purgatio praua fiet quum calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei ad quam medicina ducit humores, ex quibus dictis Galeni collige duos motus contrarios esse in medicina uerendos.

Ad septimum Gale. 9. met. cap. 5. In quo morbo adest humorum abundantia & calor uehemens ibi est inter ipsa sanandi remedia discrimen, ut si abundantiam euacuare uelis febrem augeas, si febrem refrigerare abundantiam moreris & in hac consilij inopia deuenerunt qui statim ab initio non euacuarunt &c.

Ad octauum Gale. de atrabile cap. 6. At si uerum esset omnes humores qui in uasis continentur, alteratos quidem a medicamento pro illius facultate æque euacuari, simile utique

fuerit auxilium ab aliquo horum medicamentorum purgari & secta uena exinaniri, Cur igitur ὑδραγωγα, *hydericis exhibemus, quum liceat uena secta sanguinem euacuare, similis quoq; sententia habetur eodem in lib. cap. 9.*

Ad *nonum* Hippocra. *aphoris. 1. aphor. 23.* Deiectiones *nõ multitudine sunt exstimandæ, sed si talia deijciantur qualia cõueniunt, & ægri facile tollerant.* Vnde Galc. *in cõmen.* Qua*re non promptam eorum quæ euacuantur quantitatem oportet attendere, sed duas quæ dictæ sunt significationes si qualia oportet euacuentur, & si facile tollerant.*

Obiectio.

Antequam pharmacum soluat erit ne dormiendum? Aut si solutionem tardauerit, erit ne aliquid ultra exhibendum?

Responsio.

Auic. quarta primi, cap. 5. respondet tuæ obiectioni inquiens, si medicina sit fortis super eam dormiat, alioquin natura medicinam digeret nec illico se mouere debet, sed cum sedata fuerit anima ambulet & moueatur.

Ad secundam Auic. si solutionem prolongauerit bibat hydromel uel supponatur clystere, cauendo tamen ne duas medicinas uentrem soluentes in una die coniungas quoniam timorosum æst & extra rectitudinem iudicij & cætera.

De Reuulsione Deriuatione & euacuatione & quæ earum præcedat in curatione.

Tria sunt eductionis genera ac immodicæ uacuationis communia remedia reuulsio scilicet deriuatio ac euacuatio, reuulsio quam Græci αντισπασιν *dicunt, est in ijs præsertim, quæ adhuc influunt semper in contrariam partem auersio, cuius differentiæ locales sunt octo, prout in capite de cephalea & hemicrania demostrabimus, at deriuatio siue* παροχετευσις *est in his præcipue fluxionibus quæ sibi aliquam se-*

dem occuparunt, in partem uicinam deductio, Vacuatio uero quam κένωσιν dicunt, est humorum qui in aliqua sede, seu in toto corpore molestant, inanitio, in materia igitur fluēte primum est molienda reuulsio, in iam fluxa & in certa sede contenta, deriuatio, sed ubi in aliquo membro iam dudum firmata est, corpore primum plene expurgato, ipsa uacuatio perpetranda est, reuulsio igitur fiet κατ'ἴξιν ex loco remoto. Deriuatio ex proximo, uacuatio ab ipsa patiente particula, at ubi cum materia fluente, dolor magnus contingerit, tunc primum factitanda est deriuatio, mox stante plenitudine, reuulsio, demum ipsa uacuatio &c.

Loci consentien. de reuulsione deriuat, & uacuatione.

Quod tria sint eductionis genera satis expresse ad sensum patet, Q͛d autē sint remedia immodicæ uacuationis comunia, hoc habes ex Gal. 5. meth. cap. 3. ibi Nam hæc quoq; Hippocratis inuenta sunt, omnis scilicet immodicæ uacuationis comunia remedia &c. Ex hoc loco etiam reuulsionis & deriuationis definitiones eliciuntur, nec non & differentiæ earum locales, uide etiam in lib. de reuulsione & .4. meth. cap. 6. ubi nos docuit ad contraria reuellere, & deriuare ad latera Auicē. 4. pri. cap. 3. Et scias inquit q̄ materiei euacuatio, & ipsius de suo loco eradicatio est secundum unum duorum modorum unus eorum est propter attractionem, quæ fit ad longinquam diuersitatem, & alter propter eam quæ ad propinquā, & docet utriusq; modum si fusius eum legeris, Hoc idem attestatur Gale. 2. ad Glau. cap. 2. ibi, Fluentium igitur adhuc humorum reuulsio, eorum autem qui iam membrum obsederunt deriuatio medella est &c. ibiq; docet quonā modo utraq; molienda sit, Quod autem fluente materia primum molienda sit reuulsio, moxq; deriuatio, satis apte docuit Gale. 4. meth. cap. 6. ibi quare si fluxio ualenter irruat, reuellere ad

contraria studebimus, at si iam fluxio restitit atq; membro inhæsit, deriuare per uicina, magis expedit, ex eo rationem reddens, quod in propinquiora translatio sit, et purganti medicamento promptior tum accessus tum attractus, e uicino detur &c. Quod reuulsio fieri debeat κατ᾽ ἴξιν idest in rectum, non solum in his omnibus locis testatum relinquit Gale. sed etiam in libro de curandi ratione per sanguinis mißionem cap.15. & .16. ubi inquit sed reuulsio quibus in directum adhibetur, euidentem utilitatem celeriter ostendit, quibus contra, haud etiam &c. Quod autem existente dolore primum incohandum sit, à, deriuatione & non, à, reuulsione testatur Hipo. in. 6. epidimiorum. 2. part. dicens deriuationem debere tanquā absolutißimum remedium ad reuulsionem præcedere, cuius ratio esse potest, quia dolor attrahendo materiam, fit ualidior, & inflammatio ipsa augetur, quod si deriuatione utaris materiam una cum dolore minues, unde Auice. 4. pri. cap. cit. Cūq; materiam ad longinquum attrahere uolueris, loci dolorem prius sedabis, ac si dicat dolorem loci prius deriuatione minues, antequā reuulsionem moliaris &c.

Obiectio.

Quomodo post ponere uacuationem reuulsioni ac deriuationi iubes, si Auicenas dicat quod suarum quidem horarum dignior est, quū in corpore nullo modo est alicuius materiei repletio, idest, cum corpus fuerit plene euacuatum?

Responsio.

Hic locus Auicenæ ita intelligendus est, ac si diceret, Dum reuulsionem uel deriuationem moliri paramus satius esset, si nec repletio, nec aliqua materia in corpore, idest in membro ad quod fit attractio, incubuerit, quoniam talis repletio forte impediret, ne reuulsionem, uel deriuationem integre, faceremus, adisti pulaturque meæ huic opinioni correctio

Andreæ bellunensis quam post hac uidere poteris, Quod autem euacuatio materiæ iam fluxæ & firmatæ postremo sit adhibenda, omnes norunt qui obscessus aliquos uel tumores iam diu curarunt &c.

De Clysteribus.

Clyster est instrumentum ad euacuãda intestina præcipue craßiora inuẽtum, craßiora inquã cum certum sit, clysterem non eo usque posse ascendere, ut ad ieiunum intestinum tandem perueniat, Hic ex uaria ac multiplici materia, prout uarius corporis affectus requirit, componi potest, Nam horum aliqui acres, aliqui molles & frigidi parari possunt, quorum usus adeo frequens est apud practicantes medicos ut suis clysteribus quandoq; opus naturæ ex abrupto interrunpant, Faciunt tamen clysteres ad expellenda intestinorum excrementa, ad renum & uesicæ dolores, ad colicam iliacamq; paßionem extrahunt etiam quæcunq; a pharmaco exoluente relicta sunt, & ex accidenti intemperiem calidam sanant, uerum requiritur indicatio positure ac figuræ loci dum per anum uel supra curare cupimus, itidem & patientis situs, ut supine cruribus demißis potius iaceat, quam aliter quoquo uersus &c.

Loci consentientes de Clysteribus.

Gale. 5. meth. cap. 5. siquidem instrumentis aliquando utimur pro partis ipsius proprietate, alijs ad uterum, alijs ad uesicam, alijs ad intestina crassa per clysterem &c. Itidem ait cap. 7. eiusdem libri, ubi inquit clysterem ea præcipue desyderant quæ in recto intestino sunt ulcera &c. & sic clyster est instrumentum craßis intestinis dicatum. Quod uero clyster non ascendat ad ieiunum intestinum satis aperte demostrauit Gale. 13. meth. cap. 17. ibi quandoquidem quæ eduntur ac bibuntur, eorum uis antequã ad inferiores partes perueniat,

resoluitur, quæ uero infusa sunt, ea omnino ad ieiunum usq; ascendere non possunt, imo etiam si admodum nitaris, fortasse tantum tenue intestinum contingent &c.

Obiectio.

Quomodo fieri potest, quod Gale. sibi ipsi nõ repugnet? siquidem. 6. de sympt. cau. cap. 2. inquit, quippe nonnullis clysteres adeo ascenderunt, ut uomitione reijcerentur,

Responsio.

Si uerba Gal. recte perpenderis facile intelliges nec eum sibi ipsi repugnare nec ueram esse, quam captiose facis obiectionem, loquens. n. Gale. de uentriculo inquit, quando secundum naturam se habuerit, tunc. e, supernis partibus attrahit atq; per inferiores deijcit, quum uero præter naturam affectus est, tunc ab infernis partibus aliquid assumit, & per uomitum illud expellit, et exemplum affert de clysteribus etiam ab ipso attractis & reiectis, non quod clysteris facultas eo ascendat, quo per uomitum possit reijci, sed id facit uentriculus quum male affectus est, Hic tamen aduerte q; quicquid fieri per se non potest, id certo per accidens aliquando efficitur, onde clysteri imposito uacuatur quandoq; uentriculus, non quod ad ipsum clyster perueniat, sed reiecto inferiori excremento, nec locus detur uacuus, natura ex se quod super, est, deijcit, & sic à uentriculo euacuat &c. Quod autem clysteres ex uaria ac multiplici materia componantur, quodq; diuersi generis sint, lege Aetium ser. 3. cap. 159. ubi de infusionibus sedis loquitur, ibiq; habet, quod ex infusionibus, quæ inijciuntur, aliæ simplices sunt & teneræ, aliæ acres, aliæ uero alium usum ac uim habent, hoc totum caput si legeris plura ac diuersa enemata intelliges ut puta ad febres ad inflammationem, dolores, ad uteri morsus & cætera ex diuersis rebus composita, Quod uero ex frequenti usu clysteris naturæ opus

interrũpatur, uide Gale. prim. de diebus decretorijs cap. 2. ubi probat crisim ex eo non posse fieri in septimo die, quod medici cum impositione clysteris tum ex incisione uenarum ex appositione cucurbitularum frictione & cæteris intempestiue patratis, totiens peccantes quotiens ad ægrotantem accedunt, non sinunt iudicium in septimo die adquod paratũ erat fieri, Auic. 4. pri. cap. 19. enema est medicamen nobile in expellendo superfluitates intestinorum in sedando dolores renum & uesicæ et apostemata ipsorum & ægritudines colicæ &c. deinde subdit ex enematibus fit iuuamen in expellendo reliquias, quas inanientia relinquunt &c. Gal. 10. meth. cap. 10. sicut mißio sanguis non primum, sed ex accidẽti, calidam aliquando intemperiem sanat, ad eundem modum & clyster & purgatio &c. Gal. 4. meth. cap. 7. sicut ne deligare ægram particulã poßis, nisi prius uel ex figura uel positura uel utrisq; indicationem sumpseris, sic nec immittere in sedem clysteris fistulam comode queas absque eius generis indicatione &c. uide latius. 13. meth. cap. 17. ibi, illud ex positura partium didicimus nempe inferioribus intestinorum aliquid esse per clysterem infundẽdum, superioribus uero atq; etiam ipsi uentriculo lieni & stomacho superne aliquid exhibendum &c. Auic. loco. cit. Situs clysterizati melior est, ut supinus iaceat, deinde uoluat se ad latus dolens &c.

Aut. dissentientes circa Clysteris dicta.

1 Adserere nõ multum refere si horam in imponendis clysteribus non serues.

2 Adserere clysteres in uẽtris suppreßione frequẽtari posse.

3 Adserere, balneũ ualde præstare ante clysteris impositionẽ.

4 Adserere ex clysteri nullã penitus læsionẽ prouenire posse.

Confutatio dissentientium circa clysteris dicta.

Ad primũ Auic. 4. pri. cap. 17. & hora clysterizandi me

lior est, cum aeris est frigiditas, & rationem reddit dicens, quod inde fit ne grauitas dolor æstuatio & nausea augeãtur, Bac. Gentilis in hoc loco notat clysteres non esse imponendos statim à cibo ne indigesta extrahãt, Nec in hora magni æstus ne fiat magna comotio, sed tempore frigidiori, et ita multum refert si horam non seruaueris &c. de clysteribus loquens Hippocra. 4. de morb. ac. tex. 43. & .44 palam docuit quando & quomodo & quibus congruant, quem si legeris plurima etiam ex Gale. comento adisces. Ad secundum Paul. æg. lib. pri. cap. 44. dixit et si enema abunde proficiat, non tamẽ continue id faciendum est, ne natura his irritata spontaneæ excretionis obliuiscatur &c. Ad tertiũ Auic. loc. cit. & secundum plurimũ non est bonum ut balneum enemati præmittas &c. Bac. Ratio est, quia duo motus contrarij, si poßibile est in patiente debili semper uitandi sunt, sed balneum cum à centro ad circunferentiam trahat, fieri non potest quin clysteri, qui à circunferentia ad centrum humores euocat, aduersetur uide tamen rationes Auicennæ si lubeat. Ad quartum respondet ipse Aetius ser. 3. cap. 159. dicens plures esse clysteres quibus caput & stomachus male afficiuntur enarrans decoctiones quibus hæc fiant, Auic. loc. cit. Quæ uero ex eis sunt acuta debilitant hepar & perducunt ægrum ad febrem, & sic ex clysteribus noxa quandoq; non parua contingit, ut illos nunc sileam qui dolores ẽt quã immanißimos generant &c.

De cucurbitularum, usu & differentia.

Cucurbitularũ aliquæ sunt uitreæ, aliquæ aeneæ, aliquæ uero ex cornibus paratæ, utimur quidẽ uitreis, ut sanguis quem attrahunt, an in mensura satis sit pellucescat, Aeneis uero quia cum maiorem flamam retineant, multo sunt inattrahendo uitreis efficatiores, Corneis, eo, quod non ita inaniunt nec siccant, ac illæ quæ cum maiori flamma adhibentur,

Sunt ēt nōnulle aliæ cucurbitularū differentiæ à paruitate magnitudine earū decerptæ, quemadmodū & aliquæ aliæ ſunt ore latiores et anguſtiores aliæ uero collo breuiores ac prolixiores quæ plus minus ue attrahunt, pro ut effectus rei poſtea indicat, eſt igitur cucurbitula inſtrumentum quod uiolenter attrahit à medicis excogitatum, cuius usus maxime præſtat in reuulſionibus ac deriuationibus, nam ſanguine ex naribus fluente, ſi in præcordijs cucurbitæ defigantur, ſumopere iuuant, dummodo à dextra nare ipſo fluente ſuper iocinore, & a ſiniſtra ſuper liene, uel ab utraq; ſuper utroq; uiſcere imponantur, ſi uero ſanguis ab utero defluxerit, ſub mammis etiam cucurbitulæ defixæ, ab imo ſurſum reuellunt, ac ſanguinem retinet, & fluxiones oculorum in occipite fixæ efficaciter remorantur, ſub mento etiam applicitæ dentibus faciei et gutturi poſunt, ſimiliter abſceßibus coxarum, podagræ, hæmorrhoidibus, elephantiæ, & inflationibus ueſicæ & uteri, modo renibus admoueantur, unice ſuccurrunt, et quemadmodum in anteriori parte coxarum poſitæ, teſticulorum apoſtemati crurium ac coxarum exituris conferunt, ita etiam ſuper nates à toto corpore præſertimq; à capite extrahūt, inteſtinis etiam male affectis obſequium præſtant, & menſtruorum curant corruptionem, ſunt igitur ad ſumum hæ cucurbitularum utilitates, membrum in primis cui adnectuntur, euacuant, ſpiritum ne una cum ſanguine inaniatur, prohibent, iuuantq; quum nihil ex principali oribus membris euacuari deſyderamus, calorem etiam membri excitant, humores à centro ad circunferentiam attrahunt ac euacuant, uacuatio tamē nō uſq; adeo memorabilis eſt, ac ipſa attractio, ſiquidem plus ſatis attrahitur, quam foras eijciatur ſpiritum inſuper flatuoſum in doloribus ita diſcutiunt, ut incantamenti quid ſimile uideatur Faciunt etiam ad euocanda menſtrua, ſi in pube &

in inguine defigantur, & ad alia multa, quæ longum esset recensere, Maioris tamen efficatiæ sunt si cum scarificatione admoueantur, quã non scarificatæ, Nec te prætereat, quod scarificationes, quæ profunde penetrant, sanguinem crassiorem, quæ suma tantum attingunt, tenuiorem euacuant, afferũt & plures secum noxas cucurbitulæ si intempestiue quis uti illis uoluerit, nam in febribus cõtinuis, & ubi præsertim mẽs egri turbata sit, uel sensus sit obtusus, præcordijs admotæ, statim ægrum strangulant, uel mortem eadem die inducunt, simili modo si intempestiue capiti applicentur, lethargos ac mentis stuporem pariunt, à quibus si quis forte euaserit, effugere non potest, quin in longum capitis affectum incidat &c.

Loci consentientes de cucurbitulis.

De *differentijs tum à materia cucurbitularum tum ab earum paruitate & magnitudine sumptis, satis lucide tractauit* Paul.*lib.6. cap.41. ibi alij cucurbitulis usi sunt uitreis, ut sanguinis qui euacuatur mensura in extractione pellucescat &c. uide illum latius & omnes differentias, quas super adduximus, inuenies,* Gal.*4.meth.cap.ult.exponens quid sit cucurbitula, est inquit, instrumentum ad uiolentum attractum à medicis excogitatum, & in lib.5. eiusdem methodi cap.3.loquens de deriuatione et reuulsione laudat cucurbitulã sub mãmis defixam, si uel mentes confertim eruperint, uel sanguis ab utero quoquomodo profluxerit, eamq; ob causam, cum, e, naribus sanguis defluat, id retinent inquit maxime in præcordijs defixæ cucurbitæ, infigendæ autem sunt, si à dextra nare profluit super iocinere, sin ex sinistra super liene, si ab utraq; nare super utroq; sunt imponendæ uiscere &c.* Hipp. *aph.5. apho. 50. Mulieri si uis menstrua cohibere, cucurbitulam quã maximam ad mammas appone* Bac. Non *intelligit cucurbitulam ad mammas proprie sed ad partes quæ sub mammis,*

ubi maximæ uenæ desubter ueniunt, esse apponendam, alio=
qui illabentes in cucurbitulam mammæ & tumescentes, non
sinent eam amplius tolli, hæc met sententia repetitur ab ip=
so Gale.13.meth.cap.19.ibi cucurbita imponi debebit auellen
di in contrarium causa, sic nanq; ad mamillas cucurbitam im
ponimus &c. ibiq; habet quod cucurbita in occipite defixa,
efficax est remedium ad oculorum fluxiones &c. uide in hoc
Auicennam.4. pri.cap.21.ibi, uentosæ sub mento positæ pro
sunt dentibus faciei & guturi, & mundant caput & mandi=
bulas, & renibus superpositæ conferunt apostematibus coxa
rum & earũ scabiei & bothor & podagræ & hæmorrhoi
dibus &c. quibus etiam subiungit quod in uentosis cum scari
ficatione tria existunt iuuamenta, primum eorum est euacua
tionis ex ipso membro, secundum est remanentis substantiæ
spiritus ne euacuationem humoris qui educitur, sequẽdo eua
cuetur, Tertiuum est quum non curatur, ut ex principalibus
membris fiat euacuatio &c. uide in hoc latius Gal. in lib. de
reuulsione, Nam satis plures cucurbitularum usus comemo=
rat, quã Auicennas, Aet. ser.3.ca.20. cucurbita tum impetu af=
fixionibus uiolenter naturam attrahens, tum multum locum
occupans, attrahit quidem memorabilem materiam, non
euacuat autem pro ratione attractæ &c. Quod autem spiri
tum flatuosum cucurbita discutiat, lege Gal.12.meth.cap.ult.
ubi ad flatuosum inquit spiritum cucurbita cum maxima flã
ma subinde admota facit, uidebiturq; tibi præsidiũ hoc in hu=
iuscemodi affectibus incantamenti cuiusdam simile quid effi
cere, siue hi intestinis siue in quauis corporis particula sunt
excitati &c. & 13.meth.cap.19. siquidem cum menses euoca
re in animo est in pube & in inguine cucurbitam figimus
&c. & sic etiam in deriuatione prodest itidem habet Paul.
lib.6.cap.41. ibi leuis cucurbita inflationes discutit destillatio

nes in stomachum suspendit &c. mox subdit. at quæ cũ scarificatu adhibetur, efficatius ipsos per halitũ digerit. Auic. loc. cit. scarificatio uero est profundanda, ut ex profundo trahatur. Paul. *loc cit. si tenuiorem qui continetur sanguinẽ acceperimus, suma scarificari, si craßiorẽ alta debent &c. denoxis cucurbitularũ intempestiue admotarũ lege* Aeti. *loc. cit. ibi cucurbita præcordijs intempestiue affixa &c. & plura cucurbitularũ incõmoda, si eius uerba recte perpẽderis, inuenies &c.*

Obseruatio in admouendis cucurbitulis.

Auic. 4. pri. cap. 21. oportet quidẽ ut à uentosis sibi quilibet caueat post balneũ, nisi cuius sanguis fuerit craßus, quoniam ipse se prius balneari debet & una hora morari ante earum applicationem &c.

Authores dissentientes circa cucurbitulas.

1 *Adserere cucurbitulas in omnibus ferè morborum principijs posse admoueri.*

2 *Adserere in corporibus etiã repletis nulla facta uacuatione cucurbitas conuenire.*

3 *Adserere cucurbitulas utiliter puerulis unius anni esse applicãdas.*

4 *Adserere ĩ cucurbitularũ incisione statutũ nõ esse terminũ.*

5 *Adserre post cucurbitularum appositionem non esse determinatum cibandi horam.*

Confutatio dissentium circa cucurbitulas.

Ad primũ respondet Gale. *11. meth. cap. 18 ubi inquit, quod nec in cerebri & eius membranarum phlegmonis in morbi initio cucurbitulis utimur, uerum ubi nec influit adhuc quicquã & totũ corpus est euacuatũ, qđ itidẽ, sed uniuersalius cõfirmat ipse* Paul *lib. 6 cap. 41. ibi cucurbitulis neq; ꝑ affectuũ initia neq; cũ corpora sunt pletorica, utemur, & sic in nullo morborũ principio regulariter possunt admoueri cõtra illos qui quacunq; leui de causa cucurbitas affigi iubent.*

Ad ſecundum Aet.ſer.3.cap. 20. Neq; in corporibus reple tis cucurbitis utimur, ſed cum euacuatum fuerit totum &c. Gale.in lib. de reuulſ. cucurbitulæ ijs qui ante uacuati ſunt, conueniunt,nam inplethoricis illis haud utimur &c.

Obiectio.

Si daretur occaſio,quod incidere uenam,uel aliter purga= re uires non paterentur, eſſet ne periculoſum in ipſo febris impetu & ubi maximæ cruditas adſit,cucurbitulas adhibere?

Reſponſio.

Huic tuæ obiectioni ſatisfacit Celſus lib. 2. cap.11. dicens hoc auxilium neq; unquã periculoſum eſſe etiam ſi in medio febris impetu,etiam ſi in cruditate adhibeatur,ideoq; ubi ſan guinem mitti opus eſt, ſi inciſa uena præceps periculum ſit, aut ſi in parte corporis etiam uitium eſt, huc potius confu= giendum eſt,rationem reddens quia ut nullum periculum,ita leuius præſidium eſſe, uerum nec poſſe uehementi modo ſuc= currere,niſi æque uehemens fuerit auxilium &c.

Obiectio.

Videtur Celſus quaſi in primis uerbis à Gal. diſſentire, ſi= quidem concedit cucurbitulas in repleto corpore, quæ ab Ae tio & Gal.ſumopere damnantur?

Reſponſio.

Tantum abeſt,quod Celſus à Gal.ſententia differat,ut pro pemodum idem unum uelle uideatur, ſed rem adhuc non per cipis, Quum dicat cucurbitulas in medio febris impetu poſ= ſe adhiberi,id itu ſane intelligitur, quod ſi uires non patian= tur ſectionem uenæ,& imbecilles fuerint, ſatius eſſe aliquod adhibere auxilium per cucurbitulas quam nullum,& ubi præ ſertim in aliqua parte corporis uitium aliquod firmatũ fue rit,quod autem idem ſentiat cum Gale. lege in eodem capite eum dicentem, quod uſus cucurbitulæ precipuus eſt, ubi non

in toto corpore, ſed in parte aliqua uitium eſt &c. ideſt ubi non fuerit totius repletio ſed alicuius partis &c.

Ad tertium reſpondet Auic. 4. pri. cap. 21. quod infans in tertio anno debet uentoſari & poſt, tranſactis ſcilicet duobus annis, quoniam non prorſus debet uentoſari cum eſt unius anni &c. Bac. Nota quod hic in additionibus Andreæ Bellunenſis legitur etiam cucurbitulas poſt ſexaginta annos non eſſe omnino admouendas, ſed cum rationem huiuſce rei non reddat, ſuſpicor haud illi eſſe credendum quum Gale. in lib. de curatione per ſanguinis miſsionem cap. 13. etiam ſeptuagenarijs modo uires ualeant boniq; habitus ſint, uenarum ſectionẽ morbo urgente imperat, quod plus ſatis eſt, quam cucurbitulas applicare &c.

Ad quartam Paul. loc. cit. reſpondet dicẽs ὅρος δὲ τοῦ συμέξου τοῦτο διαιρέσεως ἐστι βάθους τὸ πάχος μόνον τοῦ δέρματος *ideſt terminus moderatæ altitudinis diuiſionum eſt ſola cutis craſsitudo, & ſic non multum infra cutem, quũ cutis ipſa ſit terminus, fieri debet inciſio, ſi uero pro termino horam incidendi & apponendi intelligant, reſpondet Auicen. loc. cit. quod ex ſuis horis in die melior eſt hora ſecunda & tertia & ſic omnino terminus ẽt incidẽdi ſtatuetur &c.*

Ad quintum Auic. loco cit. dixit & oportet quidem ut uẽtoſatus poſt unam horam cibetur uerum ſi fuerit cholericus ſtatim poſt uentoſas comedere debet grana mali granati, aut lactucas cũ aceto aut bibere aquam endiuiæ cũ ſaccharo &c.

Obiectio.

Cõueniũt ne in frigida & arida diſpoſitione cucurbitulæ.

Reſponſio.

Non conueniunt niſi caloris excitandi gratia, alioqui ſicuti ſectio uenæ ualde nocua eſt, ita & cucurbitulæ, hocq; teſtatum reliquit Gal. 3. de loc. aff. cap. 4. quum dicat, ſi forte for=

tuna ut nonnunquã euenire solet, frigida aridaq; fuerit dispositio, sanguinis quidem detractio ad extremum ducit periculum, solæ uero cucurbitulæ non alio nomine, quã caloris excitandi gratia utiles esse censentur &c.

De hirudinibus.

Hirudines quas Græci βδέλλας nuncupant, non feræ, sed cum pauculo sanguine cicuratæ, partibus corporis admoueri debent, uerum illæ partes, quibus hirudines applicandas censueris, si nitro perfricẽtur, aut unguibus scalpantur, facilius inhærebunt, facit & ad hoc sumopere lutus & sanguis circa locum illitus, Desinesq; eas tãtisper pasci, donec dimidiam sanguinis partem, quam desyderas, extractam conijeceris, eas uero prohibebis decidere, si quod satis sit, non plene exhauserint, quod si parum depascantur, tunc caudam forfice præcidito, nam sanguine semper affluente non eum exhaurire desinent, quo ad uel salem uel cinerem ori ipsarum inspergas nã iuxta illud Horatij, non missura cutem nisi plena cruoris hirudo at ubi sponte deciderint, statim cucurbitulam ad euellendum si quod remanserit uenenum, applicabis, uel spongia locum fouebis, quod si sanguis erumpat, nec ullo modo cohiberi poßit, tunc lintea ex aceto, aut gallam ustã inijcito, conferũt ualde hirudines cutis impetigini, ac eius pustulis, siquidem non alium sanguinem quam cutaneum, uel quo imbuta est caro, exugunt, eum omnino demittentes qui in profundo resi=det &c.

Loci consentientes de hirudinibus.

Aet. ser. 3. cap. 22. Sanguisugas captas una die seruare oportet, easq; pauco sanguine alere, usus autem tempore pars cui admouendæ sunt, nitro præparetur, & aqua dulcißima exacte abluatur &c. Itidem ait Auic. 4 pri. cap. 22. ibi, & ipsæ antequã ponantur, quasi per unam diem colligendæ sunt, &

constrictione faciendum est, ut euomant, & tunc ipsis parum sanguinis agni proijciatur &c. Gal. in lib. de reuuls. Detrahimus *inquit eas, ubi dimidiam partem sanguinis extractam conijcimus prohibemus uero decidere, donec quod satis sit excretum fuerit &c. lege hoc caput totum Gale. & quæcunque à me dicta sunt, quasi ad unguem inuenies, quod itidem habet Auicennas & Aetius locis supra citatis, Auic. tamen eodem in loco habet, quod sanguisugæ conferunt ægritudinibus sub cutaneis sicut sahaf & alcuabe & eis similibus &c.* Bac. *Alcuabe nomen arabicum, idem significat ac si diceres ulcera maligna & ad sanandũ difficilia, sahaf uero quid sit uix ad huc potui ab Arabibus intelligere, nisi forte pro sahaf nõ inepte legatur sahafati, qđ exponitur bothor humida quæ emittit uirus, & ne tibi ignotum per quid ignotius interpretari uidear* Bothor *idẽ est, ac si dicatur pustula parua in cute eminens &c. Quod autem hirudines non alium sanguinem quã cutaneum exugant, hoc attestatus est Gal. in lib. de* Reuulſ. *ubi inquit sciendum est sanguisugas haud eum qui in profundo est, sanguinem extrahere sed tãtum quo caro imbuta est exugere &c.*

Obiectio.

Quæ nam extractio magis profunda est, sanguisugarum an cucurbitularum.

Responsio.

Si Auicennæ textum legeris, hãc tuam soluit obiectionem, dicens & extractio sanguinis à sanguisugis facta profundior est extractione, quæ fit cum uentosis &c.

De cauterijs.

Cauterium ex quo fit conbustio, quæ a Græcis καῦσις *uocatur, duplex est, alterum quod actu inurit, alterum quod energia, non id tantum per se operando sed ui naturæ opitulante, hoc dicunt potentiale, illud uero actuale, cauterium igitur potentiale est id, quod ex medicinis urentibus siue causticis in*

quarto gradu calidis & siccis componi solet, Ex eoq; dicitur potentiale, quum materia ex qua ipsum constat, à naturali calore alterata, de potentia ad actum deducitur, & fit ex arsenico calce sublimato nitro sapone, tapsia oleo uitrioli &c. cauterium uero actuale illud est in quod ignis calor actu imprimitur, & fit ex auro & ferro, raro ex ære & argento, cuius usus est prohibere ne corruptio de uno inalium locum diffundatur, membra roborare, id quod iam corruptum est, resoluere & sanguinem cohibere, quod itidem non agit potentiale, dũmodo tempore debito, congruenti temperaturam & morbo adhibeatur, caueat tamen chirurgus dum inurit ne neruos tendones & ligamenta cauterio tangat, fiatq; potentior inustio sanguine fluente quam in putri carne remouenda, siquidem sanguinis fluor maiorem ac firmiorem requirit crustam, quam aliud, ad quoduis, parata inustio, & supra craneum si qua demum inustio molienda sit, tenuiter te operari consulo, ne membranæ uel cerebrum tuo opere maculẽtur, Fit etiam ustio in purulentis & in iecore ubi in eius tunica pus collectum fuerit, sic in liene & in longis destillationibus stomachi & in cæteris pluribus quæ nunc recensere nostri instituti non est &c.

Loci consentientes de cauterijs.

De duplici cauterio potentiali & actuali loquutus est albucasis lib. pri. cap. pri. & conciliator diff. 208. quos uidere poteris, nam utriusq; cauterij rationes adducunt, quod autem potentiale componatur ex causticis medicamentis lege Gal. 5. de facult. simp. cap. 14. ubi multa habet de causticis medicinis, quas ipse σηπτικὰ, uocat, ibiq; enumerat ἀρσενικοῦ idest auripigmentum, sandaracam chrysocollam dryopterim aconitum &c. ex quibus potentiale cauterium componitur Auice. 4. pri. cap. 29. inquit quod cauterizatio est medicamen ual

de utile; iuuans ad prohibendum ne corruptio ſpargatur, & ad confortandum membrum, cuius complexionem retificare uolumus & ad reſoluendum materias corruptas in membro retentas & ad ſtringendum ſanguinis fluxum &c. albucaſis loc. cit. & ſcitote filij q, ex ſecreto curationis per cauterium cum igne & bonitate eius ſuper cauteriũ cum medicina comburente eſt, quoniam ignis ſimplex eſt cuius actio non peruenit niſi ad membrum quod cauterizatur, & non nocet membro alijs coniuncto cum eo niſi nocumento paruo &c. Et loquens de tempore & complexione, dixit, omittendo calidam & ſiccam temperiem, conuenire in omni fere complexione & tempore.

Obiectio.

Si cauterium in omni tempore fieri poteſt, ſicuti albucaſis inquit ſequetur hoc quaſi inconueniens, quod abſq; alia purgatione præcedente & in diebus canicularibus, quum natura à calore exhauſta eſt, poßit admoueri, quod reuera longe à medicorum dogmate alienum eſt e,

Reſpontio.

Duo tempora in unum cõfundis alterum in quo fiunt cauteria, alterum in quo morbus decernitur, primum tempus duplex eſt electum & neceſſarium, tempus electum adhuc poteſt eſſe uniuerſale & particulare, tempus igitur uniuerſale & electum eſt, uer, mox ipſe autumnus, particulare ſunt dies & hora quibus hoc agitur, dico igitur quodſi fieri poßit, ut tempus electum expectetur, multo fore ſatius quam ſi æſtiuo uel urente canicula fiat, uerum ſi neceßitate compulſi, uel ob fluxum ſanguinis uirtutem proſternentem uel ob feſtinum et inopinatum dolorem id facere conemur, non eſt ut putes cõtra rationis dogma, quod neceßitati ſuccure ſtudet, id factum iri, in ſecũdo tempore morbi albucaſis etiã particulares præ

supponit et uniuersales iam factas purgationes ita ut alijs nō iuuantibus cauteria sint tanquā extrema medicinæ subsidia et sic tua obiectio nulla est, Auic. loc. cit. cauterizator cauere debet ne fortitudo cauterizationis ipsius pueniat ad neruos neq; ad chordas, neq; ad ligamenta &c. Bao. intillge tu si putrefactio fuerit tantum in carne, nam si in osse uel neruis consistat penitius penetrandum est, donec quod computruit, remoueatur, Gal. 5. meth. cap. 4. maximam autem necessitatem uel crustificis medicamentis uel ignitis ferramentis utendi animaduerti, ubi ex erosione putrescentis alicuius profluuium sanguinis concitatur, quin etiam in talli affectu ubi cotum quod conputruit est sublatum, tutius est uel ipsius ueluti radicem adurere uel certe crustificis medicamentis uti & cæt. Et sic in fluxione sanguinis eo utimur eum non alia nobis crustifica medicamenta suppetant, Quod autem in fluente sanguinē maior crusta fieri debeat, habes Auicennæ textum quum dicat, quod si propter sanguinem qui fluit, quispiam cauterizauerit, oportebit ut cauterizatio sit fortis adeo ut crustæ grossitiem habeant et spissitudinem, ne cito cadat, uide in hoc latius Auicennam & plura ex his intelliges quæ à me dudum exarata sunt in cæteris consule Paulum lib. 6. ubi περὶ καύσεως ἐμπύου, & de ustione hepatis & lienis agit &c.

Aut. dissentientes circa cauteria.

1 *Adserere satius esse uti potentiali cauterio quā actuali,*
2 *Adserere cauterium ferri esse illi præponendum, quod ex auro conficitur,*
3 *Adserere cauterium actuale circa caput ob mollitiem cerebri non esse applicandum,*
4 *Adserere incorruptione remouenda non dari signum quousq; liceat comburere,*

5 Adſerere cauterium ex aere conflatum non eſſe ad ipſam uſtionem efficax.

Confutatio diſsentientium circa cauteria.

Confutat primum conciliator diff. 208. uarijs rationibus, pri. quia actuale cauterium omni ferè complexioni conuenit ſed frigide tantum & humidæ potentiale. 2. quia hoc plus, illud minus lædit, itemq; dolorem plus ſatis longum efficit potentiale quã actuale quum citiſsime quieſcat, facitq; ebullitionem in ſpiritibus & humoribus potentiale quod actuale nequaquã, ſed uide tu rationes ipſius, quibus certo concludere poſthac poteris multo melius ac præſtantius fore uti actuali cauterio, quã potentiali &c.

Ad ſecundum Auice. 4. pri. cap. 29. Res uero inquit qua cauterium fit, melius eſt aurũ itidem concludit Albucaſis loc. cit. ibi antiqui dixerunt, quod caterium cum auro eſt melius &c. ratio eſt quia plus præſtat in temperie hominis aurum quã ferrum idcirco eſt illi præponendum &c.

Ad tertium reſpondet Aet. ſer. 6. cap. 50. quod ad inueteratam & ægre ſolubilem cephaleam adhiberi debent cauteria nucleo formia ubi magis dolor hæret, & licet inquit uſq; ad os urere, quo ſquamæ diſcedant, hocq; ex Archigene & Gal. recitat præterea Auicennas laudat cauterium ſupra crãcum, adeo tum tenuiter factum ne cerebrum ebulliat, Demum ratio ipſa ad hoc ſuadet, quum maxime cauterium intemperie frigida et humida, qualis eſt cerebri conueniat, & ſic capiti erit applicandum &c.

Ad quartum inquit Auicennas loc. cita. Cumq; cauterizaueris propterea ut carnem corruptam proijcias, & terminum ſani ſcire uolueris, erit ubi dolet, ideſt terminus erit, ne amplius comburas, ubi cauterium protinus dolorem,

intulerit, & sic dolor est signum ne ultra limites urendo pro grediaris &c.

Ad quintum Aristo. in problem. prim. problemate. 35. que rens cursi quis ære incisus sit, facilius, quam si ferro, sanescat. Respondet quia æs uim medicamenti obtinet, Nam facit ut uulnus celerius coeat, quod si sic est, uidere nescio quur non tam efficax sit ex ære cauterium quã ex ferro paratum, præsertim cum non minus ignis impreßionem suscipiat retineat ue ac ipsum aurum & cæt.

Finis Libri Primi.

IOANNIS BACCANELLII MEDICI REGIENSIS,

De consensu Medicorum, in curandis morbis.

LIBER SECVNDVS

De Cephaleæ descriptione.

Cephalea est dolor diuturnus difficulterq; solubilis, qui per quosdam circuitus intollerabilem capitis paßionem affert.

Loci consentientes de cephaleæ descriptione.

Gal. 3. de loc. aff. cap. 9. est. n. affectus hic, dolor diuturnus difficulterq; solubilis, qui a parua occasione uehemẽtes habet acceßiones, ut neq; strepitũ neque uocem neque luminis splendorem, neque motum tollerare poßit infirmus, sed tranquillitatem obscurumq; cubiculum quærat &c. Similis sententia est in Gale. 2. de comp. med. per loc. ca. 2. Hanc paßionem uocat Auice. prima tertij, cap. 35. Ouum & cauthati siue alchude quod interpretatur galea ut in correctione ex Andrea belunensi uel potius ex suis Auice. commentatoribus apparet. Nã huic illa omnia tribuit, quæ a Galeno de cephalea recitantur. Aet. ser. 6. cap. 48. ita belle immittari Gale. uidetur, ut nil aliud quam mæra Galeni uerba exprimat, quod identidem sed breuiuscule agit Paulus Aeg. lib. 3. cap. 5. Cornelius Cels. lib. 4. Cap. 2. In capite interdum acutus ac pestifer morbus est, quẽ κεφαλαιὰν Græci uocant, Dolorq; est intollerabilis, circa tẽpora uel occipitium &c.

De loco affecto.

Cerebrũ afficitur aut eius mẽbranæ quas Græci μήνιγγας uocant, interdum dolor intra caluariam se continet, interdũ

extra. Loci consentientes de loco affecto.

Gal.3.de loc.aff.cap.9.quæ cephalea a medicis nominatur nemo dubitat quin cerebri sit morbus. Alex.lib.1.cap.17.fit ab inflammatione in caluariæ membranis ac cerebri pelliculis orta. Paulus lib.3.cap.5. Quibus intra caluariam morbus cõsistit, his dolor ad oculorum radices porrigitur, quibus extra est, circa caluariam dolent, idem Gale.2.de comp. med. per loc. cap.2.asserit. Auic.prima tertij, cap.35.fit ab ipso phlegmone in cerebro, aut eius uelaminibus existente &c.

De causis cephaleæ.

Causæ sunt uel per se uel per consensum, si per se, uel erit primitiua a Græcis προκαταρτικη dicta, uelut est ardor frigiditas ebrietas plaga &c. Antecedens a Græcis προηγουμενη dicta erit sextuplex, Prima humorum multitudo, Secũda partium capitis imbecillitas, Tertia obstructio meatuum, Quarta humorum mala qualitas, Quinta intemperies simplex, Sexta sensus exuberantia, uel causa erit coniuncta a Græcis συνεκτικα.i.concausa cephaleam actu efficiens, & erit triplex mala complexio soluta continuitas uel utraq; simul. Rursus mala complexio uel erit calida uel frig. sic.uel hum. causæ malæ complexionis calidæ sunt sanguis bilis pituita salsa, Causæ malæ complex. frig. sunt humores & uapores frigidi, Causæ malæ complex. siccæ sunt dies caniculares, motus corporei & animales, De causis humidis nulla fit mentio ex eo quod dolorem nõ pariunt, nisi cum aliqua acrimonia, uel alia mala qualitate coniuncta sint &c. Solutæ continuitatis causæ sunt omnia q̃ cõtinuitatẽ dissoluunt &c. Si uero causa sit ꝑ cõsensum tũc uel erit ab aliquo mẽbro mittente sicut a uẽtriculo uteroue aut ab hepate & reliquis aut a præcedẽtibus morbis.

Loci consentientes de causis cephaleæ.

Gal.2. de compos.med.per loc.ca.1.Causæ producẽtes sunt

quinq; prima est iuxta intemperiem simplicem citra humorũ complexum, alia iuxta humorum qualitatem, alia iuxta multitudinem tantum ipsorũ humorum contingit. Quarta quum multitudo hæc trãsitus humorum ac uaporũ obturat, Quinta quũ in quibusdã capitis partibus ob imbecillitatẽ spiritus flatuosus innascitur, Sexta quã adiũximus habetur ex Gale.3. de loc.aff.ca.9. ibi neq; absurdũ est ĩquit ut quosdã ob sensus exuperãtiã dolor infestet, quemadmodũ in ore stomachi accidit &c. Auic. similiter prima tertij.ca.35. huius ægritudinis causam ponit cerebri ĩbecillitatẽ & fortitudinẽ sensus eius &c.

De causa procatarctica loquitur Gale.2. de cõpos. med. per loc.ca 1. ibi quandoq; etiã ob causam aliquã externã procatarcticẽ lacessentẽ, uelut est ardor frigiditas ebrietas plaga capitis dolor contingit. Auic. prima tertij, de uniuers. ser. sodæ, causæ primitiuæ calefacientes sunt sicut sol ignis uinum potus et crapula &c. De causa coniuncta ibi etiam loquitur Auic. loc. citato dicens q̃d causa doloris immediata, aut est mala cõplexio, aut solutio cõtinui, aut utraq; sicut in apostemate &c. De mala cõplexione loqitur Gal.2. de cõpo. med p loc.ca.1. ibi uehementißmi dolores fiunt iuxta caliditatẽ et frigiditatẽ, moderati iuxta siccitatẽ, ad humiditatẽ nullus cõsequitr dolor &c. Gal. aphor.4. cõm.70. fiunt.n. dolores capitis ẽt ex calore solo, nõnunquã ex flaua bile q̃ uel in capite uel in uentriculo cõtinetur ut ex abundãtia humorũ caput opprimente, uel propter aliquã loci obstructionẽ, uel a spiritu flatuoso habente in parte ipsa generationem. De causa per consensum loquitur Auic. pri. tertij, cap.35. ibi & multotiens contingit a morbis antecedentibus qui substantiam cerebri et eius uelamina tam intrinseca quam extrinseca debilitarunt fit etiam ex uaporibus stomachi ad caput elatis &c. Alex. lib.1. de dol. cap. Dolor inquit capitis nõ semper primario affectu efficitur, sed p

consensum nonnunquã alterius membri, unde si ad nimium iocinoris calorem dolores capitis oriantur multo uehementiori crutiatu laborantem adfligunt ob fumos eiusdem uisceris caput petentes &c.

De signis cephaleæ.

Primum si dolor fuerit a causa procatarctica cognoscitur ex affectu derelicto, Si dolor fuerit per essentiam in capite, dolor continuo ægrum lædet, lesionemq; in aliqua cerebri parte comprehendemus, & cum reliquis cerebri operationibus manifesta læsio apparebit, sicuti in sensu uisus uel alijs sensibus, Quod si dolor capitis per consensum fieri contingerit, tunc per consentiendi membri læsionem magis uel minus intensam, dolor magis ac minus crescet minuetqúe. Cognoscitur etiam a primordio ipsius læsionis, nam quod primum læditur, alteri læsionem infert, At si ab intemperie fiat dolor citra humorum complexum, tunc manifestus calor uel frigus absq; ulla in capite grauitate sentietur, quod si ab intemperie humorali, tunc uniuscuiusq; humoris aderunt particularia signa, nam sanguinis sunt septem, rubedo, tensio, grauitas, tactus calidus, pulsus magnus, somnus ob uaporum copiam, urina crassa rubea, Bilis signa sunt sex dolor acutus mordicans punctorius in anteriori & dextra capitis parte, uigiliæ, coloris flauities, parua grauitas, tactus acris calidus, pulsus uelox, & sitis. Pituitæ signa sunt quatuor color albus, dolor obtusus & perseuerans in occipite somnus profundus et pigritia. Melãcholiæ signa sunt liuor in facie nigrities, sensuũ corruptio dolor obtusus perseuerans in parte occipitis sinistra. Flatus signa sunt, loci extensio, nulla adest grauitas interdum fit cum sonitu & tinnitu permutatur dolor de loco ad locum, & multiplicato uapore maior fit in capite pulsus, imaginatio interdum corrumpitur & sequitur uertigo. Do-

lorem qui fit a soluta continuitate, ipsa solutio indicat, quæ nisi extrinsecus appareat per puris ac sanguinis excretionẽ cognoscitur. Si fiat dolor ab aliquo abscessu aderunt signa le thargi uel phrenitidis, si fiat a febre tunc ipsa crescente dolor augebitur, & declinante minuetur.

Loci consentientes de signis cephaleæ.

Gale.2. de comp. med. per loc. cap.2. habet hæc affectio interdum continuos dolores, interdum exacerbationes & interualla siue ordinata siue inordinata, intermittunt exacerbationes ueluti in commitiali morbo correptis. Dolores igitur cum grauitate humorum multitudinem significant, cum mordacitate aut humorum uel uaporum acredinem, cum pulsu inflammationem, cum tensione citra grauitatem ac pulsum tenuis ac uentosi flatus multitudinem demostrant, si uero cũ pulsu membranosi corporis inflammationem, si uero cum grauitate distentio fiat humorum multitudinem intra membranas contentã. Et eodem in lib. cap.1. Qui ex ardore caput dolent cutis tactui aridior oculosq; rubros habent, frigidisq; tum perfusionibus, tum illinitionibus gaudent, quod si ob biliosum humorem caput doleat, accedit maior mortus et faciei pallor & aliquando oris amaritudo contingere solet. Porro signa dolentium caput ob frigiditatem contraria sunt eis quæ ex ardore oriuntur &c. lege de his Paulũ lib.3. ca.5.

Obiectio.

Ob quam rationem hæc affectio dolores per interualla habet uelut morbus commitialis? Responsio.

Hac ratione quia hoc contingere potest ex specifica proprietate in humoribus inuenta, nam ex bile extra uasa mota fit dolor tertianarius, & in uenis cõtenta mota & alterata prouenit dolor continuus & hoc contingit ex specifica bilis proprietate, uel hoc euenit ob quantitatem auctam aut

diminutam humorũ, uel pp eorum craßitiẽ tenuitatẽ fluxibi litatẽ & uiscositatem & hoc habetur ex Gal. 2. de diff. feb. de febre sextana & ab Auic. pri. quarti, tra 4. ca de feb. apostematũ &c. Auice. pri. quar. de feb. ephimeris causa primitiua cognoscitur p eius præsentiã & ablationẽ & ab effectu dere licto &c. Et pri. 3. ca. de signis ostẽdentibus species sodæ habet omnia q̃ ante recitata sunt &c. lege etiam Aet. ser. 6. cap. 48.

De cura cephaleæ ob humore calido.

Eliciuntur ex Gal. quinque ad curandum intentiones, Prima est uniuersalis euacuatio quũ a multitudine dolor fiat, Secũda est reuulsio, Tertia malæ qualitatis repulsio, Quarta capitis particularis purgatio, Quinta capitis roboratio & siquid derelictũ est resolutio &c. Vniuersalis euacuatio fit p sectionẽ uenæ, primo p sapheanã si in causa sint hemorrhoides uel mẽstrua retẽta, uel p uenã basilicam uel cõmunẽ, si adhuc sanguis abũdare uideatur, deinde p cephalicã, postremo p uenas frõtis, aut eius loco applicẽtur naribus sanguisugæ. Reuulsio fit pluribus modis sicut p enemata p extremarũ partium frictiones ligaturas, p sanguinis detractionẽ per cucurbitulas per hirundines ad hemorrhoidas et ad nares applicitas psuppositoria. Nam interdũ sub reuulsione etiã deriuatio cõuenit quæ ad uicina loca tantũ fieri solet, unde per ἐρρινα. i. p nares euacuantia ut sternutatoria gargarismata masticatoria aurifusoria & simlia fiunt. Repulsio malæ qualitatis fit dupliciter p exteriora & p interiora. Exteriora fiunt per repellentia epithemata, inunctiones, cerata, cataplasmata, odoramenta, suffumigia, instillationes, lotiones, et similia ita tamẽ ut repellentia sint adstrigentia & frigefaciencia primũ, deinde repulsoria, quibus addendũ est aliquid ex mitigatorijs ac cõcoctorijs medicamẽtis, deinceps ad discussoria paulatim accedẽdũ detractis omnino repellẽtibus. Interiora malã qualitatem

remouentia sunt Syrupi, Zulapia siue Iuleb, ecclegmata Apozemata siue decocta pulueres &c. Syrupi sunt Acetosus simplex Violaceus de Endiuia, Rosaceus de succo acetosæ, de agresta de granatis de limonibus de acetositate citri &c. Zulapia uaria sunt, ut uiolacea Nenupharina, fiunt etiam cum ptisana & uino granatorum cydoniorum malorum uel cum Iuleb rosaceo aqua hordei & aqua coriandrorũ præparatorum &c. Electuaria sunt diarhodon abb. Triasandali, Conserua uiolacea Rosacea cõfectio de prunis mes. Manuschristi diacorali &c. Decocta fiunt ex rebus frigidis ad caput spectãtibus ut sunt uiola Nenuphar Rosa salix cucurbita, Mala granata lactuca sandali, Mirtus plantago semperuiua portulaca & similia. Capitis purgatio multifariam fieri põt, sicut p simplicia medicamina, uel per composita. Simplicia sunt Rheubarbarum Aloes Agaricus, succus rosarum Diagridiũ Myrobalani citrini Casia siliqua, succus uiolarum, Manna, succus Iridis, Tamarindi, succus fumi terræ et similia. Cõposita sunt uaria sicuti electuaria cõfectiones pillulæ Trochisci potiones boli pulueres. Electuaria sunt electuarium de suc. ros. nic. el'm ros. mes. Diaprunis sol. nic. Diaphinicon mes. el'm de psylio sol. mes. Cassia et mãna cum rheubarbaro, cũ agarico, cũ scamonio præparato. Cõfectiones sunt cydoniata solutiua, nebulæ solutiue & mille cõfectiones quæ parari possunt, sicuti passulæ cũ diagridio &c. Pillulæ sunt aureæ nic. de hiera simpl. Gal. pillulæ lucis mes. de hiera cõposita nic. De Rheubarbaro mes. Aggregatiuæ mes aleophanginæ mes. Trochisci sunt Tro. de diarhodon de Rheub. de camphora addendo aliquid rheub. uel diagridij. Potiones fiunt ex elæctuarijs ac decoctis suprascriptis similiter boli cum electuarijs et sacharo. Pulueres sunt ex rheubar. Aloe agarico cucumere syluestri & cæt. Capitis roboratio perficitur cum stypticis infrigidantibus

ac constringentibus ut oleo rosaceo myrtino &c. Residui resolutio fiet cum resoluētibus modice calefaciētibus sicut sunt semina Altheæ, fœnugræci, lini, Melliloti camomilla anetho, aut cum oleis camomillæ Anethi &c. uel cum pulmone agni uel arietis catulorum & pullorum columbarum &c.

Loci consentientes de cura cephaleæ.

Auic. prima tertij, tra. 4. ca. 36. Si causa est sanguis phlebotoma & si tu in principio administrasti id quod repellit, demum utere embrocis ex aquis in quibus resoluentia sint modice calefacientia cum repercußione modica & stipticitate ut flos squinanti camomilla &c. De inde euacua cum eis quæ eueniunt & scias quod quum purgasti superest ut confortes cerebrum & eius uelamina &c. ex quibus uerbis omnes intentiones a me iam dictæ eliciuntur. Præterea Paulus æg. lib. 3. cap. 5. & Aet. ser. 6. cap. 50. & mes. cap. de soda, & Arcul. de cura cephaleæ similiter Michael Sauonarola de cura sodæ cal. Gerardus de solo Gordonius ac ipse Marcus Catinarius omnes in has intentiones curandi concurrunt. De reuulsione loquitur Gal. 2. de compos. med. per loc. ca. 2. inquiens reuulsio itaq; fit per clysteres per extremitatum ligaturas, & per plures infernarum partium frictiones, interdum per sanguinis ex cubito detractione & ex naribus aperta uena & apophlegmatismis & medicamentis quæ naribus induntur &c. Similiter Hippo. 3. de morbis circa principium si dolor capitis permanet ut sternutet curato, lenibusq; ac odoratis caput & uentrem purgato, ptisanæ succum sorbeto uinum ne potato &c. De repulsione malæ qualitatis loquitur etiam Gale. loco cita. ibi repellit oleum rosaceum omphacinum per se & cum aceto ex capitibus papaueris &c. Et. 2. de compos. med per loc. cap. 1. Quod si in capite ipsa affectio calida existat in primis repellendum cum refrigerantibus, deinde ex

mittigatorijs ac concoctorijs aliquid admiscere ad repulsoria oportet, deinde discussoria adhibenda ita ut paulatim repulsoria pharmaca detrahantur. De interioribus exhibendis cōsule Neotericos authores. De purgatione capitis tetigit Gale. 2. de compos. med. per loc. cap. 2. ibi dabimus hieram exacutã &c. quomodo uero hiera exacuatur docuit Gale. eodem in lib. cap. de Alopetia dicens se ueratrum nigrum addere si atra bilis sit expurganda aut scamonium, si amarabilis sit euacuanda, unde Græce habetur τὴν ἱερὰν ὀξύναντας δοτέον. Et. 2. de compos. med per loc. cap. 1. euacuandus est biliosus humor per absinthij cremorem aut per Aloen & per ipsam picram antidotum aut modica addita scamonia, aut per catapotia ex Aloe confecta &c. De capitis roboratione, & residui resolutione satis habes ex Auic. Mes. & Almans. capite de soda calida. Gale. cap. cit. Discutit oleum dulcißimum calidum & magis inueteratum, itemq; sycionium. Nota non dici sycionium ἀπὸ σικύου. i. a cucumere ut nonnulli putant. sed potius a sycionia patria ubi parabatur, nam Diosco. 1. lib. de oleo sycionio loquens nullam de cucumere mentionem facit, & hoc prius annotauit Cornarius in suis annotationibus. Discutiuntur etiam inquit Arcul. pulmo arietis agni, item catuli lactentes ac pulli columbarum &c.

Obseruationes de uenæ sectione.

Auic. prima tertij, de cura sodæ calidæ absq; materia, in sectione uenæ primum caue ne uenter sit stypticus ibi tu ad curandas ægritudines capitis lenificatione multum naturæ indiges &c. Similiter Razes, lib. diuis. cap. 3. asserit. Secundo caue ne adeo uehemens sit dolor ut curandi ordinem permutet & hoc uoluit Mes. & Auic. quarta primi cap. 3. ibi quunq; ad diuersum trahere uolueris dolorem illius membri prius seda. Gal. meth. 12. ca. 1. Qui dolori negleta curatione tãtum est

intentus, non id ex topicis artis ratione, ſed in ægri gratiam facit, at ſi ex dolore uires reſoluătur atque ex eo periculũ impendet & mitigari prius dolor & uires roborari debent, ſimilis ſenſus eſt eodem in lib. cap. 7.

Obſeruationes de repulſione.

Gal. 2. de compoſ. med. per loc. ca. 1. Aptiſsimus locus eſt ad applicanda remedia iuxta capitis ſinciput ſiquidem ob laxitatem coarticulationis iuxta coronalem ſutturam & ob oſsium tenuitatem & raritatem facile tum caliditatem cum frigiditatem omniumque adhibeatur, intro diſtribuit.

Auic. de uniuerſ. cur. ſod. Alienanda ſunt hæc frigida a poſteriori cerebro quod eſt origo neruorum. Gale. loco citato a papaueris ſucco & mandragoræ eſt abſtinendum, non enim citra damnum refrigerant. Vitandaq; quæ cum refrigeratione manifeſta adſtringunt ut ſolani ſuccus mali punici cotonei & Meſpili & ſi quando neceſsitas expoſtulat parum ex eis admiſcere oportet.

Meſues cap. de cur. ſod. cal. quum topicis uſus fueris fac ne priuentur his tribus uirtutibus, Prima quod in gradu alterationis competant, Secunda quod membri uirtutem coadunent ne ſuperfluitates caput recipiat, Tertia quod ſua proprietate caput roborent &c. urſus idem Meſues adhibenda ſunt altcrantia frigida exceptis in quatuor caſibus. Primo quum ſoda calida fit in febribus materialibus, nã ſodam multiplicant uſus epithematum uapores exire non permittentium, ut teſtatur Auic. prima tertij, cap. 11. Secundo quum ſoda fit propter uapores acutos qui ex totius corporis conſenſu uel partis ad caput perueniunt etiam caput eos recipit, nam diuerſio ad oppoſitũ ex una parte competit & ex alia receptorum reſolutio, non autem alteratio. Tertio quum ſoda fit a multitudine materiæ & tunc euacuatio ſedat. Quarto quum

fit

fit a multitudine uaporum existentium in capite per consensum totius uel partis tunc resolutio & particularis euacuatio conuenit & non alteratio.

Gal. 2. de compos. med per loc. cap. 1. notat q; ubi frigidior & crudior fuerit humorum multitudo tepida applicentur ubi calidior & biliosior, frigida Arcul. præsente rheumate fomentationes sternutatoria & gargarismata & lotiones pedum & capitis non sunt omnino nisi post perfectam euacuationem admittenda. Auic. prima tertij, cap. de can. uniuers. cur. Cauendum est in cerebri inflammationibus ne maturantia adhibeamus &c.

Obseruationes de purgatione capitis.

Auic. prima tertij, de euacu. cur. a facilioribus est incohandum similiter Mes. cap. de sod. cal. Auic. prima quarti, cap. de cura putridarum in genere, Ad euacuationem præcedat digestio & Hippoc. aphor. 1. aphor. 22. concocta medicari atq; mouere nõ cruda modo nõ turgeãt &c. de his uide de purg. sup.

De cura cephaleæ ex humore frigido.

Curationis scopi erũt quinq;, Primus modus regiminis, Secundus materiæ præparatio, Tertius humoris præparati euacuatio, Quartus diuersio, Quintus cerebri roboratio ac residui resolutio.

Modus regiminis si materia sit pituitosa frigi. s. & humida, erit circa sex res non naturales calefaciens & exiccans. Materiæ præparatio fiet si pituita fuerit crassa ac uiscosa, p incidentia ac attenuantia capiti cõferentia, ut est Rhodomel oxymel simplex compositum & scilliti cum Sy. de duabus radicibus, Sy. de quinq; rad. Sy. de stechade, de betonica, cum decoctis incidentibus ut ex hyssopo origano pulegio saluia maiorana betonica ruta peonia saturegia stechade sileri mõtano ex chamedrio chamepithi castorio cinnamomo ligno Aloes

laudano melliloto calamo aromatico uerbena fœniculo fo-
lijs lauri cum mosco ambra nuce myristica rosmarino, quæ
omnia summopere capiti oportuna esse uidentur. Si uero ma
teria fuerit tenuis & fluens calidis stypticis quæ craßiorem
materiam reddant, utemur, sicuti est mastiche nux mosch. li-
gnum aloes &c. Posset etiam fieri materiæ præparatio cum
cataplasmate ex rebus prædictis, minus calido & frigido
prout expedire uidebitur. Euacuatio fiet ut supra dictum est
per simplicia ac composita pharmaca. Simplicia sunt colocyn
this agaricus aloes uebuli sarcacola turbit chartamus esula
polypodium hermodactilus scilla radices ireos ciclamē &c.
Composita sunt confectiones electuaria pillulæ & pulueres.
Confectiones sunt diarob diaturbit & mille aliæ quæ per te
cum melle & saccharo poteris componere. Electuaria sunt
diaphi nicon mes. el'm indum mes. Diacartami magist. egetea
mes el'm elescoph mes. Diarob cum turbit & rebubarbaro
& similia. Pillulæ sunt chochiæ Almans. pillulæ fetidæ mes.
de serapino mes. de rheub. mes. de sarcacola mes. Hieralogo-
dion nic. pillulæ aggregatiuæ mes. sine quibus nic. Pillulæ de
hiera magna Gale. de hiera cum agarico magist. pillulæ aleo-
phanginæ mes. pillulæ de agarico & de hermodactilis mes.
&c. Pulueres componi posunt ad libitum sicut puluis turbit
præparati rheub. Agarici cartami &c. Diuersio & deriua-
tio quæ est alteræ euacuatio fit per extremarum partium li-
gaturas per, suppositoria enemata cucurbitulas lotiones fri-
ctiones, Deriuatio fit per gargarismata sternutatoria & ma
sticatoria caput purgantia. Ligationes fient ualidiores quam
in calida cephalea. Suppositoria parantur exempli gratiarū
ex specierum hieræ compositæ. ʒ. ij, salis gemei. ʒ. i. cum melle
fiant supposita quibus addi potest colocynthis agaricus fel
tauri stercus muris euphorbium esula diagridium &c. Ene-

mata parari possunt ex decocto saluiæ stæchados mercuria-
lis maluæ furfuris lib. prim. caßiæ hieræ logodionis añ.℥.ß.
Rhodomellis olei communis añ.℥.iij. salis.℥ß. Validiora fiũt
cum colocynthide agarico centaurio cartamo &c. Cucurbi-
tulæ applicantur cum scarificatione prout tibi uidebitur. Fri
cationes fiunt manibus oleis mandili aspero uel leni uino al
bo & decocto asparagorum & herbarum calidarum &c.
Gargarismata fiunt cum oxymelle simp. & compos. & scilli-
tico cum decocto origani hyssopi, cui addi potest ut sit ualidi-
us synapis piretrum cortices thuris ac piper &c. Sternuta-
toria cum pipere condisi eleboro albo fiunt. Caput purgia cũ
nigella per. 24. horas infusa in aceto & exiccata & in pul-
uerem redacta fiunt, aut ex felle taurino aut caprimo cũ mo-
dico castorei & parte una croci, cum aqua maioranæ fiat col
lirium. Masticatoria fiunt simpliciter cum mastice addito pi
pere uel piretro uel radice capparorum &c. Capitis robora
tio fiet cum calidis stypticis residui resolutio fieri potest per
linimenta epithemata attractiones sacculos instillationes con
fectiones & suffumigia & cerata. Linimenta fiunt ex oleo
camomillino rutaceo laurino de spica liliorum alborum de
cheiri nardino sansucino de amygdalis amaris de croco qui
bus addi possunt oleum ros. uiol. & similia uel si calidiora
desiderantur cum oleo de castorio de euphorbio de piperi-
bus. Epithemata fiunt ex aquis maioranæ uel oleis aut ex de
cocto stæchados foliorum lauri camomillæ rosarum cum ole-
is ad caput spectantibus. Attractio per nares fiet cum aqua
maioranæ muscho addito uel ambra, quãuis odorifera in
mulieribus sint uitanda ob conuersionem uteri ad superiora,
uel cum alijs aquis capitalibus addendo calamum aromaticũ
& nucem myristicam. Sacculi fiunt ex camomilla maiorana
stæchade folijs lauri, pulegio origano corticibus cedri cinna

mo spica mace gallia muschata &c. Instillationes fiunt ex laudano storace cal. cum oleo camomillino rutaceo &c. Confectiones fiunt ex diambra diamargaritone diamuscho dul. confectiones de gemis aromatico ros. moschato electuario regũ mytridato theriaca diacoro &c. Suffumigia fiunt ex thure sandaraca ligno aloes laudano muscho storace calamitæ garyophillis &c. Cerata fiunt ex camomillæ maioranæ stechades rotarum ana. p. i. corticum citri garyophillorũ cinnamomi nucis muscha. ana. p. 5. galliæ muschatæ ladauni parũ cum oleo de spica & resina pini ad libitum fiat ceratum &c.

Loci consentientes de cura cephaleæ ab humore frigido.

Gale. 2. de comp. med. per loc. cap. 1. si uiscosus aut crassus humor aut flatus uaporosus in angustijs meatuum infarcitur, ita ut multo tempore opus sit ad curationem tunc quæ sic infarcta sunt, attenuare oportet, meatusq; dilatare per quos excernantur habita prouidentia, ne quid humoris uel flatus amplius infarciatur. Et ad hæc corroborãdum est affectum membrum, ex quibus uerbis curandi intentiones elici possunt, consule tamen in ijs omnes neotericos practicantes. De sex rebus non naturalibus loquitur Paulus lib. 3. ca. 4. ibi uinum inquit subtilius propinandum corporis motio adhibẽda, item balneum prodest &c. Quod materiæ præparatio fiat per incidentia ac extenuantia habes in. 9. aphor. 2. libri nam in fine commẽ. Gal. erit fluidum corpus omnibus reseratis meatibus humoribus uero incisis abstersis atq; extenuatis, siquis fuerit humor in corpore crassus ac glutinosus. Quod uero tales syrupi iam enarrati sint ad propositum lege ex Mesue, uel ex Gale. 2. de comp. med. per loc. ca. 1. ubi acetum mulsum in potu aut simplex aut Iulianicum appellatum ex origano hyssopo commendat Auicen. prima tertij, de cura sodæ frigidæ & ad

ministrentur subtiliatiua uel maturatiua & euacuatiua determinata &c.

De diuersione loquitur Auic. loc.cit.ubi eam fieri in principio imperat si humor in eo fuerit communicans, quod uero hæc tot modis quot iam diximus fiat expresse habetur ab Arcul. Marco Catinario & ab omnibus practicantibus, de roborando capite lege Gale.loco nuper citato. Item Auic.prima tertij, ubi modos epithematum caput purgiorum oleorũ ac herbarum docet. Inde enim omnia ex me dicta intelliges. Auicen.de cur. sodæ frigidæ, omnes qui habent sodam ex frigore post purgationem, si ea in digent, iuuãt unctiones caput purgia suctiones narium odoramenta embrocæ & empl'a calefacientia &c. Habes similia ex Gal.2. de compos.med.ca.2. de cura cephaleæ ex Archigene & Asclepiade & plurimis alijs ut apophlegmatismos sternutatoria & amuleta quæ capiti circumponuntur, similiter irrigationes masticatoria pastillos &c.

Obseruationes de regimine in cephalea.

Auicen.prima tertij, de uniuers.regimine in soda, Tu scis q; soda est exemplum reliquis ægritudinibus in necessitate abscissionis suæ causæ & oppositione ei cum contrario, et post hæc scis q; ex rebus in rememoratione sodæ iuuantibus est paucitas comestionis, & potus proprie uini & multitudo somni, uerum nimia paucitas comestionis in soda calida nocumentum affert, augmentum in ipsa faciens, & in uniuersali can. & scias q; qui conqueritur de ægritudine frigida in capite nocetur a uino, & qui habet ægritudinem in uelaminibus nocetur ab aqua frigida. Arcul.fercula sint facilis concoctionis & paucarum superfluitatum, item comedantur aliqua styptica post cibum uapores reprimentia, sicut cydoniata cum speciebus uel pira uel fructus styptici, somnus sit

minor quã in alijs ſodæ ſpeciebus, dormiat leuato capite, loco exercitij fricationes uicem ſuppleant: animi accidentia uitentur exceßiua &c.

Obſeruationes de materiæ præparatione.

Marcus Catinarius de cura ſodæ phlegmaticæ ab imbecillioribus inquit incohãndum ad ualidiora procedendo, Ratio eſt quia ualde extenuantia in principio exhibita magis naturam dilatant quam in digerendo adiuuent &c.

Obſeruationes de euacuatione.

Meſues de ſod. frig. ab humore melancholico. Tria conſideranda ſunt in euacuatione, Primum q̃ non ſemel & multã & ſubitam faciamus euacuationem, ſed per interualla habẽtem temperiem, ut natura euacuationem, non autem euacuatio naturam regulet, nam ex ſubita ac uiolenta euacuatione uix natura regulariter operatur, ſicut impetus flammæ quæ ſubito agit in ſubtile & prætergreditur craſſum, Secundum eſt q̃ euacuatio ſit commenſurata non excedens mediocritatem, ſed ſit extenſio eius eleuationis non recedens à gradu medicinarum incolumnium, Tertium eſt, q̃ non expolientur ſolutiua a rebus lenificatiuis & humectantibus, nam hæc operationem beatificant. Itidem aſſerit Auice. prima tertij, de can. uniuerſ. curat. Adde tamen his tu quartum quoniã quum phlegmagoga indifferenter ab omnibus partibus euacuant, idcirco aliquid quod membrum euacuandum reſpiciat his ſemper addere cõuenit, ut uirtus pharmaci ad id tendat quod euacuare intendis, ut ſi caput capitalia, ſi pectus pectoralia &c.

Obſeruationes de topicis applicandis.

Gale. 2. de compoſ. med per loc. cap. 1. In inueteratis capitis Affectionibus ac doloribus ualidis ac frigidis neceſſario capillos radimus aut ualde uſq; ad cutem reſecamus. Paulus lib. 3. cap. 4. Topica mutentur ſingula continue, nam uetuſtate fiunt

inefficatia. Gale. 2. de compos. med per loc. cap. 2. inquit q in principio morbi a debilioribus est auspicandum, quum statim efficacißima adhiberi nō conueniat, ut supra dictum est.

De Hemicrania.

Ἡμικρανία siue ἑτεροκρανια est ubi uel in parte sinistra uel dextra dolor capitis accidit qui interdum intensionē quādoq; remißionem infert, locus doloris interdum extra caluariam percipitur, aliquibus ad capitis usq; profunditatem penetrat, quibusdam uero temporum musculos uehementer infestat &c.

Loci consentientes de hemicrania.

Gal. 2. de compos. med per loc. cap. 3 Hemicrania est affectio dolorosa circa dimidiam capitis partem aliquando dextram aliquando sinistram, quæ iuxta sutturam secundum eius longitudinem terminatur & ut plurimum exacerbatur.

Auic. prima tertij, hemicrania est dolor in una medietate capitis excitatus &c.

Razes quem multi sequuntur nullum agit de hemicrania caput, uolens fortasse pharmaca quæ inueterato capitis dolori medentur, hemicranicis etiam affectionibus auxiliari, sed non mirum, quum nec Apollonius Archigenes & Asclepiades una cum Critone ut refert Gale. scripserint. De loco affecto loquitur Gale. loc. cit. ibi quidam circa temporum musculos dolitant & pleraq; sane ipsorum pars hoc modo affligitur, quidam uero dolorem longe ulterius progredientem habent & quidam adeo uehementer dolent ut neq; manus contactum facile ferant.

Aet. ser. 6. cap 49. & aliquibus contingit ut extra caluariam doloris sensum perceptent, quibusdam in capitis profunditatem penetrant &c. Similiter Paulus lib. 3. cap. 5. Quanquā unum idem caput de cephalea & hemicrania ipse faciat.

De causa hemicraniæ.

Causa est plenitudo uel humorum aut uaporum influxus. Fieri nonnunquam etiam potest hemicrania ab intemperie nuda absq; humorum complexu, sæpius tamen fit ex aliarum corporis partium consensu & deniq; ab his omnibus quæ dicta sunt superius de cephalea.

Loci consentientes de causis hemicraniæ.

Gale. 2. de compos. med. per loc. cap. 3. hemicrania fit ex influxu humorum siue multorum siue calidorum siue frigidorũ causam doloris suggerente. Hoc idẽ asserit Aet. ser. 6. cap. 49. itidem Paulus. Alex. lib. 1. cap. 18. nonnunquam fieri inquit ex solo temperamento sæpius ex consensu aliarum corporis partium &c. negat tamen Auicen. posse fieri hemicraniam a malitia complexionis singularis. i. ab intemperie nuda, sed quum nullam adducat euidentem de hac re rationem, plus tribuendum esse Alex. authoritati asserere in hac re quàm Auicenæ.

De hemicraniæ indicijs.

Quanuis uberius de indicijs supra dictum sit quum de Cephalea uerba fecimus nihilominus ut in summa referã, Grauitas molesta plenitudinem indicat, dolores cum erosione humorum uel uaporum acrimoniam, dolores cum pulsibus inflammationem, dolores uero ad radices oculorum se extendẽtes, intra caluariam morbum denotant, si uero circa caluariã doleat, dolores extra sunt, de humorum qualitate summi potest indicium, a iuuantibus & nocentibus applicitis &c.

Loci consentientes de hemicraniæ indicijs.

Aet. ser. 6. cap. 48. Dolores cum grauitate humorum multitudinem indicant, cum mordacitate, humorum uel uaporum acredinem, cum pulsu inflammationem &c. & paulo inferius, Dolores quidem in superficie hærentes membranæos

caluæ ambientis affectionē significat, quibus uero affectio inter caluariam est, dolores usq; ad radices oculorum procedunt &c. Hoc idem asserit Gal. 2. de compo. med. per loc. cap. 2. & Paulus ægi. lib. 3. cap. 5. Auic. prima tertij, cap. 37. quum fiat hemicrania modo a frigidis modo a calidis, frigidos esse dices si cum calefactione quietem inueneris, calidos si quietē cum infrigidantibus &c. Vide etiam de his latius Gale. 3. de loc. aff. cap. 9.

De cura hemicraniæ.

Tres sunt in cura hemicraniæ intentiones medendi, Prima est euacuatio, Secunda est reuulsio ac deriuatio, Tertia malæ qualitatis permutatio. Euacuatio fiet uel pharmaco uel uenæ sectione, prout æger magis opus habuerit & de his superius uberrime dictum est in capite cephaleæ. Reuulsio ac deriuatio per eadem & perficientur ut supra dictum est, Verū ante accessionis tempus hæc perpetranda sunt, iuuat in hoc fricare partem, quæ circa temporum musculum est, tam diu, ut excalefiat, præsertim si a frigida causa dolor proueniat.

Mala intemperies siue humorum qualitas per sui contrarium permutabitur ut calida cum frigidis frigida cum calefacientibus, utrisq; tamen semper ea addenda sunt quæ adstringentem facultatem habent, eo tamen seruato, q; in uehementi caliditate modice refrigeres in frigida multum excalefacias, dolor uero sine humorum complexu per alterantia tantum extrinsecus adhibita, curabitur.

Loci consentientes de cura hemicraniæ.

Gal. 2. de comp. med. per loc. cap. 3. ubi quis hemicraniam curare aggreditur prius quali purgatione, aut uenæ sectione æger opus habeat, consideret, atque ita ad capitis auxilia progrediendo. tum per digitos suæ manus tum per linteum

dimidiam frontis partem & eam maxime quæ circa temporum musculum est confricando ex calefaciat, atq; id ante accessionis tempus faciendum est, post exacerbationem uero pharmacis hemicranicis utendum. Quod si multa caliditas in doloribus percipiatur, ijs quæ modice refrigerant, citra uero hanc, ijs quæ multum excalefaciãt, uerum utrisq; ex his quæ firmitatem ac robur addunt, misceantur quæ adstringentem habeant facultatem &c.

Auic. prima tertij, cap. 38. Eius cura est phlebotomia & proprie uenæ frontis & temporis, & solutio, & clysteria et attractio, & totum cum eo quod conuenit ipsi ut dictum est, quum periodus adest oportet ut purgetur corpus ante ipsum, & permutetur complexio post purgationem, quod si materia fuerit calida pones narcotica super tempora &c. & paulo infra ægritudo cuius tempus est prolongatum est frigida secũdum dispositionem & indiget resolutionem & quod calefaciat cum fortitudine &c.

Alex. lib. 1. cap. 8. Si hemicrania citra materiam ab intemperie fiat, solis extrinsecis utendum est præsidijs. Si uero cum materia cõsiderandum est quis nam humorum adauctus redũdet, quod si sanguis modum excesserit, sectione uenæ utendum si alius humor sortito medicamine statim euacuãdus est &c.

De cura cephaleæ & hemicraniæ per consensum.

Si ab uniuerso corpore caput afficiatur, quatuor erunt curandi intentiones. Prima euacuatio aut purgatio, Secunda reuulsio & malæ qualitatis impræsse repulsio, Tertia erit eius si quid adsit in capite, concoctio, Quarta erit partis affectæ roboratio ac discussio, si uero uni alicui parti condoleat, binæ tantum erunt intentiones, altera. s. ad membrum ex quo humores uel uapores mittuntur, altera ad membrum in quo recipiuntur. Euacuatio fiet si multitudo humorum in uenis fuerit

per sectionem uenæ, si uero qualitate tantum humores inualeant, purgante pharmaco utemur &c. Reuulsio fiet in partem contrariam reuelendo, repulsio malæ qualitatis impressæ fiet per sorbitiones aut irrigationes moderate refrigerantes. Concoctio eius quod capiti impactum est, fiet per attenuantia & incidentia ut dictũ est supra. Roboratio fiet etiã per eadem et ut supra dictum est, Quod uero attenuatum est, & incisum tunc discutiendum erit. Si uero una pars mandet & altera suscipiat, quod altera non trasmittat stypticis refrigerantibus procurandum, & quod caput, ne recipiat, ijs quæ firmitatem ac robur indunt, utendũ erit. Quot modis autem aliquid per consensum fiat lege fusius ex Auic. secunda primi, cap. de complendis dispositionibus &c.

Loci consentiẽtes de cura cephaleæ & hemicraniæ.

Gale. 2. de compos. med. per loc. cap. 1. Si ab uniuerso corpore caput afficiatur prospiciendũ intemperiei & materiæ prædominanti instando easq; urgendo & si multitudo humorum circa uenas fuerit uenam seccabimus, si qualitas magis inualuerit purgante pharmaco utemur, quod si uni alicui parti cõdoleat existente calida intemperie, panem ex diluto uino dabimus exhibendo etiam sorbitiones ex alica & foris irrigationes moderate refrigerantes & firmitatem addentes ut dictum est &c. Et paulo superius dixerat si aliunde humor uel uapor deriuet influentem imprimis repellere necessarium est, Impactumq; concoquere & attenuare, idq; ipsum discutere, & circa partem affectam firmitatem inducere ut ne quid influens amplius suscipiat. De Reuulsione loquitur Hippocra. aphor. 5. aphor. 68. ibi dolenti partem capitis posteriorem in fronte uena incisa prodest. De Coctione Gale. 2. de compos. med. per loc. cap. 1. ubi inquit, si uero ob crassos & uiscosos humores in stomacho contentos caput doleat, hos extirpabi-

mus acetum mulſum exhibendo aut ſimplex aut Iulianicum appellatum ex hyſſopo & origano potionibus &c. Quod uero membrũ ne tranſmittat iubet Razes bucellas panis in ſucco granati aut uuæ acerbæ aut horum ſimiliũ exhiberi, Quare de refrigidis ſtypticis opus eſt in his uti &c.

De his quæ lædunt caput.

Gale. 2. de compoſ. med. per loc. cap. 1. iuxta finem uiticis ſemen Abſinthij ſuccus, lac in potu, Glandes quercinæ, oliuæ nigre, Eruum hoc enim articulos diſſoluit, Offendunt etiam caput Myrrha, Thus, Hederæ cacumina, Perturbãt etiam mẽtem lẽtiſci fructus, crocus, peucedanum cyclaminus ſicca cum uino potata, ſtyrax, Medicus potus triſtitiam diſcutit, Multus autem turbulentos ſomnos efficit &c.

Dioſco. lædunt præter hæc, palma, arbutus, ferula, meu, Mandragora uinum gipſatum &c Auic. præter hæc damnat lac, Allium, Cepas et omnia acrumina. Et prima tertij, de ſer. uniuerſ. ſod. omnia aromata ſiue calida ſiue frigida, Item damnat carnem uacinam & reliquas carnes craſſas fabas auellanas &c.

De pronoſt. cephalæ & hemicraniæ.

Hippoc. aphor. 6. aphor. 10. caput dolenti & circundolenti pus uel aqua uel ſanguis effluens per nares aut os aut aures morbum ſoluit. B. Intellige ſi dolor ab inflammatione aut ab humorum multitudine fiat, alioqui ſi a flatuoſo ſpiritu aut ab intemperie contigerit, non per hos modos ſanaretur ut Gale. in commen. Et aphoriſ. 3. aphoriſ. 13. Si æſtas ſicca fuerit & aquilonia autumnus uero pluuioſus & auſtralis dolores capitis ad hyemem fiunt. Hoc idem etiam adſerit Auice. prima tertij, cap. de uniuerſ. ſermone ſodæ. Et aphor. 4. aphor. 70. Quibus urinæ perturbatæ quales ſunt iumentorum, ijs dolor capitis uel adeſt uel aderit Ba. Nota ex Gale.

commen. quod quædam urinæ longo tempore manent pertur batæ, quædam cito ſedimen craſſum habent & cito morbum finiri denotant, quæ uero non reſident, ſi uires adſint longum fore morbum prænunciant ſi imbecilles ægri mortem prædicunt. Auic. ſimiliter de his pertractat de ſignis nunciatiuis ſo de cap. 8. ibi urina ſimilis aſinorum urinis ſig. quod ſoda fuit aut ſit aut erit, & ſimiliter rubedo urinæ et ſubtilitas eius in febribus & hora criſis ſignificant p̄mutationē ad caput &c.

Hippoc. aphor. 6. aphor. 51. Quicunq; ſani dolore capitis repente capiuntur & ſtatim muti fiunt & ſtertunt in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit &c. Et. 3. pronoſt. cap. 7 capitis dolor uehemens & continuus cum febre, ſiquid ex indicijs extiterit exitioſis, lethalis admodum eſt &c. Hoc idem etiam habet de coactis prænotionibus & plura multa. Et. 3. pronoſt. cap 12. Si quis per febrem non exitioſam dixerit caput dolere, aut etiam tenebricoſum quid ob oculos obuerſari, ſi uentriculi dolor in eo extiterit billioſa uomitio aderit &c. et poſt hæc tres capitis dolorū diff. aſſignat, ibi ſi quibus horum cæpit dolor &c. lege fuſius & plura inuenies ad hanc rem utilia. Arcul. Dolor capitis continuus prolongatus frequenter ad cerebri abſceſſum aut cecitatem ægrum perducit, Item cephalalgia in febribus continuis quæ non inclinante febre remittitur phrenitidem pronunciat Hippoc. 3. de morbis circa principium, quum grauis capitis dolor repente per exordia mutum facit præſertim cum temulentia hic in ſeptem diebus perit. Habes etiam plurima pronoſtica ex prædictione ſecunda ipſius Hippocratis quanquam eſſe Hippocratis librum falſo aſcribant nonnulli &c.

Authores erronei diſſentientes circa dolorem capitis.

1 *Adſerere cephaleam a cephalalgia non differre.*

2 *Adserere alterationem esse solam tantummodo causam doloris cum Auerroe.*

3 *Adserere humidum quatenus humidum nullo modo efficere dolorem.*

4 *Adserere solutionem continui esse solam tantummodo causam doloris.*

5 *Adserere q; tenues urinæ dolores capitis significent.*

6 *Adserere sectionem uenæ non in omni capitis dolore conuenire.*

7 *Adserere reuulsionum modos esse sex tantū & non plures.*

Confutatio dissentientium circa dolorem capitis.

Ad primum Gale. 3. de loc. aff. cap. 9. constat q; sicut in cephalalgia, ita et in cephalea caput facillime afficitur, atq; hoc est ipsis commune, uerum per cephaleam affecte partes multo debiliores quam in cephalalgia redduntur igitur intense differunt.

Ad secundum Gal. 2. de comp. med per loc. cap. 1. dictum est ob dissolutionem continuitatis similarium partium dolorem oboriri, Dissoluunt enim erodentia dissecantia distendentia & uehementer calefacientia & refrigerantia &c. Si igitur dissolutio continui causa est doloris non ergo sola tantummodo alteratio &c.

Ad tertium Gal. in arte med. cap. 80. Alteratur substantia a caliditate frigiditate humiditate siccitate, itidem adserit, secūdo de uic. in morbis ac. com. 1. igitur humiditas alterando efficiet dolorem, quod intelligēdum est si non per se saltem hoc efficere per accidens.

Ad quartum Auic. prima tertij, de uli ser. sod. Causa doloris aut est mala complexio aut solutio continui aut utraq; sicut in apostemate. itidem ait Gale. 12. meth. cap. 7. necesse est ut affectus qui dolorem extitat uel diuisio sit uel alteratio &c.

itidem in art.med.cap.80. igitur non sola solutio continui est causa tantummodo doloris sed etiam alteratio.

Ad quintum respondet Gal. aphor.4.com. 70. esse falsum q̃ urinæ tenues sint κεφαλαλγικα.i. dolorem capitis significantes &c.

Ad sextum Hippoc.aphor.5.aphor.68.Dolenti partem capitis posteriorem in fronte recta uena incisa prodest, Qua de re si non ratione euacuationis, ratione tamen auersionis ne aliquis abscessus fiat semper conueniet.

Ad septimum Gal.5.meth.cap.3.Reuulsio in his que supra sunt omnibus, deorsum semper agitur, sursum in ijs que sunt infra.Præterea a dextris ad sinistra, sicuti ab ijs rursus ad illa, similiter ex ijs quæ intus sunt ad ea quæ foris habentur & sic sunt sex modi, sed hic Gale. reticet modum de ante & retro, quem aphor.5. commẽ.68.recitauerat & sic sunt octo.

De phrenitidis descriptione.

Phrenitis duplex est uera & notha, uera est inflammatio membranarum cerebri cum febre acuta delirium & mentis perculsionem inducens mendosa quæ paraphrenitis dicitur, est non inflammatio cerebri uera a consensum totius uel alicuius partis dependens, Phrenitidis tres sunt differentiæ, Altera qua læditur cogitatio & seruatur ratio & memoria, Secũda in qua solum læditur ratio, seruata imaginatione & memoria, Altera in qua læditur memoria, ratione & imaginatione seruata, Quarta etiam addi potest, in qua nihil horum seruatur. Si igitur imaginatio læditur tunc pars sincipitis læsa est, si memoria pars occipitis, si ratio medius uentriculus &c.

Loci consentientes de phrenitide & eius diff.

Gal.lib.finit.med.Phrenitis est mentis delirium cum febre acuta ac flocorum collectu & mentis emotione. Paulus lib.3.

cap.6. ἡ φρενῖτις φλεγμονὴ τῶν μηνίγγων ἐστίν. Auice. pri. tertij,tra.3.ca.1.charabitus.i. phrenitis est apostema calidum in uelamine cerebri subtili ac crasso absq; corpore cerebri,li cet quandoq; cerebro accidat,uocatur etiam,ab ipso sirsen ca lidum. Quod uero fiat cum acuta febre lege Hippoc.lib.3.in epidemicis morbis ibi φρενιτίζειν Græci dicunt qui cum fe bre acuta desipiunt, Μαίνεσθαι uero qui citra febrem insani unt. Hoc idem sentit Gale.5.de sympt. cau.ubi inquit delirium esse motum principis facultatis deprauatum a prauis succis, siue a cerebri intemperie ortum habens cui si febris accesserit phrenitis uocatur, si citra febrem mania &c. Quod uero tres sint uel quatuor phrenitidis differentiæ. Inuit Gale.4.de loc.aff.cap.2.ubi inquit tres sunt differẽtiæ duæ quidem sim plices ex quibus tertia componitur. Prima quæcunq; oculis offeruntur,quantum ad sensitiuam notitiam pertinet,recte iu dicat,cogitando uero a naturali iudicio aberrat, Secunda re cte cogitat, sed a sensibus difformiter mouetur, Tertia quæ si mul & sensus & cogitationis uitio laborat. De memoria amissa in hoc causa habes ex Galeno exemplum de quodam qui cum matellam petiuisset,meiere tamẽ neglexerit, aut quũ lotiũ emisisset matellam prodere non meminerit &c. Quod uero quarta species siue differentia addi poßit habes ex Aui cenna capite de signis charabiti. De his etiam mentionem fa cit Aet.ser.6.cap.2.ibi proinde anteriore cerebri parte læsa imaginatio solum peruertitur &c.

De causis phrenitidis.

Causarum aliquæ antecedentes,aliquæ coniunctæ, antece dentes sunt succi calidi ueluti sanguis & utraq; bilis in cere bri membranas penetrantes. Coniunctæ sunt ijdem et succi in flammationem ad actum deducentes. Paraphrenitis uero fit a uaporibus calidis & mordacibus, a toto uelut in febre acu

ta ad

ta ad caput elatis, interdum fit etiam a ſimplici & nuda alteratione, interdum affecto diaphragmate uel alia quapiam corporis parte. Verum ea quæ a ſepto tranſuerſo, prouenit, adeo ſimilis ueræ phrenitidi exiſtit, ut quis facile in hoc decipi poßit &c.

Loci conſentientes de cauſis phrenitidis.

Gal. 5. de ſympt. cau. cap. ult. Phrenitis non ſolum ob calidos ſuccos uel calidiorem cerebri temperaturam accidit, ſed quum phlegmonem in cerebro uel in ipſius membranis, ij ſucci pariunt &c. Paulus lib. 3. cap. 6. Cauſa morbi eſt ſanguis exuperans uel bilioſus humor, interdum flaua bilis adeo peruſta ut in nigram degenerauerit quæ etiam grauißimã phrenitidem contrahit &c. Gale. 5. de loc. aff. cap. 4. Atq; delirare etiam ſolent nonnulli ob uitium quod in ore uentriculi conſiſtit & febribus ardentibus & pleuritide & peripneumonia, ſed quæ ob ſepti tranſuerſi accidunt deliria non multum diſtant a phrenitide.

De phrenitidis indicijs.

Quum tria ſint phrenitidis indicia, Præcedentia. ſ. demoſtratiua ac rememoratiua, de præcedentibus ac demoſtratiuis hic tantum mentionem facimus. Signa præcedentia ſunt, uigiliæ prolixæ. ſomnus turbulentus, bliuio agreſtis, dolor capitis promptitudo ad iram & odium, aluus adſtringitur, urinæ ſunt tenues, bilioſum humorem ad ſuperiora petentem demoſtrantes. Signa demoſtratiua ſunt ſex, ut febris continua concluſa, magna capitis & oculorum grauitas, uehemens in facie & oculis rubor, dolor capitis, horror luminis, & pulſus frequentia cum duritie. Signa inter ueram & ſpuriam interſtinguentia ſut, ut ſiquid ex dictis ſex defecerit, non amplius ſit uera, ſed ſpuria, Præterea ſi ab altera corporis parte uel a toto ut in febribus fieret,

tunc mendosa est, nam febre curata etiam ipsa curatur, Praeterea mendosa statim fieri solet, uera autem paulatim accedit. Signa causarum sunt, nam sanguine peccante, oculorum aderit rubor, uenae sanguine tume factae, risus, motus morbi uniformis (uniformiter moueri inquam quum nec de tertio in tertium, nec de quarto in quartum accessionem habet) sanguis destillat e naribus, somnus lõgus, imaginationes rubeae. Signa bilis sunt audatia, temeritas, oculorum uultusq; flauities, uigliae multae, linguae ariditas, qui uero tam inaniter saeui unt ut coerceri nequeãt, ijs ab atrabili phrenitis procedit, De signis quae affectam particulam demostrant superius dictum est. Signa inflammationis in cerebro aut in eius membranis sumuntur ex dolorum ac oculorum affectionibus, nam maior est dolor quum in membranis inflammatio existit, quam in cerebro &c.

Loci consentientes de signis phrenitidis.

Gal. 5. de loc. aff. cap. 4. de omnibus his signis mentionem facit ibi interdum uigiliae praecedunt, & somnus manifestis imaginibus turbatus ita ut clament, & exiliant, interdum adeo agrestis obliuio ut ne meiere sed nec matellam prodere meminerint &c. lege fusius & inuenies multa a me pridem recitata leges etiam in hoc capite differentiam inter ueram & mendosam phrenitidem.

De signis sex demostratiuis loquitur Razes. 9. almans. ibi quum aliquem febris conclusa continua inuaserit cum forti capitis & oculorum grauedine, & in facie atque in oculis uehemens fuerit rubedo & capitis dolor, & horror luminis fuerit, & in pulsu uelocitas, & frequentiae superfluitas, sunt certissima phrenitidis indicia, Quod si lingua fuerit nigra uel citrina & permisceatur intellectus et multum fuerit alienatus & multũ uigiliauerit, iam phrenitis perfecta est &c.

Sed Gal. 1. prorrhet. commen. 4. a principio usque ad finem methodum inueniēdi phrenitidis indicia docet, ubi quæ propria quæ ue inseperabilia esse signa dicantur facile intelliges. De paraphrenitide loquitur Paulus lib. 3. cap. 6. ibi, Quæ consensu stomachi gignitur, non est phrenitis, sed hoc solum puta delirium, facit etiam mentionem de signis causarum, ibi quibus sanguineus humor morbum facit, ij cum risu insaniunt, quibus flaua bilis, ferociter, quibus atra tam imaniter sæuiunt ut coerceri nequeant &c.

De uera ac mendosa phrenitide loquitur etiam Cornel. cels. lib. 3. cap. 18. ibi phrenitis tum demum est quum continua dementia esse incipit, sed perfecta est, ubi mens imaginibus addicta est &c. Itidem Gal. aphoris. 7. commē. 14. Desipientia agnoscitur loquentibus agentibus ue nihil consentaneum rationi &c. lege etiam de his Hippocra. 3. de morbis circa principium &c.

De cura ipsius phrenitidis.

Considerandum in primis num facta uel fienda sit inflammatio, quod si non facta prohibendum ne fiat, his uidelicet quinq; modis, Primo cum uictu tenui ac alijs sex rebus non naturalibus in contrarium ordinatis, Secundo reuulsione & deriuatione, uel si adsit plethoria euacuatione, Tertio repulsione, Quarto sanguinis & aliorum humorum alteratione, Quinto euacuatione, Regimē sex rerum non naturalium tale sit, primum quiescat in aere puro ac temperato, nec in thalamo sint picturæ, uictus sit in primis tenuis ad frigidū decliuis, abstineat a potu aque frigidæ præsertī si morbus in septo trāsuerso fuerit, sed potus sit aqua hordeacea cum oxymellite. Reuulsio fiet per sectionem uenæ cephalicæ. Deriuatio per hyrudines naribus applicitas, uel per sectionem uenæ in fronte uel per caustica quædam uesicatoria nuncupata. Euacuatio

nimia existente plethoria fiet incipiendo a saphenis deinde a communi & a basilica. Repulsio fiet per epithemata instillationes & cætera topica prout supra relatum est in cura cephaleæ calidæ. Epithemata fient cum oxyrhodino, Quod uacio modo parari solet, Nam aliqui aquæ rosaceæ ad alia ingredientia portionem duplam immittunt sicut ℞ aquæ ros. ℥. viij. olei. ros. & aceti ana. ℥. ij. Alij uero uolunt ut ex his tribus aliud sit subduplum ad reliquum ut uerbi gratia ℞ aquæ ros. ℥. viij. olei ros. ℥. iiij. aceti. ℥. ij. Alex. uero quintã aceti partem oleo ros. adiungit. Alteratio sanguinis uel bilis fiet per infrigidantia styptica et hæc perficitur per cibum aut potum per Iuleb aut Sy. uocatos aut confectiones, Cibi sint frigidi styptici, Potus sit uinum granatorum malorum uel cydoniatus succus omphacium, limones & arantia mala. Iuleb sit rosaceum uel cum aliquibus Sys. concinnatum miscendo una aquas uel decocta plantaginis solatri portulacæ cicorij, uel sic paretur, Accipe sy. de acet. citri. ℥. iiij. Sy. de papauere. ℥. ij. aquæ ros. florum nenupharis cicorij ana. ℥. v. uini granatorũ. ℥. i. uini cotoneorum malorum. ℥. s. fiat Iuleb cum sandalis rubeis aromatizatum. Syrupi sunt sy. de ribes de limonibus de succo acetosæ sy. rosaceus uiolaceus de papauere de citro de agresta oxysachara sy. de granatis. Confectiones sunt conserua ros. uiol. boraginacea, diacorali diarhodon abb. & c. Euacuatio fiet si morbus sit sanguineus per sectionem uenæ ut supra retulimus si uero biliosus per pharmacum cholagogum, quod fiet per electuaria uel pillulas uel potus prout opus fuerit, de quibus supra in capite cephaleæ fusius pertractauimus, Peculiaris tamen est aqua fructuum mes. distin. 7. Antidotarij & infusio rheubarbari & c.

At si inflammatio facta sit tunc duo erunt medendi scopi, alter ab materiæ fluxæ resolutionem, alter ad tollenda sym-

ptomata. Resolutio materiæ ita fiet, primo euacuando materiam exuperantem cum rhebarbaro Myrobalanis uel pillulis iam dictis, Secundo resoluendo cum topicis temperatæ caliditatis sicut cum columbis, pulmone arietis & catulis scissis ac euisceratis cum natiua eorum caliditate, aut aduentitia præsertim parata cum rebus anodinis modice calidis ueluti sunt uiolæ maluæ melliloti folijs lauri corticibus papaueris camomilla anetho folijs senæ & stechade &c. Remotio symptomatum fiet si uigiliæ adsint cum somnum prouocantibus ueluti cum sy. de papauere cum lotionibus extrinsecis soporiferis, ut cum corticibus capitum papaueris albi, cũ hyosciamo floribus nenupharis uiolis anetho, & cum folijs uitium salicis lactucæ mandragoræ rosam populi &c. uel cum seminibus papaueris albi, aut semiscrupulo pillularũ de cynaglossa &c. Quod si retineatur urina, eam prouocabimus cum oleo scorpionum inungendo circa uesicæ regionem uel cum cataplasmate ex paritaria &c.

Loci consentientes de cura & primo de regimine.

Auice. prima tertij, cap. de charabito loquens de regimine sex rerum naturalium inquit & fac eum quiescere in domo temporata & in aere puro.

Obiectio.

Aer esse debet frigidus quum sit morbo contrarius & cordis intemperiem magis euentet. Quomodo igitur erit temperatus ut Auicenna.

Responsio.

Aer ratione morbi potestate debet esse frigidus, sed non actu quia peros ac meatus cutis nimium constiparet, Calidus uero nimium caput repleret & resoluendo uires debilitaret, Quare magis tẽperatus esse debet quã frigidus. Hoc etiã

habes ex Gale.10.meth.& ex Alex.& Raze.1.cõtinentis.Mesues cap. de phrenit. & Auic.loco citato,Domus in qua locatur patiens sit exuta a formis & luciditate,nam phreniticus intueri eorum imagines diligit & ex earum intuitu læditur cerebrum.

Obiectio.

Quomodo hic luciditas prohibentur quum Alex cap. de phrenit. dicat q magis lucidus debeat esse aer quã obscurus.

Responsio.

Si patiens ex tenebris timorem concipit, aut amoto lumine in imaginationes incurrat aer esse debet lucidus si uero ecõtra in obscuro quiescat, Vide in hoc casu Corn.cels.lib.3.cap. 18. De uictu loquitur Paul.lib.3.cap.6. inquiens, Cibus primum esto aqua mulsa,deinde ptisanæ cremor & sorbitiones excondro cum quadam dulci potione ut rhodomellite, panis quoque aqua lotus recte exhibetur, similiter intubum lactuca elixa;ab aquæ frigidæ potu arcendi sunt præsertim si septum trãsuersum consortij lege malo dedisse originem cognoueris. Razes similiter.9.almã. Nutrimentum eius sit aqua hrodei semel aut bis in die sumpta secundum consuetudinem quam in tempore sanitatis habuerit Arcul. iubet ptissanam quater in die esse sumendam. Auice.incipe nutrire ipsum subtili nutrimento ita ut sis contentus oxymellite deinde permuta ipsum ad aquam hordei subtilem cum oxymellite, deinde permuta ad crassum & considera ægritudinem & uirtutẽ,& loquens de potu aliena inquit eos ab aqua uehementis frigoris.

Obiectio.

Dogma Auic. de cibandis ægris omnino contrarium uidetur Hippocra.1.aphoris. Nam iubet q a principio morbi uictus sit craßior & uersus statum sit tenuior hic uero econtra iubet primum q sit tenuior & uersus statum craßior.

Responsio.

Modus cibādi in morbis acutis cum apostemate est diuersus ab eo qui tantum in morbis acutis sine apostemate fieri solet, Nam morbus acutus cum apostamate requirit in principio uictum tenuiorem ut membra magis conficiant & retineant & motus humorum ex hac retentione supprimatur, hocq; habetur ex ipso Auic. fen. 16. cap. de cura fluxus cum excoriatione & cap. de tinesmo: sed in alijs morbis acutis seruatur dictū Hipp. De diuersione ac sectione uenæ loquitur Gale. 13. meth. cap. 11. ibi, itaq; incidenda est in talibus affectibus uena statim ab initio, si modo tam ualens fuerit uirtus ut sine noxa mißionē sanguinis tolleret & paulo post, & hoc utriq; uitio commune est & ei quod cum sopore & ei quod cum uigilijs incidit &c. Similiter Mes. cap. de phren. In primis si nihil prohibeat phlebotometur cephalica deinde phlebotoma uenas frontis, uel sanguisugas naribus applicato &c. Razes. 9. alman. Aegro igitur antequā prædicta compleantur accidentia est subueniendum ex sanguinis detractione & uentris solutione cum succo fructuum &c. Aduerte q. Azarauius non uult fieri sectionem uenæ in biliosa phrenitide sed tātum hemorrhoidarum prouocationem. Auicen. pima tertij, cap. de cura charab. fiat phlebotomia ex cephalica & egresſio sanguinis aliquantula imo multa ualde, Deinde phlebotoma uenas frontis &c. & cum phlebotomaueris tum oportet ut ipsum clysterizes clysteri ualde leni cum oleo. s. rosaceo et aqua hordei deinde trahe materiam ad interiora cum fricatione pedum &c.

Obiectio.

In principio morbi conueniunt ne frictiones?

Responsio.

Dico q. repletione imminentē ne materia plus agitetur quam auertatur non conducere, sed remota hac causa si fuerint debiles frictiones & a longinquis partibus incepte forte

conducent &c. De hac sectione omnes fere practici loquuntur similiter Cor. Cel. lib. 3. cap. 18. ipi, Quod si uires patiantur ægri sanguis quoq; mittendus, Itidem ait Aet. ser. 6. cap. 2. &c. De repulsione loquitur Gal. 13. meth. cap. 21. ibi, Commune præterea utriusq; est ut oxyrhodinum in principio admoueas &c. Simliter Auic. prima tertij cap. cita. ibi & pone super caput eius in principio oleum rosaceum cum aceto infrigidatum niue &c. & oportet ut in principio administres repercussiua pura, nisi sit de genere magno ex quo aposteman tur uenæ quæ sunt extra caput, &c. Nam in morbi augmento pura non conueniunt, sed cum resoluentibus mixta &c. Itidem fatetur Cor. Cels. loco citato ibi conuenit caput adcutem tondere &c. De alteratione per syrupos & confectiones habes plura ex Mes. Arcul. Marc. Cat. Sauonarola &c. Similiter de euacuatione, nam Arcul. si cholera fuerit in causa euacuabis eam cum medicina leniente, quæ etiam digesta materia erit, reiteranda &c. De remotione accidẽtium loquitur Cor. Cel. lib. 3. cap. 18. ibi si nihilominus uigilent hi, Quidam somnum moliuntur potui dando aquam in qua papauer aut hyosciamus decocta sit, & paulo post, seruanda est aluus quam tenerrima, remouendi terrores & potius bona spes afferenda, quærenda delectatio ex fabulis ludisq; quibus capi maxime sanus assueuerat. Paul lib. 3. cap. 6. Quod si urina ipsis delirij uitio cohibeatur, calentis hydrelei imbre pubem & uesicam fouebimus, Itidem ait Auic. loco citato inungens oleo pubem tepido.

Obseruationes de uenæ sectione.

Auic. prima tertij, cap. de charab. inquit q̃ phlebotomia fieri debet ex cephalica seruatis quatuor conditionibus. Prima q̃ nihil sit q̃ prohibeat sicut tempus anni, ætas, robur uirtutis &c. Secunda q̃ copiosa fiat si a sanguine phrenitis de-

penderet, pauca si ab alio humore, ibi cholericum indiget in sui cura eductione cholerae plurima & phlebotomia minore & cum cautella &c. Tertia quod cauenda est syncopis ita ut ne actu accidat. Quarta quod sit cautella in ligando ne ex magna commotione fieret hyppospasma i. uenae ruptio. Halyabbas unum tantum aduertit ut ne post tertium diem sui euentus fiat uenae sectio, hoc idem uidetur attestari Hippoc. in eo aphorismo Medicari in ualde acutis si materia turget eadem die, tardare. n. malum est. Auic. loc. cit. uidetur etiam inuere quod uniuersalis uenae sectio particularem praecedere debeat, obseruatis tamen tribus cõditionibus, Prima quod uirtus sit ualida, Secunda quod dispositio capitis hanc requirat, Tertia quod seua accidentia non adsint &c.

Obseruationes de repulsione.

Auic. de cura charab. conuenit oxyrhodinum niue infrigidatum & non calidum.

Obiectio.

Quomodo frigidum si Aet. ser. 6. cap. 2. dicat caput rosaceo tepido irrigetur, nam in cerebri membrana inflammata frigiditas rosacei non est tuta.

Responsio.

In phrenitide duplex esse potest medendi scopus quatenus ad topica, alter. s. ad inflammationẽ, alter ad reliqua indicantia, si igitur ad inflammationem tantum sit tua intẽtio tunc oxyrhodinum conuenit actu frigidum, si ad reliqua indicantia tepidum &c.

Obseruationes de euacuatione.

Mes. in cholerica phrenitide statim fiat euacuatio cum aqua fructuum, nec in mora sit medicus, nam induciae nõ dantur in praeparanda materia unde uersus: Sinocha cum colica

phrenesis squinantis & antrax,

Materias crudas euacuare iubent.

Et de topidis loquens inquit scito quod sanguinea indiget resolutione plus & extinctione minus, Colerica uero econtra, hoc idem ait Auic.

De pronosticis phrenitidis.

Hippoc. aphoris. 6. aphor. 53. Desipientiæ quæ cum risu fiunt securiores, quæ uero cum studio periculosiores. B. securior. i. minus periculosa & hæc fit a sanguine, sed quæ fit a flauabile timor est ne exusta insaniam satis furiosam generet &c. Et aphor. 2. apho. 2. ubi somnus delirium sedat: bonũ, B. hoc delirim non fit patiente cerebo, sed tãtum a caliditate nuda, unde mirum non est si id somnus de medio tollat. Et aphor. 7. aphor. 12. A pulmonis inflammatione phrenitis, malum, B. etiam econtra malum est si ex phrenitide inflammatio pulmonis sequatur, Verum q̃ tunc phrenitis mala est quũ ad cerebrum permutatur, uel si adeo excrescat ut meningæ cerebri patiantur. Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. Phrenitis mitior est quum a pallida bile ortum contraxit, uehementior quum a flaua, ferina uero quum a flaua bile perassata. Hippo. pronost. 1. cap. 9. Qui in febre acuta aut delirio aut pulmonia, aut capitis dolore, manus subinde ad os, fert, aut frustra uenatur muscas aut colligit festucas aut euellit pillos id exitiale est. B. lege fusius Gal. commẽ. de delirio. Et Hippoc. aphor. 4. aphor. 72. Quibus urinæ albæ & perspicuæ, malæ præsertim si in phreneticis appareant. Et Auicẽ. prima tertij, cap. de charab. nullus uisus est habẽs apostema in partibus cerebri cuius urina fuerit aquosa qui euaserit. Nam tunc aquosa esse dicitur urina, quum teste Gale, perspicua simul sit & alba. Hæc enim magnam cruditatem ac flauam bilem ad caput solummodo rapi ostendit &c. Mesu. cap. de phrenit. cura huius ægritu-

dinis si iam impreßit cassa est, si uero adhuc perfecta non est curatur, sed non apud negligentes & stultos medicos &c.

Authores erronei dissentientes circa phrenitidem.

1 *Adserere, cerebri substantiam nullo modo posse inflammari ut Serapio.*

2 *Adserere, phrenitidem absq; febre fieri posse.*

3 *Adserre, paraphrenitidē a nuda caliditate non posse effici.*

4 *Adserere, phrenitidem a sanguine exortam non esse signum periculosum.*

5 *Adserere, aquam frigidam in phrenitide posse exhiberi ut Razes.*

6 *Adserere, in omni phrenitide sectionem uenæ non conuenire.*

Confutatio disentientium circa phrenitidem.

Confutat primum Auice. cap. de charab. dicens, Quidam medicorum existimant q. ipsum cerebrum non apostematur, quia quod lene est ut cerebrum uel durum ut ossa non extenditur & sic non apostematur, sed hic sermo est erroneus quoniam lene uiscosum extenditur & ossa etiam apostemantur &c. quod intelligendum est per uiam congestionis, non autē per uiam rheumatis, & hoc idem sentit Auer. 4. collig. & Gale. 6. aphoris. com. 51. ibi, fiunt omnes patēte cerebro &c.

Ad secundum Gal. 3. de loc. aff. ca. 7. Igitur quemadmodū phreniticis febris unum quoddam accidens dispositionem cerebri censetur, sic econuerso in ardentium febrium dementia, multis elatis ad ipsum uaporibus. Idem sentit Hippoc. in epid. mor. & Gale. 5. de sympt. cau. &c.

Ad tertium Gal. 6. aphor. comm. 53. loquens de paraphrenitide inquit, Quæcunq; .n. ex sola caliditate sine humore uitioso fiunt, similes quodammodo sunt eis quæ ex ebrietate contingunt igitur quedam fiunt a nuda caliditate.

Ad quartum Gal. aphor. 2. commen. 2. sed satis fuit ei periculosissimum morbum phrenitidem nominare, & aphor. 6. commen. 53. nulla inquit desipientia secura est, igitur nec a sanguine exorta.

Ad quintum Auice. prima tertij, cap. de charab. & Alex. cap. de phrenit. Gelida autem aqua quoniam parum frugi omnino uitanda, nam internæ phlegmoni nocet deliriūq; auget & omnia in deterius conuertit, materiæq; resolutionem prohibet & neruis nocet & sic nullo modo conuenit.

Ad sextum conueniunt Alexan. Razes & deniq; omnes q. fieri debeat si non euacuandi saltem reuellendi gratia & hoc in principio morbi, cauendo ut supra.

De lethargi descriptione & loco affecto.

Lethargus est dormiēdi inexpugnabilis quædā cupiditas, eoq; λιθαργος dictus est, quod ab accidente. i. ab obliuione frigidum cerebri apostema sequente fiat, unde & alias ueteranus morbus uocatur, eo quod qui tali ægritudine laborant, æterno ueluti sopore afficiantur, fitq; hic morbus uel in meatibus substantiæ cerebri, & hoc ut plurimum, uel fit in paniculis uel in eius substantia, et hoc raro admodum contingit, in uentriculis uero cerebri nequaquam, Qui si fieri contingat, non amplius lethargi nomem, sed potius apoplexiæ uel epilepsiæ obtinet, fitq; ut plurimum in occipitio, interdum in sincipiti uel in medio, sed raro admodum.

Loci consentientes de lethargo.

Galæ. lib. finit. med. Lethargus est delatio in somnum non facile excitabilem, quæ cum coloris uitio & flatuoso ædemate, nec sine ipsarum quoq; solidarum partium, repulsifici spiritus languore prouenit fere indebili febre ac maligna. Auic. prima tertij, cap. 16. lethargia dicitur apostema phlegmaticū intra craneum factum & est firsen pituitosum &c. Et hæc

quidem ægritudo nominatur nomine ſui accidentis, ideſt ab obliuione apoſtema cerebri ſequente &c. Cel. lib. 3. cap. 20. In lethargo marcor eſt ac inexpugnabilis pene dormiendi neceſſitas &c. De loco læſo loquitur Paul. lib. 3. cap. de leth. ibi, τόπον μὲν ἔχει τὸν αὐτὸν τῇ φρενίτιδι, φημὶ τὸν ἐγκέφαλον &c. Auice. prima tertij, cap. 16. Et plurimum quidem fit in meatibus ſubſtantiæ cerebri, & raro in uelaminibus & ſubſtantia cerebri quia phlegma raro penetrat paniculos cerebri propter eorum duritiem, & propter eius uiſcoſitatem &c. Gale. 3. de loc. aff. cap. 5. In lethargo & in omnibus ſoporoſis affectionibus ratio & memoria pereunt. Quare quum memoria in occipitio & ratio in medio uentriculo reponatur, hoc ſequi neceſſe eſt lethargum .ſ. plerunq; in his duobus locis contigere &c.

De lethargi cauſis.

Quum cerebrum primario affectu laborat binas tantum cauſas antecedentes & coniunctas habere dicitur ex quibus procatarcticæ intelliguntur, antecedentes ſunt uehementia frigora cum multa humiditate complexa, ſicut in pituita & in nimia repletione cernitur, uel antecedentes dicuntur quæcũq; pituitoſum humorem generare poſſunt, ſicut comeſtio fructuum & ceparum aut nimia potio. Cauſæ uero coniunctæ ſunt hmores lethargum ad actum producentes, ſi uero cerebrum per conſenſum afficiatur, tunc uel fit exmutatione alicuius acuti morbi uelut a phrenitide & e afebre continente uel ab ſtupefacientibus pharmacis nimis refrigerantibus cerebro adhibitis, aut fit a diaphragmate, uel ab aliquo alio uiſcere affecto. Verus igitur lethargus a pituita tantum fit, nothus uero a pituita cum bile admixta, in capite putreſcente, oboritur, unde ſymptomata habet etiam admixta.

Loci consentientes de causis lethargi.

Gale.3. de loc. aff. cap. de morb. comit. lethargus ortum trahit a uehementi frigore. Et. 2. aphor. commē. 3. somnus inquit fit refrigerato primo sensitiuo. i. cerebro, quæ refrigeratio si mixta fuerit humiditati facit lethargicas paßiones, si cum siccitate καταλήψεις. Et. 4. de sympt. cau. cap. 8. fit lethargus a frigida multaq; humiditate grauāte. Vide etiam Gal. 2. de loc. aff. cap. ult. Nam ibi quotquot inquit affectus sunt soporosi ac somnolenti tot omnes a frigida causa oriri. Itidē. 3. de loc. aff. cap. 5. Paulus lib. 3. cap. de leth. ex pituita quæ frigore nimio et humiditate cerebrum imbuerit, contrahitur. Auic. prima tertij, cap. 16. Et hæc ægritudo generatur ab omni quo generatur humor phlegmaticus & in quo sunt euaporatio & putrefactio &c. Et plurimum inquit generatur ex comestioneceparum & ex nimia repletione stomachi & multitudine potus & comestione fructuum intellige frigidorum humidorum.

Obiectio.

Quur damnat cepas Auic. quum ex sua caliditate potius proficere, quam nocere deberent.

Responsio.

Considerat incepis duas esse partes, quasdam. s. crassas ex quibus pituita generatur, & quasdam acres quæ euaporationem ad caput mittunt, Quæ simul unitæ potius capiti nocent quam prosint. De causis per consensum loquitur Aet. ser. 6. cap. 3. fit lethargos ex mutatione alicuius acuti morbi ut ex phrenitide & a continente febre & ex alijs plurimis morbis in quibus præsertim euacuationes sequutæ sunt &c. Gale. lib. finit. med. lethargus euenit partim affecto principio. i. cerebro, partim ab scessu. Alex. lib. 1. cap. 20. si pituita sola deliquerit lethargiam ueram introducit, Notham uero pituita cum bile mixta in capite putrescente, & sunt in ea symptomata permixta.

De lethargi indicijs.

Indicia lethargi sunt. 13. ut dolor leuis quasi extendens, febris lenta, somnus grauis, obliuio uehemens, respiratio imbecillis & rara, crebra oscitatio, singultus ob stomachi consensum, albedo linguæ, pigritia in motu palpebrarum, pulsus rari & tremuli, aluus interdũ humida, interdum sed raro arescit, urinæ quales iumentorum, interdum tremores & sudores apparent &c.

Discrimen phrenitidis & lethargi ex Auicenna.

Vterq; affectus similis in hoc esse uidetur q; patientes aliena ac uaria loquuntur. Differunt uero quadrifariam Primo quia in lethargo somnus est grauis, in phrenitide paucus uel nullus, Secundo lethargici in suis lectis præcipitati iacent, phrenetici resurgunt, Tertio in lethargo pars posterior, in phrenitide anterior læditur, Quarto in lethargo est febris lenta leuisq; dolor capitis, in phrenitide uero uehementia sunt omnia &c.

Discrimen lethargi & apoplexiæ, sincopis & uteri strangulatus.

Differt lethargus ab apoplexia ex eo q; lethargus paulatine ac pedetentim fiat apoplexia uero statim, differt ab uteri strangulatu, quum excitatus respondeat, strangulata minime, differt a syncopi quum in lethargo facies sit uiuida in syncopi ueluti mortua, differt a subet & congellatione per febrem quæ nec in subetia uel congellatione accidit, intellige præsertim si ægritudines & non accidentia per se sint.

Loci consentientes de signis lethargi.

Paulus lib. 3. cap 9. In lethargo adest febris lenta non admodum acris, cum animi in somnũ profunda delatione, pulsus magni turbulenti, respiratio rara & imbecillis, & cætera omnia a me exposita. Auic. similiter prima tertij, de signis

leth.tbi soda leuis febris lenta, necessaria enim est febris in omni apostemate facto ab humore putrefacto et propter hoc seperatur a subet &c. Vide insuper Gal 5. de loc.aff.cap.de septi transuersi affectibus &.3.de loc.aff.ca.5. Itidem Aet.ser. 6.cap.3.ibi proinde cõsiderare oportet speciem delationis in somnum &c. De signis discriminum lethargi cum phrenitide apoplexia, & cæteris similibus lege ex Auice. Arcul. Sauonarola, & ab ipso Gordonio.

De lethargi cura.

Scopi in curando lethargum quinq; enumerantur, Primus euacuatio, Secũdus reuulsio, Tertius materiæ repulsio, Quartus symptomatum emendatio, Quintus uictus ratio instituenda. Euacuatio si adsit repletio, aut pituita cum sanguine abundauerit fiet per sectionẽ uenæ cephalicæ, Quod si minus sanguis redundet, per phlegmagogum per secessum uel per uomitum aducens moliri potest, Educunt pituitam hiera simplex hiera composita, Pillulæ chochiæ, electuarium indum et quæcunq; in cephalea ab humore frigido exarata sunt, Vomitus fiet ex decocto raphani cum sesquiuntia oxymellitis scilliticі. Reuulsio fiet per cucurbitulas lotiones clysteria, quæ multum in hoc casu laudantur, per frictiones ligationes &c. Clysteria parantur ex rebus ad caput spectantibus, sicut ex decocto, saluiæ, maioranæ, rutæ, betonicæ, stechados, cui mellis rosacei tres ontiæ & totidem olei communis adiectæ sint, uel si acria uolueris, adde prædicto decocto radicum cyclaminis, colocynthidos, cartami, centaurij quantumlubet, addito etiam sale gemeo, aut hiera composita electuario indo &c. Lotiones fiãt ex prædictis rebus a cubito ad extremam manum et a genu usq; ad plantas pedum &c. Repulsio materiæ perficitur per exteriora & interiora, Per exteriora in principio repellentia, Per interiora materiam præparantia. Exteriora

in prin

in principio repellentia sunt oxyrhodi num, in augmento repellẽtibus adde resoluentia, ut est aliquid castorei, et a medio statu usq; ad lethargi declinationem resoluentibus puris utendum, sicuti est emplastrum Mesues, quod recipit piretri sinapis scillæ castorei euphorbij &c. Interiora materiam præparanda sunt sy. de stechade oxymel scilliticum rhodomel &c. quæ dicta sunt in capite cephaleæ ab humore frigido cũ aquis uel decoctis saluiæ stechados maioranæ hyssopi betonicæ etc. Emendatio symptomatum fiet per ea quæ a somno profundo ægrum reuocãt, ut est fumus humanorum capillorum, itẽ frictio pedum cum aceto sale uel farina synapis, uel cum succo rutæ aceto et sale, reuocat etiam a somno pillorum euulsio partium inferiorum, clamor & tumultus, obliuio uero loquendi mingendi, ac egerendi, incitando, uesicam comprimendo, oleisq; aspergendo membraq; inferiora uehementer comprimendo, reuertitur. Victus sit tenuis incisorius ac rescans cum condimentis quibusdam paratus, ut panis contritus in aqua cum saluia pauco pipere uel cinnamomo, uel ptisana sale uel pulegio uel oxymellite parata, uel aqua cicerum uel lupinorum, Potus sit hydromel, in declinatione morbi uictus sit qui uires recolligat ac recreet, unde dandum est uinũ aquosum tenue album subadstringens, carnes sint gallinarum colũborum montanarumq; auicularum, pisces petrosi; olera sint porri asparagus petroselinum &c. Aer, sit lucidus splendidus, domus tepida, somnus non permittatur nisi per mediam horam deinde excitetur, ita ut de media in mediam horam dormiat & excitetur, Frictiones uicẽ suppleãt exercitij &c.

Loci consentientes de cura lethargi.

De omnibus his fere intẽtionibus loquitur Gal. 13. meth. ca. 12. & primũ de euacuatione, ibi, incidẽda est in talibus affectibus uena statim ab initio si uirtus ualeat &c. de humorũ

præparatione, ibi, excitare eos oportet & craßitiem humo-ris incidere & excalefacere incoquentes in aceto thymum & pulegium & origanum &c. de deriuatione, ibi, Mox pa latum ualentibus & acribus medicamentis ungemus, deinde sternutamentis utemur. De repulsione, ibi, tum capiti similes præsidiorum facultates imponemus adaucta semper eorum usque ad ipsum sinapi uehementia. De Reuulsione, ibi, Quin etiam cucurbitulis utemur &c. De euacuatione loquitur Aui ce. etiam prima tertij, cap. de cu. lith. ibi si nõ fuerit quod pro hibeat phlebotometur prius et si alia fuerint tibi necessaria, da ei ad potandũ hieræ pricræ. ʒ. i. et quartã unius drachmæ de pulpa colocynthidos & tres drachmas myrrobalanorũ & dauic unum masticis, Aet. ser. 6. cap. 3. si sanguis fuerit re dundãs secetur uena & pro uiribus euacuetur. De reuulsione loquitur Paul. lib. 3. cap. 9. ibi, si minus sectio uenæ competit eius loco clysterijs acribus aluũ ducemus. Acria. n. huc spectãt quia tum febris mitis est & lenis, tum quia materia crassa nõ apta fluere in uentriculo continetur, a quo clystere acutum di uertit & euacuat, similter Auice. loc. cit. administra eis clyste ria acuta & trahatur materia ad inferiora, & fac eum uo-mere cum penna melle & sinapi illita & frica extremitates eius donec rubescant & doleant &c. De repulsione & mate riæ præparatione loquitur Auic. cap. citato et in pincipio re-pelle materiam cum oleo rosaceo & aceto & post duos dies a principio sui misceatur eis castorium &c. Alex. lib. 1. cap. 10. uniuersam curationem capiti applicare oportet quo uapo res qui eo deferuntur promptius supprimantur, danda est in super opera ut humores ibi coacti conquoquantur incidantur & dißipentur &c. De sympt. emendatione facit mentionem Cel. lib. 3. cap. 20. ibi hos quidam excitare nituntur admotis his per quæ sternutamenta euocantur & his quæ odore fœ-

do mouent, qualis est pix cruda lana succida piper ueratrum &c. Auic. loco cit. Quum in subet profundi fiunt euelle capil los eorum & pone apud nocram uentosas multas cum igne & absq; incisione, & quũ eis acciderit obliuio urinæ & ster coris, embroca utraque emunctoria & uentrem cum decocto camomillæ melliloti, uiolarum & comprime uesicam &c. De uictus ratione instituenda lege Aet. ser. 6. cap. 3. ibi, Cibi porro sint tenues & incisorij ac resecantes & cum condimentis parati aniso cumino apio pipere, sunt tamen qui anesum damnent quum sit somniferum. Paul. lib. 3. ca. 9. etiam de his loquitur, ibi, alimentum sit cremor ptisanæ cum oxymellite uel pulegio & hoc in principio. Nam in declinatione uictus sit qui uires recolligat &c. Auice. loc. cit. Et quum nutris nutri eos cum aliquibus quæ sint sicut aqua lupinorum ciceris cum hordeo fracto, deinde quum finitur ægritudo administra restaurantia lege fusius hos authores, et plura, quæ hic recitari non possunt, inuenies &c.

Lethargum generantia.

Cepe, ozimum, semina nigri & albi papaueris, Poma mandragoræ.

De Pronosticis lethargi.

Hippoc. aphor. 2. apho. 1. In quo morbo somnus laborem facit, mortale, si uero iuuat non mortale. B. intellige somnũ quatenus somnum non esse mortalem, sed quatenus accidens alicuius morbi. Et aphoris. 2. aphor. 3. somnus atque uigilia si modum excesserint, malum. B. Excedit modum tripliciter, Primo ex parte quantitatis, unde multus uel deficiens, malus, Secundo ex parte qualitatis qualis est somnus inexpugnabilis & superfluus cerebrum infrigidans & humectans, Tertio ex parte temporis qualis meridianus & nocturnus. Auice. prima tertij, cap. de signis leth. Quumq; fortia fuerint ac-

cidentia lethargiæ & multiplicatur ſudor ualde, eſt, tunc periméns propter quod ſudor deijcit uirtutem, & quum ſpiritus dilatatur & fit bonns & declinant accidentia, tunc tendit ad ſalutem & proprie ſi apparent apoſtemata poſt aures &c. Cel. lib. 3. ca. 20. lethargus eſt de gnere acutorum & niſi ſuccuratur celeriter iugulat &c.

Authores diſſentientes circa Lethar. & Vertig. quære infra, pag. 156.

De Vertigine.

Τὸ σκοτοματίκον πάθος *i. affectus ſcotomaticus, qui et uertiginoſus dicitur, quid ſit ex ipſa appellatione manifeſtatur. Eſt. n. ſcotomaticus is dicendus cui obtenebrationes cõtingũt, ac ei uidetur caput circunferri, ita ut firmari non poßit, ſed parua occaſione cadat. Differt uero uertigo a ſcotomatico affectu, eo quod omne ſcotoma uertigo ſit, ſed non econuerſo,* σκώτομα *dictum latine turbo a* σκοτομαι' *. i. uertiginor ſiue a uerbo* σκοτοω *. i. obtenebro, ſiue a* σκοτίζω *. i. obſcuro, obſcurantur enim precaligine oculi, ut nihil uideant, ſed in uertigine ſimpliciter dicta res uidentur tantum circonuolui abſq; caſu & tenebris, differunt etiam in cauſis ut infra uidebitur.*

Loci conſentientes de Vertigine.

Gal. aphor. 4 commẽ. 17. Vertigo eſt quando ſimul uidentur circunuolui quæcũq; conſpicimus & ſenſus uiſus de repẽte deſtruitur, quum uideantur tenebræ circunfuſæ. Auice. prima tertij, tra. 5. uertigo eſt, ut habens ipſam imaginetur q; res ſuper ipſum uoluantur & q; eius cerebrum & corpus ipſius reuoluantur, quare nõ regit ſe ita ut firmetur imo cadit &c. Ba. Intellige ſcotomaticum affectum (& ſi nula de tenebris fiat mentio) hic ab Auice. definiri, ſub quo uertigo tanquã minor diſpoſitio continetur, Definitur uero uertigo a Raze hoc

modo, Razes. 1. com. ca. 2. uertigo est dispositio in qua apparet res reuolui & tamen homo nō cadit, sed regit se &c. Ba. adde, sed perseuerante morbo diutius ex facili occasione concidit, maxime ubi in circulum circumuertatur. Vnde Gal. 3. de loc. aff. a parua occasione hebetantur, ita ut interdum cadant, si circunrotentur, hoc idem adserit Paul. cap. proprio &c & Aet. ser. 6. cap. de uertig.

De uertiginis causis.

Causæ uertiginis primitiuæ sunt omnes sex res præter naturales ex quibus uapores crassi egredientes, ut cepæ uinum, cerebrum male afficiunt. Similiter mora in sole, Mala intēperies, capitis percussio, aut cranei fractura, solitæ excretiones retentæ, cruditates, ebrietates et consideratio rerum quæ circunaguntur. Antecedentes sunt omnes humores, a quibus uapores eleuantur, qualis est utraq; bilis pituita & sanguis. Coniunctæ sunt uapores spiritibus admixti existentes actu in regione uisus. Hæc affectio etiam per consensum alicuius partis uel totius fieri potest, ex uaporibus ad caput elatis, aut ex ore uentriculi a malis humoribus morso, ab hijsdemet causis deniq; prodeunt uertigines, a quibus morbus comitialis & eusdemet sedes occupant &c.

Loci consentientes de causis uertiginis.

De causis primitiuis loquitur Gale. 3. de locis aff. ca. 8. ibi, id maxime accidit quum uel sub sole æstuauerint, uel aliam ob causam calefacto fuerint capite, aut ex calido uaporosoq; spiritu caput opplente &c. Aet. ser. 6. cap. 7. facile capiuntur ab hac affectione quibus consuetæ excretiones sunt oppressæ, sed & cruditas & ardores assidui & ebrietates affectionem hanc efficiunt. Auic. prima tertij, ca. de cau. uertig, fit propter considerationem ad res que uoluūtur ita ut figatur forma illa sensata in anima, & paulo post inquit interdum fit a ma

litia complexionis, et fit ex motore spiritus exterius sicut ex percußione capitis & fractione cranei &c. De antecedentibus causis lege Gal. aphor. 3. commẽ. 27. ibi, Quotidianæ constitutiones &c. ubi inquit fit uertigo ab humore cum spiritus craßtie in capite moto, ideoq; proxima est comitialibus morbis & apoplexijs &c. Paul. lib. 3. cap. 12. Nascitur uertigo quum frigidus, & glutinosus humor cerebrum occupat &c. Auice. prima tertij, tra. 5. uaporis materia quandoq; est cholera quandoq; phlegma, & uertigo phlegmatica similis est epilepsiæ &c. De atrabile & sanguine non meminit nisi ubi de signis uertiginis loquitur. De causis coniunctis loquitur Gale. aphoris. 3. commẽ. 31. ibi uertigines accidunt propter spiritum uaporosum, qui in partibus cerebri inordinato motu cietur &c. Auice. prima tertij, cap. cit. ex causis fit corporeis præsentibus in uacuitatibus cerebri, contentis in ipso ex uaporibus prouenientibus in uenis, quæ sunt in ipso & neruis &c. De causis per consensum plura habes ex Gale. aphor. 4. commen. 17. ibi fit ab ore uentriculi a malis humoribus morso &c. Item aphor. 2. commẽ. 31. ibi, aut in uentriculo uitiosis superfluitatibus aceruatis ad cerebrum fertur exhalatio uaporosa. Item. 3. de loc. aff. ca. 8. Oribasius aphor. 3. commẽ. 20. de hac re mentionem & ipse facit ibi sicut uentus sese eleuans et puluerem in sublime rapiens &c. Auicen. prima tertij, tra. 5. Et quandoq; fit ex uaporibus ascendẽtibus ad cerebrum &c. lege eum fusius nam ibi enumerat omnes partes a quibus se extollere potest. Gal. in. lib. qui introductio siue medicus nuncupatur, caligines inquit oculis offusæ & uertigines cognata sunt uitia morbo caduco ab ijsdem et causis prodeunt atq; easdem sedes occupant &c.

De signis uertignis.

Indicia quæ distingunt utrum primario affectu an per con

sensum efficiatur uertigo hæc tria sint, Primũ nõ præcesßit alterius mẽbri nocumentũ, Secundũ est uertigo aßiduaque non excitatur ex repletione alterius mẽbri nec remouetur ad alterius mẽbri euacuationẽ, Tertiũ quia omnes fere sensuum actiones lesse sunt, si igitur alterius mẽbri læsio precesserit, ad cuius in crementũ, uertigo augeatur, & ad eius decrementũ decrescat, & ad eius ablationẽ, auferatur, tunc p consensum est, ubi igitur per cõsensum uentriculi fieret uertigo, tũc præcedet praua concoctio, appetitus deiectio grauitas, nausea, uomitus et anxietas quædã stomachica, dolorq; erit in anteriori parte cerebri usq; ad medium pp neruorũ reuersiuorũ cõsensum &c. Si uero primario affectu, tunc præcedunt hebitudines in oculis, aurium sonitus auditus, grauitas, dolor capitis, & sic uniuscuiusq; sensus oblæsio aderit, Indicia humorũ morum præcipuæ sanguinis sunt, uenarum inflatio, oculi rubei, capitis grauitas, somnus & pulsatio. Bilis sunt uigiliæ inflammatio sine grauitate multa, imaginationes citrinæ &c. Pituite, sunt grauitas tumor & multitudo somni & sic de reliquis humoribus etiam intelliges &c.

Loci consentientes de signis Vertiginis.

Gal. 3. de loc. aff. cap. 8. loquens de signis primarij affectus & per consensum inquit, Vertigo quum per se fiat, aut per uentriculi consensum sicut & Archigenes fatetur, sic signa, distinguere oportet, Nam si uertigo ex primaria cerebri affectione fiat, tunc aurium soni, & capitis dolor & grauitas, & sic olfactus & cuiuscunq; sensus a capite prodeũtis oblæsio aderit. Vbi uero per consensum oris uentriculi, præsentietur cordis morsio quam Græci dicunt καρδιωγμον & Nausea &c. hæc eadem recitat Paul. lib. 3. ca. 12. Auice. prima tertij, tra. 5. uertigo facta ex reuolutione hominis, aut cosideratione ad res reuolutas, nota est per se, et similiter, quæ fit a per-

cußione & casu. In ea quæ fit a retentione materierum in cerebro, signa sunt q̃ ægritudo est aßidua non sequens ægritudinem aliorum membrorum, nec est excitata cum repletione, ne sedata cum euacuatione & antecedit ipsam dolor capitis, sonitus & tinnitus & grauitas est in capite & inuenit tenebrositatem in uisu & in sensibus abreuiationem &c. lege eũ fusius, nam si omnia uellem in unum congerere essem longitudine longe longior, lege etiam ipsum de signis cuiusq; humoris ibi & si fuerit humor &c.

De cura Vertiginis.

Primum id in cura notato, an per se, an per compatiendi rationem morbus fiat. Si per se, an actu uertiginosus sit an facultate, Primo expedit curatio, alteri præseruatio, Præterea etiam id intuere, num in ipsa uertiginis acceßione sit patiens, an extra, Si in acceßione tunc frictionibus cucurbitulis ligationibus & medicamentis odore mouentibus æger excitandus est, si uero extra acceßionem, tunc primum causa diligenter considerata, curandus erit, unde si fuerit causa primitiua, qualis est uisus rerum circunuoluentium, aut auditus uocum ingentium, aut percußio & crapula, tunc ita remouẽda erit causa, ut ne res mobiles uideat, nec sonos ingentes audiat, & tunc motus spirituum & eorum disiunctio moderetur cum quiete animi & corporis in loco obscuro, interim remouendo si qua mala fuerit intemperies in cerebro derelicta, cum contrarijs intra & extra applicatis. Si uero aliquis humorũ causa fuerit, tunc quintuplici Scopo indiget, Primus euacuatione, Secundus reuulsione simul & deriuatione, Tertius alteratione siue humorum præparatione, Quartus accidentium remotione, Quintus uictus ratione. Euacuatio fiet per sectionem uenæ si sanguis superabundauerit per remotas uenas, incipiendo a saphena deinde a basilica postremo ab ipsa cepha

lica & a uenis, quæ post aures locantur præsertim si purgationes menstruorum uel hæmorrhoidarum oppressæ sint, si uero sanguis cum alijs humoribus in qualitate redundet, pro ut natura humoris requirit, euacuabitur cum rheub. Myrobalanis casia &c. Reuulsio fiet cum omni reuulsionum genere ut supa dictum est in cap. cephaleæ procedendo usq; ad cauteria. Alteratio siue humorum præparatio perficitur per exteriora & interiora. Exteriora parantur in principio cum his quæ repellunt ac infrigidant, quale est oleum rosaceum et acetum. In medio tempore cum repellentibus ac resoluentibus mixtis & in fine cum puris resoluentibus pro ut habuisti in capite cephaleæ. Interiora per ea quæ immobiles redunt spiritus, sicuti sunt frigida styptica, qualis est syrupus rosa. de granatis de ribes de citonijs & quæcunq; apozemata, ex his parata, ubi materia sit calida & spiritus inmotu fuerint, ualent etiam in hoc casu eclegmata ex sacch➝aro rosaceo miua cydoniorum, Item cotoneata a prandio statim uel ab ipsa cena comesta. Remotio accidentium, erit si nec apud ignẽ, nec in scalis nec prope flumina patientes sint, ne interdum ex uertigine oborta præcipitentur, si uero aliquæ etiam tenebræ adhuc remaneant, cum his quæ clarificant statim curabuntur &c. Victus ratio, si ab humore calido fieret uertigo, erit, quæ bilis aut sanguinis feruorẽ extinguat, sicut sunt acetosa styptica, qualis est succus cotoneorum malorũ & granatorũ, in quo bucella panis immergi potest, sitq; uictus non flatuosus non cacostomaticus sed facile concoctilis, Aer sit magis obscurus quam lucidus ne spiritus agitentur, Potus sit modicum uini albi tenuißimi præsertim si uertigo per compatiendi rationẽ fieret, somnus sit notabilis, quies nõ solũ corpori, sed etiã aĩo confert, uitanda insuper sunt accidentia animi sicut ira tristitia nimia cogitatio &c. Venereis quantũ põt se

abstineat &c. Si causa fuerit per consensum tunc triplici sco po curabitur, Primo cum causæ remotione, Secundo cum mẽ bri mittentis & recipientis roboratione, Tertio cum reuulsione uaporum adhibito tamen regimine congruo ut supra, Quæ omnia longe uberius habita sunt in cap. cephaleæ per consensum &c. Quare non est ut hic denuo recitentur &c.

Loci consentientes de cura uertiginis.

Paulus lib. 3. cap. 12. Vertiginosos in accessione excitabimus cum medicamentis quæ odore mouent, item frictionibus & id genus alijs &c. lege etiam in hoc Marc. Cat. Auic. prima tertij, tra. 5. Vertigo facta a reuolutione hominis super ip sum & consideratione eius ad reuolutiones & considerationes a loco alto, cum quiete & tranquilitate curatur & somno si non cito sedaturum.

De cura a causa humorali & primo de ipsa euacuatione loquitur Auic. loco nuper cit. ibi. Quæ uero facta est ex sangui ne, aut ab humore contento in corpore curat phlebotomia ex cephalica deinde ex uena quiete, quæ est post aurem. Et Paul. loc. cit. ubi morbus conquieuerit sanguis discutiẽdi gratia ex trahatur & purgatio ex hiera præstanda. Et Razes. 9. almã. Quod si non appareant & facies sit rubra, sanguis ex cepha lica uel basilica erit minuendus. De reuulsione etiam loquitur Paul. ibi, Interpositis diebus acri clystere et cucurbitulis ad oc cipitium cum scarificatione, moxq; apophlegmatismis et ster nutamentis uti debemus &c. Auic. loc. cit. & cauterizatur ar teria & proprie ea cuius causa est ascensio uaporum & uen tosæ conferunt nocrati &c. Si uero fuerint humores diuersi a sanguine incipe ad curandum cum pillulis de hiera & infu sione aloes, uel in humoribus calidis cum decoctione myroba lanorum epithimi pillulis stomaticis &c. De alteratione plu ra habes ab Aet. ser. 6. ca. 7. ibi, His uero qui calidum caput ha

bent etiam rosaceum cum aceto adhibeas &c. Et Auice cap. cit. & cō fortabis caput cum oleo rosaceo & aceto & oleo camomillino & post confirmationem cum oleo camomillino singulari, &c. loquens etiam de interiori inquit & malitia complexionis curatur per contrarium ut temperetur complexio naturalis, ubi Vgo Senensis utitur syrupo destechade de epithimo oxymelle composito et scillitico cum decocto hasce origani hyssopi stechades &c. De accidentium remotione loquens etiam Auice. inquit, & habens uertiginem alienet a se considerationem ad omnem rem cito reuolubilem, & ab aspectu profunditatum fouearum & uerticum montium, lege etiam de his omnibus Arcul. Marc. Cati. Michaelem Sauo. et Gordonium. De uictus ratione fit mentio ab Aet. ser. 6. ca. ibi, cibi sint boni succi facile concoctiles, flatus exortes omnino stomacho ac uentri commodi urinam cientes, uinum modicū sit album & tenuissimum & non ualde uetus. De cura per cōsensum, Mes. cap. de uert. inquit, In primis materiam abscinde, deinde membrum mandans rectifica et regimen ad æqualitatem administra, cerebrum & caput conforta ne recipiat deinde diuerte uapores & fumos cum constrictione dolorosa uentosatione clysterijs &c.

Obseruationes de sectione uenæ.

Aet. ser. 6. cap. 7. monet ne aceruatim euacues nam ex facili occasione concidunt &c.

Vertiginem generantia ex Diosco.

Cardamomum hyosciamus Mandragora Falernum, Aconitum, Cicuta.

Remedia ad uertiginem ex eodem.

Valent peucedanum, Galbanum, Ampelos leuce, acetum scilliticum, uinum scilliticum.

Auic. prima tertij, tra. 5. quandoq; fit uertigo & scotomia

secundum semitam crisis, & uertigo frequens & proprie in decrepitis nunciat apoplexiam, & similiter uertigo eueniens successione stuporis communicantis membrum, & quandoq; soluit uertiginem soda accidens, ille cui frequẽter accidit scotomia de se ipso solicitus sit & humorem euacuet crassum, ne ad epilepsiam aut apoplexiam perueniat, quum uertigo prolongatur signum est q fiat a causa frigida &c.

Aut. dissentientes circa Leth. & Vertiginem.

1 *Adserere, lethargum non principaliter in cerebro, sed in corde fieri ut Aristo. Qui prima uim sentiendi in corde esse dicebat & non in capite.*

2 *Adserere, lethargum a malencholia generari posse ut Razes.*

3 *Adserere in lethargo a frigiditate, & humiditate prouenientе, sectionem uenæ non competere.*

4 *Adserere in lethargo occipiti esse adhibenda repellentia.*

5 *Adserere scotomaticum affectum non differre a suffusionibus oculorum quum utrobiq; imagines uideantur.*

6 *Adserere, uertiginem quæ fit per consensum, non esse attribuendam capiti.*

7 *Adserere, omnem uertiginem per arteriarum sectionem esse curandam.*

Confutatio dissentium circa Leth. & Vertiginem.

Impugnat primum Gal. 4. de sympt. cau. ca. 8. ibi, Cæterũ quod capitis repletio somnum conciliet, iam Aristo. satis monstrauit, sed quamobrem oppleto capite prima setiendi uis quiescat, quum ipsa (ut ille putat) in corde resideat, nullam probabilem inuenire potuit rationem, igitur &c.

Ad secundum respondet Auicen. prima tertij, cap. 16. ibi, sunt quidam Medici qui nominant lithargiam omne apostema frigidum in cerebro, siue sit melancholicum &c. quem uidere poteris, Præterea Gale. loco citato lethargus inquit fit

a frigiditate & humiditate, sed melancholia frigida est & sicca igitur &c.

Ad tertium Alexan. lib. 1. cap. 20. Si nec uires ægrotantis ætas regio & tempus obsistere uideatur sanguinem detrahere in principio statim expedit &c. Auicen. si non fuerit q̃ prohibeat phlebotometur, intellige saltem reuulsiuam sectionem competere si non euacuatiuam.

Ad quartum Gale. 13. meth. ca. 22. Sed quoniam sutturæ & præsertim coronaria, non solum impositi medicamenti qualitates, sed etiam substantiam, (si tenuis est) introtrãsmittit, nam præter reliqua tenuißimum est hoc loco cranium & rarißimum, ergo quotiens medicamenti cuiusq; uim uehemẽter descendere uoles hoc maxime loco impones &c. igitur non occipiti &c.

Ad quintum Gal. in lib. qui introductio siue Med. nuncupatur respondet dicens q̃ caligines oculis offusæ, & uertigines cognata sunt uitia morbo caduco sed inter se differunt, quod experientia demostratur, nam in scotomatico affectu leui occasione hebetantur & concidunt, sed non in suffusionibus oculorum &c.

Ad sextum Gale. 3. de loc. aff. cap 8. Verum ut iam antea sæpe numero monuimus, licet caput per alterius partis consensum afficiatur affectio tamen ipsi ascribenda est &c.

Ad septimum Gale. 3. de loc. aff. cap. cit. Quamobrem non nulli horum, ab arteriarum sectione præsidium petierunt, arterias pone aures secantes, sed constat non omnes huius auxilij beneficio fuisse curatos &c. Nam fieri potest q̃ inequalis cerebri intemperies huiuscemodi spiritum producat &c.

De Morbo comitiali.

Morbus comitialis græce ἐπυληψία dictus, est totius corporis non omnimoda conuulsio, ex qua operationes motus

& sensus in membris prohibetur, per temporum interualla accidens, fitq; cum repentino casu ac exitu spumæ oris, talis uero conuulsio sequi solet, uel a multitudine grauante, uel ab acrimateria cerebrum mordicante, quod quum tale molestum reijcere conatur tali motu conuulsiuo concutitur &c.

Loci consentientes de morbo comitiali.

Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. Morbus comitialis est omnium corporis partium conuulsio non perpetua sicut in Emprosthotono opisthotono & tetano, sed quæ ex temporū accidit interuallis, & lib. finit. med. Comitialis morbus, est oppreßio mētis sensoriorumq; cum repentino casu, ac spumæ oris exitu. Auic. prima tertij, tra. 5. epilepsia est ægritudo, prohibens mēbra animata ab operationibus sensus & motus in erectione, non integre & illud est propter opilationem contingentem &c.

Obiectio.

Quum Gal de sympt. diff. cap. 3. dicat si non totum corpus conuellitur, sed principes functiones detinētur, hoc symptoma morbus comitialis appellatur, si igitur symptoma est quo modo ab Auic. ægritudo dicitur. Præterea conuulsio est symptoma, sed morbus comitialis est conuulsio igitur symptoma & non morbus ut Auic.

Responsio.

Morbus comitialis summi potest primo pro obstructione cerebri uentriculos opplente uel pro mala intemperie, uel pro mala compositione & sic his tribus modis est ægritudo, at sumptus pro motu conuulsiuo, est symptoma siue accidens &c. Quur motus conuulsiuus fiat in cerebro reddit rationē Gal. 3. de loc. aff. ca. de mor. comit. ibi proinde existimaui similem motum cerebro euenire qualis stomacho interdum a re quapiam molestato accidere solet &c. Vide etiam de hac re Aet. ser. 6. cap. 13. De generatione spumæ uide Gale. aphor. 2. commē. 43. ibi strangulati &c. & Auic. ibi spuma uero acci

dens in epilepsia est propter agitationem motus &c.

De causis morbi comitialis.

Causæ primitiuæ sunt uictus deprauatus ac potus multitudo, mora in sole nimia, coitus plurimus, exercitium super repletionem, accidentia animi ut tristitia ira timor euentus tumulti, auditus uocum terribilium, odor hepatis cerui usti & gagates lapis bitumẽ & cornu ceruinum, Causæ antecedentes sunt intemperies mala totius corporis, complexio cerebri frigida & humida ex qua flatuosus spiritus generatur, uel malus humor ut pituita atrabilis sanguis uel materia uenenosa. Causæ coniũctæ sunt, uapor uel flatus crassus, uel talis humor actu obstruens. Causæ uero per consensum omnia membra a quibus uapores ad cerebrum mittuntur, sicut totum corpus stomachus lien &c. mẽbra a quibus uapores eleuari possunt.

Loci consentientes de causis morbi comitialis.

Gal. 5. de loc. aff. cap. 6. Iam alios uidimus (loquens de causa primitiua) conuulsione comitiali ab oris stomachi uitium correptos, quum aut probe concoxissent, aut uini meracioris plurimum potassent, aut ueneri immodice operam dedissent. Auic. prima tertij, tra. 5. & causas mouentes epilepsiam plerunq; adiuuant causæ extrinsecæ sicuti immoderantia cibi et potus & satietas nauseatiua, & mora plurima in sole et coitus plurimus & exercitium super repletionem & id quod debilitat cor ex timore &c. Aet. ser. 6. cap. 14. epilempticos collabi faciunt suffita, bitumen, lapis gagates cornu ceruinũ odor hepatis caprini assati & ipsum hepar dum editur, hoc idem habet Paul. lib. 3. cap. 13. Gale. aphor. 2. commen. 45. magna ex parte uictus deprauatus hanc passionem generat, Matthæus de grado historiam de suo filio recitat qui ex magno tubarũ sonitu in epilepsiam ceciderit. De causis antecedentibus & coniunctis loquitur Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. ibi, non ab

ariditate uacuationeq; sed a crasso semper humore hanc affectionem induci, argumento est, q; & subito fit & soluitur cõ festim, nam subitariam meatuum obstructionem a crasso uiscosoq; humore fieri constat. Paulus lib. 3. cap. 13. Morbus comitialis habet causam partim in ipso cerebro, partim in uniuersis uentriculis subsistentem, modo humorem pituitosum, modo melancholicum. Itidem ait Gal. 3. de loc. aff. ca. de Mania. Auic. prima tertij, tra. 5. Tunc restat ut eius causa sit aut contractio cerebri ad expellendam rem impedĩẽtem quæ est, aut uapor aut qualitas mordicatiua aut humectatiua malæ substantiæ aut humor faciens opilationem & spasmum non integrum in uentriculis cerebri, & principijs originis neruorum &c. B. Nota q; hæ tres causæ. s. Vapor humor & qualitas uel mordicans uel substantiæ uenenosæ, mutuam adeo beneuolentiam in se agunt, ut una sine altera effici non poßit & sic intelligitur Auice. ipse uero loquens de causa materiali inquit fieri a sanguine plurimo dominante aut a phlegmate, aut a melãcholia, aut a cholera & est parua ualde &c. Hippocra. de sacro morb. pituitosis fit natura non biliosis Gale. 4. de loc. aff. loquens de sopore apoplexia & morbo comitiali inquit horum trium morborum frigiditas ac crassus aut omnino uiscidus humor causa est. Similiter. 2. aphor. commẽ. 45. dixit. De causis per consensum, habes plura ex Gale. 5. de loc. aff. cap. de affectu oris uentriculi ubi exemplum de grammatico affert, qui quotiens doceret cogitaret irasceretur, morbo comitiali corripiebatur. Item differentias huius habes ex Gal. 3. de loc. aff. cap. de morb. comit. Similiter habes exemplum de puero, qui principium affectionis sentiebat in crure, præterea quomodo ille humor ad caput ascendat, habes etiam exemplum de ictu scorpionis quanuis hæc tertia species raro contingere soleat, prout notauit Aet. ser. 6. cap. 13. Pau

lus

lus lib.3 cap.13. ore uentriculi inquit affecto cōsortij lege obo ritur quemadmodum in colicis. Item & ab alijs inquit parti bus nascitur, quum ueluti aura quædam frigidior ad cerebrū ascendat, alias a crure, alias a manus digitis, alias ab utero mulieris grauidæ &c. Auic. prima tertij, tra.5. Membra ex quibus uapores eleuantur ad cerebrum epilepsiam facientes sunt aut totum corpus, aut splen aut, stomachus, aut myrach & contingit etiam illud in reliquis membris &c.

De signis morbi comitialis.

Signa communiter præcedentia, sunt mutatio corporis a complexione sua grauitas capitis, tristitia, et eorum quæ iux ta sunt obliuio, imagines insomniorum turbulentæ, pallor fa ciei, inordinatus linguæ motus & ira. Signa morbum demo strantia sunt spuma oris, repentinus casus, oris ac faciei di stractio, ceruicis ac totius tremor, dentium constrictio, sterco ris ac urinæ ac etiam spermatis inuoluntaria emissio. In ue hementi morbo si spuma ab ore abstergatur, denuo resurgit, in debili uero non amplius reuertitur, uel in debili cito re soluitur, in uehementi nequaquam Signa pituitæ sunt, si spu ma sit crassa ac multa, si urina uitro liquefacto sit similis, Co gnoscitur etiā ex uomitu, ab ætate, a regione, a regimine præ terito, a colore faciei & ab alijs ut dictum est, in primo lib. Signa demostrantia morbum esse in capite uel in alijs mem bris sunt, quia si in capite præcesserunt sensus, & motus læsio nes aut obliuio, aut amētia &c. Si in stomacho cognoscitur ex nausea uomitu erosione & sic de reliquis morbis &c.

Loci de signis morbi comitialis.

De signis præcedentibus Auice. ibi loquitur, & plurimum antecedit mutatio corporis a complexione sua &c. Paulus lib.3.cap.13. præcedunt quædam animi tristitia, eorum quæ iuxta sunt obliuio turbulentæ insomniorum imagines, dolor

capitis eiusq; repletio continuo & ob iracundiam faciei pallor inordinatus linguæ motus &c. De signis morbum demostrantibus loquitur Razes. 9. alman. cap. de epilep. Quum aliquis cadit in terram et torquetur & commouetur & intellectum amittit dicimus esse epilepticum, quod si spuma exit per os, aut secum mingit, aut sperma egreditur, aut egestio, paßio tunc est grauior ac uehementior &c. Paul. cap. cit. Quamprimum morbus inuadit concidunt ægri, uoxq; interrumpitur, peculiaris morbi nota est oris spuma, non desunt quibus urina & stercus præter uoluntatem excernitur &c. B. Hæc signa de uehementi epilepsia intelliguntur, nam in debili non omnia adsunt, uide de ijs tamen fusius Arcul. Sauonarolam, Gordonium & cæteros practicantes.

De signis humorum lege Auic. prima tertij, tra. 5. ibi, & signa eius cuius causa est phlegma &c. uide eum fusius nã omnia annotasse, longum ac præter rem foret.

De signis per consensum loquitur, ibi, Qui nõ ex propria cerebri affectione sed per consensum comitiali morbo laborant, eos citra perpetuam conuulsionem, ueluti, saliendo per interualla concuti uidentur. Manardus in episto. 6. lib. tertij, Quando per consensum patittur, non accidunt uehementes & aßiduæ conuulsiones, sed per interualla breuibus quibusdam saltuosis motibus patiens concutitur. Gal. 5. de loc aff. ca. de oris uentriculi affectione, & Paul. lib. 3. cap. 13. Similiter Alex. cap. de sacro morbo. Si per consensum stomachi eueniat, cognoscitur ex nimia uentriculi repletione, aut ex inedia, aut syncopi ex nausea uomitu erosione &c.

De cura morbi comitialis.

Id in primis præuidendum est, an in ipsa morbi ex acerbatione æger actu sit an extra. Si in exacerbatione, tunc unica tantum curandi intentio erit. s. ab exacerbatione liberatio,

quæ fieri potest cum reuulsione uaporum ad alia loca per cu
curbitulas frictiones clysteres suppositoria, aut per odores
sensum irritantes, cum castoreo succo cirenaico. i. assa fætida
succo rutæ &c. Si uero patiens fuerit extra exacerbationē,
tunc considera, nū inceperit, uel incipiēda sit ægritudo, quæ
si non inceperit, sed incipienda timeatur, tunc una tantū erit
curandi intentio præseruare. s. ne patiens dispositus in hanc
ægritudinem incurat, quod fiet si superuacaneas humiditates
abstulerimus cum electuario ex saccharo et amygdalino oleo
aut sisamino parato, aut si ea quæ a proprietate comitialem
morbum expellunt, dederimus sicut peoniam &c. aut infan-
tes ab omni strepitu & timore custodierimus, aut si nutrix a
coitu a crapula & ab his quæ lac malum generare possunt se
se abstinuerit &c. Si uero morbus iam dudum inceperit, cau
sam tunc primum inquirito, Quæ si fuerit pituita tanquam
maiori ex parte contingens, uide num primariam affectio-
nem, aut per consensum efficiat. si affectio primaria sit in ce-
rebro uel in uentriculis eius, tunc quinque erunt medendi in
tentiones, Prima uictus ratio, Secunda humoris præparatio,
Tertia euacuatio, Quarta reuulsio, Quinta cerebri robora-
tio ac residui resolutio, quāquam si ad Galeni dogma acces-
serimus, unicus tātum erit curandi scopus qui est obstructio-
nis remotio. Victus ratio sit incidens ac extenuans qualis est
capparis usus. sit quæ laudabilis chymi, non superflue hume-
ctans, cauenda est insuper repletio & mala digestio, semel in
die reficiatur æger si tollerat, Caue etiam ne uentriculo pleno
superueniat exacerbatio, caueant etiā a crassis carnibus mul
tæ superfluitatis, & a leguminibus uinoq; copiosiori, nam
paucitas uini dilatat animam, inquit Auic. & excusat a mul-
titudine. Itē a uenereis liberalioribus a balneis ante purgatio
nem, a sinapi eo q. cerebrum sua acrimonia percutit, caueant

insuper a calore & frigore supefluo a uentis, si poßibile sit regionem permutantes, Quies & tranquillitas laudatur & exercitium post euacuationem, Somnus super repletionem ui tandus & uigiliæ superfluæ nam spiritum resoluunt ac debilitant Præparatio humoris perficitur per ea quæ incidendi ac extenuandi uires habent, quale est oximel simplex & compositum scilliticum sy. de absinthio, apozima ex hissopo & origano sy. de stechade, de hissopo rhodomel &c. cum decoctis saluiæ, hissopi, rutæ, maioranæ, radicum iridis, scillæ, uisci quercini, peoniæ, florum rosmarini, stechados, glyzyrizæ, acori, passularũ, nucis moschatæ cinnamomi, betonicæ, &c.

Euacuatio erit, si repletio uniuersalis existat cum pituita & nihil aliud prohibeat, per sanguinis a cubito mißionẽ, si minus fiet cum turbito agarico cum hiera ruffi, cum pillulis chochijs fœtidis polypodio, Si uero fuerit affectio atrabilaris, cum eleboro, pillulis indis, de lapide lazuli cum myrobalanis & similibus &c. Vel euacuatio fiet cum electuarijs dissolutis in aliquo decocto, sicut cum diaphinicone electuario indo &c. ut supra relatum est in capite cephaleæ, Reuulsio .i. ad inferiora materiæ diductio, perficitur cum cucurbitulis dorso & præcordijs etiam cute incisa affixis, aut enemate ex centaurio colocynthide, additis quibusdam electuarijs ad hoc propositum facientibus ut hiera diacolocynthidos, hiera simplici & oleis & rhodomele, deinde frictionibus lotionibus circa crura, quibus anecte deriuationes quæ fiunt per sternutatoria masticatoria gargarismata &c.

Roboratio ac residui resolutio fieri possunt, per exteriora & interiora, remouendo malam intemperiem derelictã, ne ipsa remanente, noua materia denuo agregetur. Interiora sunt diacorus diamuschus dul. confectio pliris arcoticon nic. Theriaca, Mitridatum, Acorus conditus & quæcunq; a pre-

prietate occulta conferre dicuntur de quibus plura nobis dicta sunt in fine capituli et sunt peonia ruta corium frontis asini &c. Exteriora sunt sacculi commissuræ coronali & sagitali appliciti ex maiorana stechade ruta peonia nuce moschata, uel fiat eodem in loco sinapismus, aut cauterium aliquod potentiale uel actuale usq; ad oßis superficiem & ulcus per aliquot dies apertum conseruetur. At si per alicuius partis cõsensum morbus comitialis acciderit, procurandum, ut membri, a quo malus uapor ad caput reptat, mala dispositio remoueatur, uel ascensus prohibeatur cum ligatione arcta uel cucurbitulis, uel loci apertione prout magis expediet, deinceps cerebrum ne uapores suscipiat roborandum, & quid susceptum est, resoluendum &c.

Loci consentientes de cura morbi comitialis.

Aet. ser. 6. cap. 13. Cura tempore exacerbationis, erit partes obtortas deligare inungere & dirigere odoribus sensum irritare & perseuerante exacerbatione castorium aut succũ cyrenaicum ori cum aceto mulso infundere, &c. B. Intellige de his qui post annos pueriles in morbum concidunt. Arcul. de cura epilepsiæ, Quædam administranda in tempore paroxysmi diuertendo cum fricationibus ligaturis, & suffumigium ex assa cito remouet paroxysmum &c. Vide in hoc cæteros practicantes sicut Gord. Marc. Cat. Sauona. itidem habet Auice. ibi, & finis actionis causæ eius est alleuiatio a prauitate paroxysmi &c.

De præseruatione lege Mesuen, ibi, præseruant quæcunq; a proprietate retardant paroxysmum, aut prohibent aduentum eius omnino aut occultant sicuti dicemus &c. Auic. prima tertij, tra. 5. Epilepsia in infantibus curetur ita, ut nutrimẽtum lactantis retificetur, unde lactans alienet a se, omne quod generat lac aquosum aut corruptum aut grossum & prohibe

at sibi coitum & prægnationem, et alienetur infans ab omni re, in qua est timor et uoces magni sensus ut uox tonitrui fulguris &c.

Razes primo commen. cap. de epilep. Scribit plures medicinas morbum prohibentes, calefacientes. s. & exiccantes, quas etiam habet Auice. loc. cit. & sunt peonia, quæ à Gale. 6. de fac. simp. tantopere laudatur, suspensa uel in potu data, & quæcunq; infra ex mente Dioscori. recitabuntur &c. Quod primum in omni morbo inquirenda sit causa, habes ultra Auicen. & Galeni textum etiam duos Ausonij uersus in quibus omnes fere intentiones curandi habentur & sunt,

Quis morbus, quæ causa facit, qui casus ab illo
Nascantur, quæ cura modo, quis deniq; finis.

Mesu. in cura epilep. sunt quinq; intentiones, Prima regimen in uita ponit, Secunda æquat & coaptat materiam, Tertia abscindit eam &c. in hoc consule non solum Græcos omnes, sed etiam cæteros arabes, nam fusius de his pertractant. De uictus ratione loquitur Paulus lib. 3. cap. 13. ibi, uictus ratio utilis est, quæ incidit & extenuat, idcirco capparis esus & salsamentum prodest. Auice. prima tertij, tra. 5. Commune est omnibus epilempticis ut utantur cibis laudabilibus quibus inest humectatio laudabilis non superflua, caueant a repletione et custodiant se a malitia digestionis, Qui uero non tollerant ut semel reficiantur, diuidant cibum suum in tres partes & sumant duas tertias in prandio & tertiam in cena &c. B. Hic Auice. locus effecit ut discrimen illud inter neotericos nasceretur, utrum cena maior prandio esse debeat, sed quum utrinq; robustæ ac ualidæ rationes afferantur, tu tamen aduerte, ne adueniente exacerbatione siue uesperis siue mane quod uentriculus sit ualde plenus, unde Auice. & oportet ut occurrat paroxysmus cum mundatione stomachi &c.

Paul.lib.& cap.cit. fugere inquit oportet, carnes, legumina, uinum copiosius uenerem liberaliorem balnea siriapim &c. Auic.loc.cit.oportet ut alienent omnes fructus humidos & grossos, nisi stypticos super cibum quia roborant stomachum & repletio uini multũ nocet, sed parum ex ipso sumptum dilatat animam & confortat spiritum &c. Mes. Hydromel est potus elegantior quam uinum. Auice. & oportet ut alienent a se omne acre & uaporosum et uitent cibos graues ut sunt raphanus caules bauciæ.i. pastinacæ &c. lege hũc locum fusius & plurima a me dicta inuenies. Cels. lib.3.cap. 25.Cauendæ sunt cruditates lociq; præcipitis conspectus, omnia terrentia,uomitus laßitudo, solicitudines & negotia omnia &c. De humorum præparatione loquitur Auice. loc.cit. ibi & ex syrupis est oxymel squilliticum & similiter sy. de absinthio & apozima hissopi cum origano &c. Itidẽ Mes. ibi, adaptant materiã ut eius facilis fiat expulsio qualia sunt squilla & acetũ eius & oximel &c. Et Paul. auxiliatur his oxymel scilliticum quotidie potum &c.De euacuatione loquitur Aet.ser.6. cap.14. Si nihil dicens prohibeat uenam secare oportet, & intermißis quatuor aut quinq; diebus corpus reficere,ac sic infra euacuare, maxime per ueratrum nigrum aut colocynthidem &c. Itidem adserit Paul. & Auic. ibi,melius quo purgetur illa cuius causa est phlegma est hiera & pulpa coloquinthidos & hiera hermetis, Quodsi cũ phlegmate est repletio uniuersali tunc phlebotomia secundũ quod narrauimus est ei iuuatiua &c. De reuulsione & deriuatione uerba facit Mes. cap. de epilep.ibi competunt gargarismata & sternutatoria & proprie uomitus & masticatoria & fricationes & ligaturæ in extremitatibus & uentosationes in eis & empl'a rubificantia super membrum mandans &c. Itidem Auic.& Paul.ibi, synapismus capiti indu

catur &c. Et Auic.ibi,ex eis uero quæ materiã ad inferiora trahunt &c.

De roboratione cerebri ac residui resolutione habes plura ex Auic.prima tertij,tra.5. ibi, & post illud permuta complexionem cerebri cum confortatiuis calefacientibus ex emplastris & synapi &c. Paul.lib 3. cap.13. iubet ad hoc caput esse tondendum & ex peucedani liquore cui spondylium sit incoctum cum aceto diluto perungendum &c. Mes. & in omnibus his retificatio cerebri debet esse intentio prima &c. Arcul. unum est ut fiat attractio materierum de profundo capitis ad cutim,ad quod ualet hoc emplastrum ℞ ammoniaci dissoluti cum pinguedine anatis uel milui untias duas fermenti untiam unam sinapis untiam semis cantaridarum.ʒ.s.peoniæ ʒ.ij.fiat emplastrum , quo remoto inungatur cum pinguedine milui & iterum apponatur & auferatur , donec crustæ apparuerint &c.

Quæ excitare possunt morbum comitialem.

Excitant epilepsiam Apium & in hoc consentiunt Plinius lib.20. Auic. Serapio & Mes. Item Alleum Asphaltum, nidor coru capræ uel hirci uel cerui, Item ostracorum & sulphuris suffumigium,lacq; omne nocet secundum Serapionẽ.

Morbum comitialem curantia.

Cardamomum,balsamum populus nigra ficus, iũcus odoratus lepus terrestris mustella,iecur et ungis asini lichẽ equi, iecur, hirci,hirũdines,lac humanum,coagulum,fel, sanguis, fimum,plantago,eryngion,ruta,seseli,libanotis,spõdylium, peucedanum,lasserpitium galbanum segapenum, ammoniacum,trifolium,coniza, anthyllis,symphyton,cestron, pentaphylon, uiola purpurea, helleborum nigrum,ampelos leuce, oxymel,acetum scillite , lapis selenites, lapis aetites &c. Confectiones ad hunc morbum idoneæ sunt aromaticum mo

schatum, confectio nic. confectio de moscho, diacastoreũ nic. potio sancti Pauli, Pliris arcoticon nic. pillulæ inde pillulæ Alex. de sex rebus, pillulæ ex artemisia &c. Si quis scire uoluerit, quo pacto applicari debeant simplicia legat de singulis Diosco.

Quæ curant a proprietate.

Vgo curantia a tota specie sunt, hepar lupi, hepar milui, pellis frontis asini portata super carne nuda, cingulum ex pelle caudæ lupi, aut frontis eius, uesica apri cum urina puluerizata, omnia coagula & propriæ leporis, pyretrum conditũ, peonia, uiscus quercinus, caput cuculi, oua corui far smaragdus portatus lapis spongiæ phylipendula in cibis, os hominis &c.

De pronosticis morbi comitialis.

Hippoc. *aphor. 2. aphor. 45 Quicunq; iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione ætatis temporum & locorum et uictuum quoq; liberantur.* B. i. *Quæcunq; possunt patientis tẽperaturam permutare, ea a morbo ipsum liberãnt.* Et apho. *5. aphor. 7. Quibuscunq; morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt quibus autem uigesimoquinto commoriuntur.* B. *Nota q pubertas durat a. 14. usq; ad. 25. annum. Gale. 3. de loc. aff. cap. de mor. comit. Porro in his omnibus affectibus in quorum numero est epilepsia periculi magnitudinem ex anhelitus nocumento conijcere oportet. Paul. lib. 3. ca. 13. Si acutissimus fuerit affectus, tum ob crebras accessiones, tum ob symptomatum uehementiam, statim iugulat. Itidem Aet. & Auice. ibi, & quando continuantur paroxysmi epilepsiæ interficit &c. Paul. lib. de dinamidijs, Si quis lunaticus spumat & oculos conuertit & fremit & mugit & cadit & membra contraxerit & colorem similem croco habuerit moriturus est. Razes. 1. commẽ. authoritate Hippoc. Multi pueri moriuntur ex eo quia eorum uenæ arcte sunt &*

phlegma plurimum recipere non possunt. Auic. prima tertij, tra. 5. Et quando apostemata apparent in ea fortasse resoluũt eam & minuunt materiam eius, & multotiens mutatur epilepsia ad melancholiam, & multotiens resoluitur propter febres, quæ sunt longæ, & epilepsia melancholica est deterior quam phlegmatica &c.

Michael Sauonarolus inquit q; si infans est genitus tempore menstruorum uel presente epilemptico, q; incurit in epilepsiam incurabilem, sed quur ita sit diuinare non possum, et forte pace sua dixerim, hoc somniauit. Hippoc. de mor. sac. quum inueterauerit, amplius medicabilis non est, quoniam cerebrum pituita consumitur & liquefit, quo liquefacto crebrius corripiuntur &c.

Authores dissentientes circa morbum comitialem.

1 Adserere, in epilepsia sensum & motum omnino integre auferri.

2 Adserere, cum Auerroe causam immediatam epilepsiæ esse uaporem absq; materia fouente.

3 Adserere, epilepsiæ causam & locum affectum non idem esse cum apoplexia.

4 Adserere, epilepsiam per consensum post pubertatem non posse curari.

5 Adserere, omnem mutationem ad calidam complexionem & siccam, curare epilepsiam.

Confutatio dissentientium circa morbum comitialẽ.

Ad primum respondet Gentilis & Auer. 3. collig. cap. ulti. q; in epilepsia in relationem ad poplexiam, non aufertur sensus & motus omnino integre quia cuiuslibet epilepsiæ obstructio non est integra, seu omnimoda uti in apoplexia, itidem Gale. & Auic. ut supra.

Ad secundum Auice. prima tertij, tra. 5. impugnat ipsum

Auerroim, probans q; pura qualitas sine materia fouente hoc per se efficere non posit, uide tu eius rationes. Hoc idem ait Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. ibi, Plane constat hanc in cerebro affectionem, consistere, impediente humore animalem spiritum, quo minus posit exire &c. ex quibus uerbis non puram qualitatem, sed potius humorem causam esse conijcere possumus &c.

Ad tertium Gal. aphor. 2. commẽ. 45. Morbus comitialis in quit est proximus quodammodo apoplexiæ quum idem locus in utroq; patiatur, & idem humor in causa sit &c.

Ad quartum Gal. 5. de loc. aff. cap. 6. Exemplum affert de quodam grammatico qui ex affectu oris uentriculi, morbo comitiali corripiebatur, cui probam concoctionem procurans & robustum uentriculum efficiens, simulq; purgans cum hiera, uiginti annis quibus postea superstes fuit, integra ualetudine, uitam exegit, quæ si uera sunt, sequitur q; ea quæ per cõsensum fit saltem si non quæ per essentiam curari posit.

Ad quintum Gal. 2. aphor. comm. 45. respõdet q; non quælibet mutatio morbum soluit comitialem, sed ea tantum, quæ calidiorem & sicciorem corporis habitum efficit &c. igitur non quælibet mutatio, sed quæ corpus tantum ad has qualitates peruertit &c.

De apoplexiæ descriptione.

Apoplexia est quedam uentriculorum cerebri obstructio, per quam membra motu & sensu priuãtur, uel ἀποπληξία quæ latine dici potest syderatio est priuatio motus & sensus totius corporis una cum læsione pricipalium actionem de rupente incidens, in qua non tantum motus & sensus, sed etiam interdum ipsa spiratio uehementer impeditur, & hæc acutissima est apoplexia.

Loci consentientes de descriptione apoplexiæ.

Auic. prima tertij, tra. 5. Apoplexia est otiositas membrorum a sensu & motu propter opilationem contingentem in uentriculis cerebri & in cursibus spiritus sensibilis & motiui &c. Gal. lib. finit. med. Apoplexia est detentio mentis cum priuatione sensuum & corporis resolutione &c. Cels. lib. 3. cap. 27. mentionem facit de apoplexia simul & paralesi. Paul. lib. 3. cap. 18 et Aet. ser. 6. ca. 27. describunt etiam apoplexiam ibi est affectio cerebri priuatio motus & sensus totius corporis &c. Similiter Gal. aphoris. 2. comm. 42. ibi, ubi in apoplexia totum corpus sensu & motu priuatur. solus restat anhelitus, Qui si etiam ipse prohibeatur, maxima est & acutißima hæc apoplexia &c. Auer. 3. colliget cap. ult. Apoplexia est quum homo cadit in terram & cessat eius uox & priuantur omnes operationes motus totius corporis &c.

De causis apoplexiæ.

Quum apoplexiæ causa sit obstrutio ut dictum est, duplex erit obstructionis causa, uel clausio, uel repletio, clauditur cerebrum, uel ex causa uirtutem stimulante, unde fugit & contrahit, uel ex causa dolorem inferente, uel ex mala qualitate frigida styptica uentriculos cerebri opprimente, Repletur cerebrum uel ab apostemate calido uel frigido, uel ex materia pituitosa uel melancholica uel sanguinea, raro fit a pallida bile, fit etiam a percußione aut casu, aut per consensum &c.

Loci consentientes de causis apoplexiæ.

Auic. prima tertij, tra. 5. Hæc quidem opilatio fit aut propter clausionem, aut propter repletionem, clausio fit quum id ad cerebrum perueniat quod dolorem facit, aut impediat et moueatur motu contractionis, aut qualitas perueniens ad ipsum stypticum faciens &c. Repletio aut est apostemans, aut non &c. lege fusius & cætera habebis. Gal. aphoris. 2 cõm. 42. Omnes autem apoplexiæ, fiunt ui animali non potente

ad partes infra caput existentes defluere, aut propter aliquā dispositionem inflammationi similem, quæ sit in ipso cerebro cōstituta, aut uētriculis ipsis humore pituitoso oppletis &c.

Paul. lib. 3. cap. 18. origo uitij est ex frigidiore pituita, quæ cerebri principalißimos cerebri uentriculos una uice et cumulatim replet &c. Gal. aphor. 6. commē. 56. Apoplexiæ & conuulsiones fiunt propter humorem pituitosum, aut melancholicum, quoniam communis utriusque est craßitudo, B. hac ratione motus Hippoc. in aphor. 57. eiusdem dixit apoplexias fierei a quadragesimo usq; ad sexagesimum, quoniā in his maxime temporibus abundat uterq; humor &c. In reliquis lege Aet. ser. 6. cap. 27. in principio, item Gale. 4. de uic. in morb. ac. commē. 27. & 3. de loc. aff. cap. 7. Item Alex. & Arcul. & Gord. &c.

De signis apoplexiæ.

Signa præcedentia sut, dolor capitis, uertigines & scotomiæ, uenarum circa guttur inflatio, totius corporis tremor & stridor dentium in somno, grauitas ac pigritia, frigus extremarum partium, motus difficilis, urina æruginosa atra & modica. Signa actualis apoplexie, sunt quia subito infirmus cadit, & ueluti attonitus iacet uox amittitur cum totius corporis sensu & motu citra febrem, in somno stertit, uocatus non respōdet, nec diuulsis pillis uel stimulo punctus nō sentit.

Signa apostematis sunt febris superueniens dolor &c. Signa loci affecti sunt, quia si fuerit in uentriculis prioribus, aut in meatibus qui νθμωειδ'ες dicuntur, tunc resolutæ erunt faciei partes, aut odoratus uitiatur, si in uetriculis posterioribus, tunc resolutio erit in spinæ principio, Signa humorum non est ut totiens repetantur, quum a nobis alias satis superque relata sint.

Signa quibus apoplexia a subet syncopi epilepsia uteri

strangulatu & a defuncto corpore differat, intelligens ex locis allegandis infra signa eius quae fit a percußione, aut causa cognosces ex narratione infirmi &c.

Loci consentientes de signis apoplexiae.

Paul. lib. 3. ca. 18 *loquẽs de signis praecedẽtibus inquit,* Praecedunt capitis turbatio acutus dolor et iugularium uenarum suspensio tenebrae oculis offusae, extremarum partium sine ratione algores, totius corporis palpitatio, motus difficilis & dentium in dormiendo stridor, urina eruginosa, atra, modica &c. Et Auic prima tertij, tra. 5. ibi, antecedũt soda & inflatio guidez &c. quae habet Paulus sed rudioribus uerbis expressa. De signis praesentibus habes locum in Razes. 9. alma. ibi, Quum aliquis quasi dormiens iacet & sine somno stertit & quum pungitur nõ sentit, tunc iam patitur apoplexiam, quãtitas aegritudinis est secundum q fortiter, aut debiliter stertit. Oribasius. 2. aphor. comm. 47. Cognoscimus esse apoplexiam dum spumam edit & extensionem molitur & oppreßionem &c. Itidem Paul. ibi, Procumbunt. i. attoniti iacent uox intercipitur &c. Gal. 1. meth. ca. 9. ibi, si quis tribus horis siue quatuor siue horae dimidio, toto corpore sit uehemẽter arreptus, ut neq; sentiat, nec moueatur, hunc apoplecton siue attonitũ esse dicimus. Signa apostematis habes etiam ex Auice. prima tertij, tra. 5. ibi, Quae autem est ex apostemate, non euacuantur a febre &c. B. idcirco febris fit, quia dum pus conficitur, dolores & febres accidunt teste Ippocr. aphor. 2. aphor. 47. Signa humorum peccantium silr ab eodemet Auic. recitantur ibidem, et illa quae fit ex sanguine significant signa sanguinis predicta multis uicibus & est facies rubea &c. Illa uero que fit ex phlegmate, significat color & forma oculi &c. lege de his Alexa. Arcul. & Cord. De signis quibus apoplexiam differt a subet &c. loquitur primum Auic. ibi diff. inter apople

xiam et ſubet eſt, q; apoplecticus clamat &c. Arcul. differt a ſincopi, quia facies ueluti mortui & pulſus debilis ualde & ſumerſus, in apoplexia uero facies et pulſus cōſuetus. Differt ab epilepſia, quia hæc cum periodis, & cum motu conuulſiuo cito ſoluitur & ad paraleſim non terminatur ut apoplexia, differt a uuluæ ſtrangulatu, quia præfocata ſentit audit & habet omnes interiorum ſenſuum operationes, non autem apoplexia, differt a mortuo per quatuor ſigna ab ipſo recitata ſicuti percotum ſubtiliſsime carminatum ori admotum aut per ſpeculum lucidum ac terſum naribus appoſitum &c. Vide Marc. Catin. Auic. loc. cit. & tardetur ſepultura ambigui ex mortuis donec perpendatur eius diſpoſitio & nec ſit minus. 72. horis &c. Quur inſepultus tanto tempore remanere debeat, in hoc conſule conciliatorem, mihi uidetur potiſſima ratio, quia in hoc potiſsimum tempore fætor apparet qui mortuum hominem proclamat &c.

De cura apoplexiæ ſanguineæ.

In apoplexia primum coniectari oportet, an patiens mortuus ſit, an adhuc ſuperſit cum hiſdem ſignis nuper a me recitatis. Deinde ſi in cauſa fuerit ſanguis, tunc triplex erit curā di ſcopus, Primus reuulſio. Secundus euacuatio, Tertius malæ complexionis derelictæ remotio. Reuulſio ſtatim fiet per ſectionem uenæ ſaphenæ aut baſilicæ præſertim ſi corpus fuerit plethoricum, aut ſolitæ purgationes oppreſſæ ſint, ſi minus fiet ſectio uenæ cephalicæ aut uenæ frontis & ſufficiet etiam pro euacuatione. Remotio malæ complexionis derelictæ fiet cum epithemate ex aceto & oleo roſaceo, & hoc in fine, ne in principio morbi facta magis obſtruat.

De cura apoplexiæ pituitoſæ.

Cura pituitoſæ apoplexiæ requirit quatuor intentiones, ſcilicet euacuationem, reuulſionem & deriuationem, reſi-

dui resolutionem, & sex rerum nõ naturalium regimẽ. Euacuatio fit per sectionẽ uenæ si cum pituita signa sanguinis adfuerint, si minus statim per pharmacum absq; ulla humorum præparatione, Nam tardare in acutis malum est, aut fiat per enemata, suppositoria, uomitoria aut per pillulas chochias fætidas de euphorbio cum syro, de stechade aut aquis capiti dicatis dissolutas. Clysteres parari possunt cum decoctis saluiæ maioranæ, rorismarini origani calamenti, centaurij abrotoni peoniæ pulpæ colocynthidos additis hieræ logodionis cassiæ extrac. Sacchari partibus oportunis & cum oleo camomillino rutaceo laurino addito sale conficiantur &c. Suppositoria parentur cum ueratri uel colocynthidos puluere uel cum speciebus hieræ picræ sale gemeo &c. Vomitoria fiant cum penna in oleo liliaceo intincta ac gutturi immissa &c. Reuulsio & deriuatio fiet cum cucurbitulis occipitio cũ scarificatione affixis, modo uires permittant. Item cum ligaturis sæpe reiteratis & cum apophlegmatismis cum aceto ex origano & thymo decoctis, item cum sternutatorijs cum elleboro & pipere, aut cum fricationibus pedum com oleo quopiam calido, aut cum suffumigijs ex castorio oppopanace galbano &c. aut cum synapismo aut uesicatorio capiti admoto &c. Resolutio residui perfici poterit, tum per exteriora tum per interiora. Exteriora fiant cum epithematibus calidis quæ parantur ex rebus capitalibus, item cum linimentis inungendo cum oleo de costo de euphorbio de castoreo, cum emplastris in quorum numero laudatur emplastrum de sinapi mes. aut cum cãdenti ferro capiti admoto. Interiora perficiuntur per confectiones electuaria pulueres masticatoria gargarismata, nam ad resolutionẽ simul ac diuersionem hæc faciunt. Confectiones sunt diacori, confectio ana cardina, item quæcunq; calida sunt & sicca febrem euocantia & cæ.

Victus

Victus ratio sit calida & abstersoria, in principio tenuis atq; exquisita, capiatur tantum hydromel uel aqua hordeacea modo sanguinea sit apoplexia, procedatur deinde a tenuißima ad craßiusculam dietam ita ut solo pane patiens uescatur, quousq; morbus iam se remittere inceperit, deinde cibus mollis & suculentus concoctu facilis dandus similiter uinum aqua dilutum & carnes exhibeantur. Exercitium ante cibũ commendatur uel loco eius fricationes. somnus modo conceditur, modo damnatur, si fuerit multus, aut si assumpto statim cibo quis dormiat, conceditur uero ex eo q; concoctionẽ adiuuat & cerebrum roboret et uaporum resolutionem perficit &c. Conferunt etiam quandoq; animi accidentia sicuti est irasci &c.

Loci consentientes de cura apoplexie sang.

Auice. aliquando accidit ut homo in epiplesiam incurrat & non sit differentia inter ipsum & mortuum, idcirco in primis consyderandum num æger uiuat uel mortuus sit. Mesu. cap. de apople. Conaberis a princio materiam subtrahere inquantum poßibilitas exigit & si sanguineam uideris, utriusq; partis illico phlebotoma cephalicam, simul cum emißione multi sanguinis & consequenter crura & pedes uentosari facias &c. Paul. itidem habet lib. 3. cap. 18. ibi, Qui curationem admittunt ijs statim sanguis ex uena detrahendus est eadem die. Itidem adserit Gal. in introduc. ibi, Sanguis statim mittendus &c. Auice. similiter prima tertij, tra. 5. ibi, Regimen illius quæ fit ex sanguine est phlebotomia in hora illa, & mißio sanguinis multi, sanat. n. in dispositione. i. cito, & post phlebotomiam clysteriza cum eo quod sciuisti de clysteribus, ut deponatur materia a capite &c. De remouenda mala complexione loquitur Paul. loc. cita. ibi, caput inungatur oleo camomillino uel anethino in quo spondilium decoctum

ſit Auic. loc. cit. Et fac ipſum olfacere quod confortet cerebrum & non calefacit, cum eo quod docui te.i. in cap. ſodæ &c. ſimiliter omnes practici in hanc concurrunt opinionē.

Loci conſentientes de cura apop. pituitoſæ.

Auice. prima tertij tra. 5. Si uero cum ea quæ facta eſt ex hplegmate inueniuntur ſigna ſanguinis, phlebotometur, dein de clyſterizetur cum clyſteribus fortibus & ſupponantur collyria fortia in quibus ponuntur gumæ & fel bouinum, poſtea bibat quod ſoluit &c. Celſ. lib. 3. cap. 27. proderit malo corporis uel ſanguis miſſus uel aluus ducta &c. Aet. ſer. 6. cap. 27. Qui uero ad uenæ ſectionem inepti ſunt, primum ad uomitum comoueantur & ſedes ipſorum illinatur ijs quæ flatus educunt &c. Paul. lib. 3. cap. 18. oportet & ori per uim aperto digitum uel pennam oleo modefactam inſerere, ut ea quæ inſunt eijciantur. Auice. loc. cit. Et ſi poßibile eſt fac eum uomere cum penna immiſſa gutturi illinita cum oleo liliaceo & proprie quum exiſtimatur q̃ in ſtomaco aut in eius ore ſit repletio &c.

Obiectio.

Celſ. uidetur eſſe huic opinioni contrarius, cū dicat nō oportet in hoc caſu uomere, neq; urinam medicamentis mouere.

Reſponſio.

Intellexit Celſ. ſi neruorum dolor aut tremor, qui quando accidere ſolet in præſentiarū adeſſet, quia tremor neruorum ex uomitu magis intenderetur, alioqui uomitum & ipſe a cena utilem non propoſuiſſet &c. De reuulſione et deriuatione loquitur Aet. ſer. 6. cap. 27. ibi poſt purgationē cucurbitæ præcordijs aut capiti affigātur cum ſcarificatione. Similiter Aui. prima tertij, tra. 5. ibi, & non eſt malum poſt euacuationem ipſius cum clyſteribus & ſimilibus, ut naribus aliquid aproximetur & proprie condiſi & caputpurgia fortia &c. Itidē Paul. loc. cit. ibi, ſi uires permittant cucurbitulæ occipitio cū

scarificatione defigantur & si fieri potest etiam præcordijs, ualetudini etiam faciunt quæ sternutamenta excitant & apo phlegmatismi ex thymi & origani decoctis parati &c. De resolutione residui habes plura ex Auic. loc cit. ibi, & fiant post, super caput eius uaporationes calefacientes sicut ex anetho amaraco folijs citri calamento origano &c. uel fiant inunctiones ex oleis calefacientibus & confortatiuis, et ignitũ ferrũ apponatur capiti uel aliquod emplastrũ ex resolutiuis q̃ sciuisti &c. et hæc de exterioribus, nam de interioribus postea medicamentis loquens dixit & cum uideris alleuiationẽ fac gargarismata sternutationes & pone uentosas super collum &c. De regimine uictus Aet. ser. 6. ca. 27. inquit curandũ est ut accipiant cibos quotidie quidem uerum paucos leues et calidos & extersoria ui preditos plerunq; cum melle edulcatos, intellige in pituitosa apoplexia. Auic. prima tertij, tra. 5. et subtilia regimen ipsius & sis contentus in eo iuleb & aqua hordei, subtili & aqua casei, Intellige in prima die & in sanguinea apoplexia, nam de pituitosa postea loquens dixit & potus eorum sit aqua mellis et panis cum ficubus siccis est bonus eis, quidam uero dicunt ex eis esse bonum origanum cum lentibus & uuæ passæ & amygdalæ & ficus sunt ex fructibus conuenientibus eis &c. Paul. lib. 3. ca. 18. ubi morbus se remisserit cibus mollis distribui facilis succulentus assumetur & paulo infra uinum tenerum, calente aqua temperatum potui exhibebitur &c. Auenzoar sint carnes syluestres non in domibus pingues facte, unde passeres & omnia minutarum auium genera in declinatione morbi conueniunt. Auic. loquens de uino inquit non nouum sit ob eius superfluitatem non antiquum ob uelocem eius penetrationem, sed inter utrunq; eorum magis erit conueniens intellige inclinato morbo, nam in principio nusquã cõuenit. Cels. lib. 3. ca. 27. potus sit sine uino

aquæ calidæ.i.in principio Auenzoar, nec potent aquam frigidam, nec aqua per se, sed aquam tepidam cum sy. corticum citoniorum cum melle, si uero dederis uinum da solum untiã unam in fine pro confortatione membrorum &c.

De motu loquitur Auic. ibi, Quũ aũt uoluntas adest, ut cænẽt, nõ est malũ, si ante, præmittatur exercitiũ leue et moueant mẽbra laxata motu aliquo &c. Paul. gestentur ægri curru aut lectica aut lecto pensili &c. De somno & uigilia Auic. dixit, Quum aliquid assumũt, non dormiant super ipsum uelociter, sed expectent aliquantulum donec descendat & digeratur digestione aliqua, Nec etiam plurimum uigilent, illud. n. iuuat cerebrum & resoluit ex cibis uaporem non digestum prohibentem digestionem &c. B. Hinc pende quorundam errores qui nullo pacto apoplecticum dormire permittunt, caueat tamen etiam medicus ne ex hac Auice. licentia ægrum in somno postea perdat, unde apræhenso manibus pulsu si nimis sentiat calorem profundari, statim infirmum excitet, ne amplius dormiat &c.

Obseruationes de sectione uenæ.

Aet. ser. 6. cap. 27. Copia sanguinis qui detrahitur, diuidatur, commouere. n. tantum oportet, non uires exoluere & calorem extinguere &c. Marcus Catinarius ne seces uenas guidez. i. iugulares sicuti præcipit Razes, nam difficillime consolidantur, & recitat historiam de quodam scholari in his uenis uulnerato qui mortuus est. Paul. 4. de uic. in morb. ac. cõmen. 27. primum ante sectionẽ uult per omnes corporis particulas, frictiones fieri ut sanguis extenuatus facilius exeat &c.

Obseruationes de topicis.

Auic. prima tertij, cap. de apople. & oportet ut incipias a debiliori unctione, si confert & si non, adde & permuta ad id quod est fortius. Obiectio.

Auic. primo can. fen. quarta, cap. 1. In forti morbo debemus, inquit, a fortiori medicamento incipere, quomodo hic adſerit contrarium. Reſponſio.

Tuæ obiectioni reſpondet Concil. differentia. 154. inquiēs eſſe hanc curam Auic. tentatiuam &c. Vide eum fuſius ſi lubeat. Obſeruationes de potu.

Auic. loc. cit. & potus ſuper cibum eſt ex rebus magis nocitiuis, ac ſi diceret a prandio uel a cena nullo modo bibant &c. Apoplexiam excitantia.

Excitant apoplexiam fungi mandragora & pomorum nimius uſus & odoramentum.

Apoplexiam curantia.

Conferunt apoplexiæ abſinthium, anacardus, acorus, betonica, colocynthis, galliæ odoramentum, euphorbium, piretrum, confectio anacardina, theriaca diateſſeron, theriaca magna, hieralogodion, & quæcunq; dicta ſunt in capite epilepſiæ huc referantur, Vide inſuper aggregatorem cap. de apop. Item Guilielmum, & Varignanam, capite proprio, Item cōſilia Bertholamei Montagnani, præſertim ubi de epilepſia loquitur &c.

De pronoſt. apoplexiæ.

Hippoc. aphor. 2. aphor. 42. Soluere morbum quem apoplexiam uocant fortem, impoſſibile, debilem uero non facile. B. Fortis apoplexia magna ex parte curationem non admittit, ob reſpirationis læſionem, aut uirium imbecillitatem, debilis uero non facile, quia terminatur in paraleſim. Vnde Auic. Paul. Aet. Razes, ut plurimum in paralitidem terminatur &c. Et aphoriſ. 6. aphor. 51. Quicunq; ſani a dolore capitis de repente capiuntur et incurrunt apoplexiam, ij in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. B. Intellige ſi dolor fiat a ſpiritu flatuoſo, & apoplexia a materia pituito-

ſa, quia tunc febris ſuperueniens diſpoſitionem ſoluit calefaciendo extenuando ac reſoluēdo ſpiritum flatuoſum et humorem pituitoſum. Pereunt in.7. inquit Gal. quia pars principalis non diu tollerat fortes ſimul & diuturnas paſſiones. Auic. prima tertij, tra.5. Et quum acciderit febris tunc ſpes ſit, ut cum ea reſoluatur ſuperfluitas &c. Aet. ſer.6. ca.27. exhibet ſpem ſalutis ipſa calamitas febris. Paul. lib.3. cap.18. Apoplexiæ morbus nequaquam aut raro curatur, ut qui minetur mortem in propinquo. Si uero etiam remedia admittat plurimum cum partis cuiuſdam corporis reſolutione diſcedit &c. Razes.9. alman. Si ſpuma ab ore exeat, non eſt ei medicamen, adijcit his Arcul. ꝙ ſi admotis ualenter ſternutationē mouentibus & nō ſtertat neq; impreſſionem ſentiat, quod eſt mortale &c. Celſ. lib.3. cap.27. poſt ſanguinis miſſionem, ſi non reddit motus & mens, nihil ſpei ſupereſt. Gal. lib. de dinamidijs Apoplecticus quum ex multis rebus deſiderat ſibi cibum afferri & potum, & ſtatim hæc abominatur, mortem ſibi imminere ſignificat. B. In hoc tamen tu conſidera rorbur uirium & æquum iudica &c. Auice. loc. cit. Et ſcias ꝙ plurimum accidit apoplexia habentibus ætates & corpora & regimina humida & proprie quum adeſt cum humiditate frigus, ſi autem accidit cum caliditate complexionis et ſiccitate, tunc eſt res praua, ægritudo enim contraria complexioni nō accidit niſi propter magnam cauſam &c. Cum ſeni etiam accidit uertigo comitans, iterata, tunc illud nunciat apoplexiā &c. Meſu. cap. de apople. inquit illico ad miniſtretur omnis cura, nam dilatio ducit ad mortem feſtinam, quum morbus per ſe parum curam recipiat. Idcirco cum proteſtatione mortis medicus ſe ad curam intromittat.

Autho. diſſentientes circa apoplexiam.

8 Adſerere, apoplexiæ ſpecies eſſe tamen tres ut Auic.

2 *Adſerere, apoplexiam a frigido tantum humore fieri & non a calido.*

3 *Adſerere, in apoplexia muſculos pectoris ob neceßitatem reſpirationis moueri.*

4 *Adſerere, apoplexiam a nudo et ſimplici frigore poſſe fieri cum Auic.*

5 *Adſerere, in acutißima apoplexia omnino deficere ſpirationem.*

6 *Adſerere, apoplexiam fortem nunquam poſſe curari.*

Confutatio diſſentientium circa apoplexiam.

Ad primum quæcunq; ſunt quatuor non ſunt tres tantum, ſed ſpecies apoplexiæ ſunt quatuor per Gal. aphor. 2 cõm. 42. igitur non tres tantum ꝙ ſint quatuor, ibi enarrat Gal. dicens ꝙ prima eſt quum anhelitus prohibetur, Secunda eſt quum reſpiratio fit cum magna ui, Tertia eſt quæ nec intentum nec uiolentum, ſed inæqualem ac exordinatum ac præterea intermittentem habet anhelitum, Quarta eſt in qua anhelitus aliquem ſeruat ordinem & eſt debilior & cito curatur.

Ad ſecundum reſpondet Auic. 3. can. ꝙ cauſa apoplexiæ poteſt eſſe ſanguis et pituita, Quare non ſolum a frigido, ſed etiam a calido humore fiet. Item Gal. lib. de ſang. miſſ. cap. 6. apoplexiæ proueniunt multo nimirum ſanguine in principium animantis confertim incumbente, itidem. ait. 4. de uic. in mor. ac comm. 27. & in lib. introd. ſiue medico appellato & ſic etiam a calido fiet.

Ad tertium Gal. aphor. 2. comm. 42. Verum in apoplexijs nõ ob id quod ſit adaucta neceßitas reſpirationis, ſed quia uis eſt imbecillis, idcirco muſculi pectoris cogũtur operari &c.

Ad quartum reſpõdet Gale 2. de loc. aff. cap. 7. ibi, apoplexia ꝙ ſubito eueniat, aut frigidum aut craſſum aut uiſcidum quidpiam quod principes cerebri uentriculos affatim implet,

non autem totius substantiæ intemperiem, causam esse manifestum est. Idem confirmat Aet. ser. 6. cap. 27.

Ad quintum Gal. 6. de loc. aff. cap. 4. quippe in confesso est & spirationem a uita & uitam a spiratione, seperari non posse, adeo ut uiuentem non spirare & spirantē non uiuere, sit impoßibile, igitur spiratio omnino non deficit, nisi uellemus apoplexiam mortem appellare, uerum ut ipse inquit Gal. adeo potest esse exigua ista respiratio ut sensum omnino effugiat, itidem ait. 4. de loc. aff. cap. 7. &c.

Ad sextum Gal. 2. aphor. comm. 42. Videtur innuere q̃ interdum poßit curari, per id quod dixit magna ex parte curationem non admittit, Præterea regulæ medicorum non semper sed ut in pluribus intelliguntur, igitur interdū curabitur. Præterea Hippoc. 6. aphor. 51. apho. inquit apoplexiam fortē in septem diebus ægrum perdere, nisi febris apprehenderit, igitur febre superueniente curatur. Quod uero de forti apoplexia intelligat lege Gal. in comm. ibi, mutos solet Hippoc. nominare &c. Item Auic. prima tertij, tra. 5. cap. de apople. accidit inquit ut homo epilepsiam incurrat & non sit differentia inter ipsum & mortuum & non apparet anhelitus, deinde reuiuiscit & sanatur, & tamen intelligit de forti apoplexia, igitur &c.

De paralytidis descriptione.

Quum Paralysis binas habeat descriptiones propriā. s. et communem. Ista erit propria paralysis est mollificatio totius medietatis corporis cum priuatione sensus et motus, communis est ista paralysis est ablatio uel diminutio in sensu & motu uoluntario, aut mixto in aliqua corporis parte, non in toto, motus ubi deperditur & si sensus integer remaneat semper paralyitidem efficit. Quur autem interdum remanente sensu solus amittatur motus et econtra triplices aßignantur

causæ, Prima quia ex paucitate spiritus, motus potius quam sensus deperditur, Secunda quia aliqua materia est in neruis motus & non sensus, Tertia quia temperies pro uno magis quam pro alio corrumpitur, nam si corrumpatur ab humido motus deperditur, si uero a sicco sensus &c. In hoc morbo interdum cerebrum, interdum nerui musculi ad motionem deputati afficiuntur, quod si materia obstruens in ambobus cerebri uentriculis foret, tunc apoplexia diceretur, si uero in uno tantum latere, hemiplexia, si in parte nuche omnes corporis partes præter faciem resoluuntur, si in parte spinæ siue dextra siue sinistra fiat obstructio, tunc in ea parte erit resolutio &c.

Loci consentientes de descriptione paralytidis.

Quod binæ sint paralysis descriptiones, lege Auic. secunda tertij, cap. de paraly. ibi, Paralysis quanquæ dicitur sermone absoluto, quanquæ sermone proprio &c. Gale. lib. finit. med. Paralysis est affectio uoluntarium motum offendens in partibus uel parte quadam contingẽs. Item Prorrhet. 3. comm. 26. paraplegia talis est affectio unius partis corporis qualis paraplexia totius &c. Et quarto de sympt. cau. cap. 5. si nerui a principio fiant stupidi, deinde omnino sensum & motũ amittant, paralysis. i. neruorum resolutio dicitur. B. Pende ex hoc loco ꝙ paralysis a stupore non differt nisi in magnitudine. Auic. secunda tertij, cap. cit. & multotiens remanet cum ea sensus, quoniam materia est in neruis motus & sensus, & una est causa, quur motus deperditur &c. Vide de his latius Auice. loc. cita & Arcul. De loco affecto loquitur Gale. 3. de loc. aff. cap. ult. Igitur quemadmodum ubi uniuersæ corporis partes quæ sub facie constitutæ sunt, resoluuntur, faciei partibus illesis, affectionem in spinæ initio esse certum est, quod si hæ quoq; afficiantur, cerebro noxam iam illatam esse osten

ditur. Aet. ser. 6. cap. 27. plura habet de his, ibi, si omnes nerui sensum & motum amittant &c. Itidem Paul. lib. 3. cap. 18. adserit lege etiam Gale. 4. de sympt. cau. cap. 5. fusius, item 4. de loc. aff. cap. de linguæ aff. ibi, Quum utraq; cerebri pars &c. Item Auic. loc. cit. ibi, si materia aut læsio fuerit &c.

De causis paralytidis.

Causæ sunt tres, Primitiuæ antecedentes & coniunctæ, Primitiuæ sunt regimen frigidum & humidum in sex rebus non naturalibus, Incisio neruorum, dislocatio spondilium, ligaturæ comprimentes, percußio in partibus neruosis, & accidentia animi ut timor ira, Item ægritudines præcedentes sicut apoplexia epilepsia colica uteri strangulatus &c. Causæ antecedentes sunt quatuor humores, inter quos plerunq; in causa est pituita interdum sanguis, raro melancholia, rarißime omnium bilis, nisi alijs humoribus admisceatur. Causæ cõiunctæ, sunt repletio, uel inanitio, uel apostema in principio nuchæ, uel in una parte actu contẽta obstruens, item immoderata temperies frigida & humida cũ materia et sine materia, licet etiam immoderata temperies calida & sicca sensum & motum ex sua immoderantia debilitet &c.

Loci consentientes de causis paralytidis pri.

Auic. secunda tertij, tra. 1. cap. de cau. paraly. de causis primitiuis loquitur, ibi, porrorum contractio quandoq; accidit propter ligaturam, aut quandoq; fit ex compreßione uehemẽti sicut accidit apud percußionem aut casum, aut accidit quũ declinant spondiles & rumpuntur &c. Item incisio quæ est in latitudine prohibet sensum & motum in membris & cui accidit percußio & ictus, aut motus subito ex timore pauore ira delitijs angustia amittitur &c. Gale. itidem ait. 4. de sympt. cau. cap. 5. ibi, idq; uel ob luxatam quandam uertebrã, uel alio quouis modo, si quidem ingens fuerit affectus partes

inferiores subito & sentiendi & mouendi facultate priuan tur &c. De casu & percußione habes ex Gale. 3. de loc. aff. cap. ult. exemplum de pausania syro, qui ex casu in initio dor si læsus duos sinistræ manus digitos amiſſerat &c. Similiter habes ex hoc capite Gale. plura de incisione spinæ. Gale. 5. de sympt. cau. cap. 2. Corripiuntur qui uehementer fuerunt refri= gerati, & qui se meraco uino ingurgitarunt, & qui diu in otio uixerunt, & qui intempestiue multam aquam frigidam biberunt &c. De causis antecedentibus habes Aet. ser. 6. cap. 28. ibi, conflatur hæc affectio humoribus multis uiscosis ac craßis, neruos obturantibus per quos motus uoluntarij perfi ciuntur. Auic. loc. cit. & scitum est quod destructio motus & sensus fit quoniam spiritus sensibilis aut motiuus retinetur a penetratione ad membra &c. Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. ubi uero deperdito sensu quis conciderit, non accidente motu, quo uel conuelli uel salire uideatur, id a uehementi frigore ortum tra here sentio &c. Et aphor. 5. comm. 17. Immodicum frigidum hæc facit, conuulsiones distentiones ob neruorum refrigera= tionem &c. De causis coniunctis loquitur Auic. secunda ter= tij, cap. cit. ibi, & paralysis faciens abscißionem spiritus a mē bris, aut est repletio aut apostema, aut solutio singularitatis &c. Gal. aphoris. 2. commē. 20 loquens de immodica intem= perie inquit, quoniam omnis immodica intemperies, imbecil lem reddit aut exoluit operationem propriæ uirtutis. Et in lib. introd. siue med. Hemiplexia fit ex humorum craſſorum copia, qui capitis uasa, unde corpori sentiendi mouendiq; fa cultas aduenit, obstruunt. Itidem adserit. 3. apho. commē. 23. in fine commenti loquens de apoplexia. Paul. lib. 3. cap. 18. si partes resolutæ conuellantur, uel relaxentur, id ab inanitione uel repletione proueniet &c. Huc etiam spectant quæcunq; de causis apoplexiæ nuper recitata sunt &c.

De signis paralytidis.

Quum quis sensum et motum in una parte, uel in pluribus corporis partibus amiserit, tunc paralitidem pati dicimus. Signa si fiat a primitiuis causis habentur partim ex relatione infirmi, partim ex quadam coniectura. Signa ex causis antecedentibus, si sint humores cognoscuntur, quia si sanguis, adest inflatio uenarum, totius repletio, oculorum rubedo &c. Si pituita, adest albedo mollities, urina alba, pulsus debilis tardus &c. Signa ex causis coniunctis, si adsit apostema, cognoscitur, ex febre, dolore, tumore & duritie in loco percepta, si immodica intemperies com materia replens cognoscitur ex tactu, uel ex his quæ iuuãt & nocent, item ex habitudine, uictu præcedente & similibus &c.

Loci consentientes de signis paralytidis.

Razes. 9. alman. Quum aliquis se mouere non ualet, aut unum, aut plura membra ex suis & sensum illius membri siue membrorum amiserit incurisse paralysim pronunciamus. Auice. secunda tertij, tra. 1. cap. de sig. paraly. illa quæ est a tortuositate, aut a casu & perculsione, aut sectione cognoscitur ex præcedenti causa. Et primo lib. fen. secunda cap. de signis dominij humorum & loco citato habet omnia signa humorũ præsertim ibi, & si materia est cum sanguine significat eam guidez & uenæ et oculus & repletio &c. lege fusius in hoc loco et intelliges cætera a me dicta, lege etiam Arcul. et Gord. & Sauona. & Auic. ibi, si fieret ab apostemate calido tunc extensio & febris &c.

De cura paralytidis.

Ad curationem quinq; expediunt, uidelicet uictus ratio, humoris præparatio, euacuatio, reuulsio & deriuatio, residui resolutio & membrorum roboratio. Victus ratio sit attenuatoria sicca non uiscosa, non uirosa, sed uentri accommoda,

urinam ciens, in quantitate modica, utatur his, quæ roborandi neruos facultatem habent, tolleranda est fames & sitis, in potu exhibeatur hydromel potius quam uinum, nam materias ad neruos uinum penetrare facit & procul sit acetum, nã ualde nocet, in morbi recessu, uinum antiquum paucum exhiberi debet eo quod calefaciens & exiccans ægritudinibus neruorũ confert. Similiter & frictio & gestatio in lectica, aut uehiculo & balnea commendantur. Humorum præparatio fiet cum calefacientibus & exiccantibus ut puta cum hydromelle syrupo de stechade rhodomelle cum aquis saluiæ betonicæ rosmarini, huc etiam spectat oxymel simplex sed ratione aceti cum syrupo mellino rectificandum est. Euacuatio fiet per ea quæ redundantẽ humorem euacuãt, ut cum hiera simp. & composita, hiera hermetis hiera logodione, nec ab re existimarẽ, si a uenæ sectione inciperemus, moderatamq; detractionem moliremur, ut ne ægri nimis perfrigerentur, fiatq; detractio per antithesim, a sanioribus partibus, nisi quid aliud impediat. Reuulsio & deriuatio, si ea quæ a cerebro ad nucham confluunt ad alias regiones trahamus cum cucurbitulis affectis partibus affixis, enematibus masticatorijs, erinis siue sternutatorijs frictionibus & his similibus. Resolutio residui paratur per exteriora & interiora. Exteriora fiunt linimentis ceratis emplastris & balneis. Linimenta parẽtur cũ oleo camomillino de spica, de costo de terebinto, uulpino, de castoreo &c. Cerata similiter fiũt cum puluere lumbricorũ galanga piretro castoreo additis oleis cera & pice emplastra prosunt quale est emplastrum de sinapi Mes. uel fiant cũ herbis capitalibus additis oleis & aliquali farina. Balnea cõferunt tam naturalia sicut sulphurea quã etiam arte parata. Interiora sunt electuaria, confectiones pulueres & similia. Electuaria sunt diamuscus dulcis, Theriaca & omnia deniq;

quæ calefaciunt ſiccant & reſoluunt. Confectiones ſunt acorus conditus, Pulueres camapitheos ſtechados &c.

Loci conſentientes de cura paralytidis.

Aet. ſer. 6. ca. 28. loquẽs de dicta inquit, ſit attenuatoria uẽtri cõmoda nihil uiſcoſi aut uiroſi habẽs &c. Paul. lib. 3. cap. 28. cibi conueniunt ad concoctionem expediti, nec recrementitij, & paulo infra uictus ſiccior utilis eſt potio modica & frictio &c. Meſu. ca. de paralyſi, utantur cibis qui proprietatẽ habeant confortandi neruos qualia ſunt grana pini, leporis cerebrum origanum hiſſopus piper gingiber ſanſuccus ſaluia &c. hoc intellige in cauſa frigida et in proceſſu morbi. Auic. ſecunda tertij, ſtude ut facias pati famen, & ciba cum cibis ſiccis & fac tollerare ſitim & in ſecunda menſa, iuuat uti medula nucleorum pini & ſcias q aqua melior eſt eis quam uinum, nam materiam in neruis penetrare facit & ut plurimum aceſcit, acetum uero eſt ex rebus quæ ſunt neruis nocibiliores &c. Conciliator diff. 144. Non competit uinum ſi materia cruda & in fluxu ſit, ſi uero digeſta & facte ſint euacuationes paucum uinum antiquum confert, nam materias reſoluit & exiccat. B. Nota paucum dixiſſe ex eo q Mes. dicebat ſcito uinum eſſe neruis inimicũ et oculis p ſe, Ipſius. n. abuſus cauſa eſt morbi per ſe, Itidem. Auic. loc. cit. Paul. uomitus a cæna conuenit, item geſtationes curru lectica aut uehiculo &c. De præparatione humorum meminit Auic. ſecunda tertij, quando dixit, & in hac hora ſis contentus rebus ſubtilibus ex his quæ leuiter digerunt & ſoluunt, unde dixerat q quandoq; exhibetur oxymel cum ſua diſpoſitione & oppopanacum cum ſyropo de melle &c. Aet. ſer. 6. cap. 28. utendum eſt etiam potionibus relatis ad morbum comitialem, q uero per potiones intelligat ſyrupos & ea quæ incidendi uim habet, manifeſtum eſt ex his quæ ab ipſo ſupra relata ſunt &c.

Mesu. Adæquatio fit materiei, cum administratione rerum morbi materiam carminantium maturantium &c. Vide de hac præparatione humorum plura iuxta neotericos practicantes &c. De euacuatione facit mentionem Aet. ser. 6. cap. 28. ibi, Manifestum igitur est, quod redundantem humorem euacuare oportet, nec aptius principium in his reperire datur quam uenæ sectione, si permisserit ætas habitus tempus prægressus uictus &c. oportet autem moderatam detractionem facere ut ne perfrigerentur, Quapropter minuenda est materia paululum, detractio uero fiat a sanioribus partibus &c. Auic. In illa autē in qua est spes oportet incipere a phlebotomia &c. Paul. loc. cit. Quoniam partes resolutæ uel conuelluntur uel relaxantur, idq; a repletione uel inanitione, attendēdum rursus est partim sanguinem detrahi debere partim non &c. Mesu. cap. proprio euacuatio fiet cum administratione propriorum euacuantium, sicut cum hiera diacolocynthidos pillulis fœtidis hiera hermetis &c. Similiter Aet. loc. cit. Interpositis diebus aluus subducatur, primum clysteribus, deinde per aloes & polypodij & colocynthidis cremorem, conuenit etiam hiera archigenis &c. De reuulsione loquitur Auic. ibi, oportet ut clysterizentur enematibus fortibus & colyria fortia supponantur ut inclinentur eorum materiæ ad inferiora, confert etiam positio uentosarum super capita lacertorum absq; incisione, sed post euacuationem &c. Similiter Aet. ser. 6. ca. cit. post purgationem cucurbitulæ affectis partibus adhibeantur, si uero hæ ineptæ sint uicinis affigantur &c. & paulo post detracta materia etiam sternutatorijs & pituitam per os ducentibus utendum est &c. Itidem Paul. lib. 3. cap. 18. asserit, Mesu. cap. de par. Diuersio conpletur cum gargarismatibus masticationibus caputpurgijs et sternutatorijs &c. Quomodo autem hæc fiant habes supra de cepha=

lea a causa frigida &c. De resolutione residui Auic. secunda tertij, cap.cit. Cumq; membrum reddit ad se, oportet, ut ipsum excites post id & constringas ipsum, ut ad integram redeat sanitatem &c. & paulo infra portet ut resolutio fiat, cum aliquibus quæ sint ut anisum sigia .i. storax liquida & castoreum, & supra dixerat q emplastrum de sinapi est ex eis quæ ipsis cōferunt, & fricatio cum oleo et nitro & aqua sulphurea & administratio acori, & q nihil est ita conferens ut theriaca & mitridatū, & assa fætida est uehementis iuuamenti bibita uel linita &c. Mesu. Vltimam rem complent, unctiones emplastra fricationes & balneum &c. Aet. loc. cit. laudat ad resolutionem residui ustiones quatuor fieri, unam circa cauitatem occipitis, tres in uertice, ex quibus inquit non despero perfectam restitutionem &c. Paul. lib. 3. cap. 18. Cucurbitulæ resolutis partibus, agglutinentur, si paucæ fuerint distinctim, post cucurbitulas delinantur medicamenta ex pice resina &c. Vide etiam Auic. ibi, quandoq; iuuantur a febre & a balneo sicco &c.

Obseruationes de humorum præparatione.

Marcus Catinarius cap. de par. Cauendum est inquit ne nimis præparemus cum fortibus digestiuis, nimium calefacientibus, usq; ad quartam diem, sed gradatim procedendum a debilioribus ad fortiora eo q magis materiam dilatant quam præparent.

Obseruationes de euacuatione.

Auic. secunda tertij, & non properes in usu medicinarum fortium in principio rei, imo tarda usque ad quartum & septimum, Quod si fuerit ægritudo fortis usq; ad. 14.

Obiectio.

Quur Auic. & Mes. incipiunt a debilioribus, Quum Razes dicat cuius curam incipiemus cum pillulis fætidis, quæ in

ter

ter uehementia pharmaca reputantur.

Responsio.

Intellige ad utriusq; concordiam, q. hic coacte, illi magis regulariter procedunt, Paul. incipit a semi dracma hieræ & interpositis diebus exhibet integram drachmam, dehinc unã & semis postea duas atque tres. B. Notandum est etiam ex Paulli & Aetij textu q. in hoc morbo interpolatim medicinas exhibeamus, ne natura medicinis assuescat & laxetur. Idcirco diebus interpositis, modo uno, modo altero medicamine uti præcipiunt, & interim uires resumẽdas iubẽt &c.

Obseruationes de resolutione.

Auic. ca. de cur. par. Et ubi necesse est, resoluere oportet, et non sint resoluẽtia cum lenificatione pura, sed cum aliquantula stipticitate, quia laxantia substantiam membri debilitãt, & resoluentia spiritum resoluunt, idcirco cum stypticitate fienda &c.

Obseruationes de topicis.

Galeni est placitum. 3. de loc. aff. ca. ult. Vt consideretur locus originis neruorum, unde exemplum refert de pausania syro Auic. loc. cit. Positio medicinarum super locum paralyticatum est ex eis quæ non afferunt iuuamentum, de quo sit curandum sed oportet cognoscere originem neruorum &c. & oportet cum resoluentibus procedere a debilibus ad fortiora, & cum medicatur cum calidis augmentatur ægritudo quoniam materia subtilis dilatatur per ea plurimum, idcirco oportet miscere cum infrigidantibus aut tẽperatis ut est succus liquiritiæ, et de emplastris loquens dixit, Quumq; sensus est debilis fortasse emplastrum forte nocet, & non sentit id & ducit ad læsionem et ulcerationem fortem, oportet igitur ut omni custodia ab illo caueatur, & ut consideretur dispositio impræsionis emplastri &c. Paul. lib. 3. ca. 18. In relaxa-

tis quidem mebris adstringentia, ijs quæ laxant miscere & frictionem intensam moliri couenit, inconuulsis uero laxantibus duntaxat, utendum est, & frictione molli &c.

Paralytidem generantia.

Generant paralytidem uapor argenti uini, carnes porcinæ, & tubera.

Paralytidem curantia.

Faciunt ad paralitidem & a proprietate tam occulta quā manifesta ualent, abrotanum, chamepitijs, uetonica, saluia aristologia, artemisia, costus, maiorana, matersylua, colocynthis, laurus, rosmarinum, acorus calamentum, origanum, hissopus, mellissophilon, rutha, sauina, mel cinnamomum, anacardus, assa, helleborus, pyretrum peucedanum, diptamus, cyclamen, ceratum alexandrinum, aqua sulphurea, aluminosa, unguētum debdelio mes. ungentum basilicon mes. ungentū marciaton nic. oleum de piperibus, de cinnamomo, de citro, oleum laterinū, uulpinum de costo, de terebintina, de sinapi, de piretro nic. pinguedo gliris, blācha nic. confectio piretri mes. cap. de epileps, confectio anacardina mes. cap. de ægritud. neruorum diambra Auic. in. s. tra. diacalamentum, diacastoreum nic. sy. de stechade, theriaca, hiera ruffi, hiera hermetis, hiera logodion, hiera picra, confectio de musco, diapliris arcot. nic. Pillulæ fætidæ, de euphorbio &c. roborant neruos nuclei pinearum conditi, castoreum, nux indica, pæonia &c. Vide Varignanam in lib. de secretis ca. de paral. Itē Barth. Montagnanam cons. 48. Item Arcul. & Sauon. cap. de cur. paral. Vide etiam Gord. & alios practicantes.

De Pronosticis paralytidis.

Paul. loc. supra cit. Quæ a nerui diuisione oritur particularum resolutio, insanabilis est, quæ uero a temperie uel ab humore, commune ex facultatibus prædictis præsidium reci-

pit. Auic. secunda tertij, cap. cita. Vrina infantis si sit uiridis nunciat paralysim siue spasmum, & paralysis eueniens a remotione spondilium mortifera est secundum plurimum. B. Ratio est quia spondiles eos neruos, qui a se exeunt facile cõprimunt, qui nisi ad suum locum reducantur, insperata est salus. Cels. lib. 3. cap. 27. Morbus qui fit in partibus, nunquam acutus, sæpe longus & fere sanabilis est. Razes cap. de paral. Quod si paralysis ex percußione aut casu euenerit, & accidit subito, ita q; nerui aliqualiter contundantur, taliter permanebit, nec unquam sanabitur. B. intellige nisi sit in ætate in qua membra spermatica restaurari poßint. Hippoc. 3. prorrhet. Paraplecticis parotides uitiosæ. B. Parotides sunt abscessus post aures, uitiosiq; sunt quia ad inferas partes non deuoluuntur sicuti cæteri abscessus boni. Auic. loc. cita. Et quodcunq; membrum mollificatorum & paraleticorum secundũ colorem reliqui corporis existens, non minoratur nec extenuatur, est, de quo maior habẽda est fiducia, quam illud quod est diuersum ab hoc, nam quum minoratur, aut extenuatur, signum est quod non nutritur &c. At si nihil horum acciderit bene sperandum. Item febris superueniens soluit paralysim. B. intellige si ab humiditate & frigiditate fiat. Arcul. Tremor & dolor in paralysi superueniens bonum, si uero paralysis annum pertransit, ut plurimum non recipit curam. B. intellige tremorem & dolorem idcirco esse bonum indicium, quia ubi tremor & dolor, ibi, est sensus & motus &c.

Authores dissentientes circa paralytidem.

1 Adserere, tunc resolutionem uocari, quum sensus deperditur, & non motus.

2 Adserere, impreßionẽ sensus in mẽbris, a calore impediri.

3 Adserere, frequentem usum calidorum mirum in modum prodesse neruis.

4 *Adſerere, uehementia pharmaca in principio curæ paralytidis conuenire.*

5 *Adſerere, tunc paralyſim uocari, quum uis ſentiendi et mouendi omnium neruorum amittatur.*

Confutatio diſſentientium circa paralytidem.

Ad primum reſpondet Gal. 3. de loc. aff. cap. penult. dicens q, neruorum tunc uera erit reſolutio, ubi motus deperditur, ubi uero aliquarum partium ſenſus perit, eam partem ſenſus expertem uel ſtupidam potius dicimus quam reſolutam.

Ad ſecundum dicit Auic. ſeconda tertij, tra. 1. q, membra ſenſus non recipiunt impreßionem propter complexionis corruptionem, complexio uero corrumpitur a calido, aut frigido, aut humido aut ſicco, ſed calidum inquit non prohibet impreßionem ſenſus &c.

Ad tertium Hippoc. aphor. 5. aphor. 16. Calidũ inquit ubi eo ſæpius utatur, hæc mala affert, carnium effeminationem neruorum incontinentiam &c. Vbi Gal. in comm. intelligit neruorum imbecillitatem fieri, eorum ſubſtantia a calore diſſoluta & ſic calidi frequens uſus neruis nocet ſubſtantiam neruorum diſſoluens.

Ad quartum communis eſt opinio, ut regulariter procedendo non euacuemus cum uehementi pharmaco, maxime quum paralyſis de materia pituitoſa non ſit morbus acutus, ſed ubi ſubitaneam mortem minetur, coactæ cum uehementi pharmaco purgabimus.

Ad quintum Gale. 3 de loc. aff. ca. 10. Quum omnes igitur nerui tum ſentiendi cum mouendi uim amiſſerint, apoplexia huiuſcemodi affectio appellatur, igitur non paralyſis &c.

De conuulſionis deſcriptione.

Conuulſio eſt neruorum ac muſculorũ affectio per quam interdum totum corpus interdum pars, citra uoluntatem ad ſuã

origině cōtrahuntur, Huius species sunt tres. τέτανος i.tentio equalis, ἐμπροσθότονος i.tentio ad anteriora καὶ ὀπισθότονος. i.tentio ad posteriora, locus uero affectus cognoscitur, quia uniuerso corpore conuulso infra faciem, tunc prima spinalis medullæ pars affecta est, si uero cum uniuerso corpore etiam facies conuellatur tunc cerebrum affectum esse dicimus, si autem quæpiam corporis pars conuellatur tunc eorum neruorum originem esse affectam iudicamus &c.

Loci consentientes circa conuulsionis descriptionem.

Gal.lib.finit.med. Conuulsio est affectus quid neruis ac musculis accidit, quum modo corpus totum, modo pars eius, citra uoluntatem trahitur. Oribas.aphoris.2.comm.30. Spasmus est inquit motus inuoluntarius uoluntaria obtinens loca. Auic.secunda tertij, ca.de spas. Spasmus est ægritudo neruosa, qua mouentur lacerti ad principia sua & inobedientes sunt in dilatatione, nam alij remanent secundum suam dispositionem & non dilatantur, alij facile redeunt ad dilatationem suam sicut in oscitatione & singultu &c.

Obiectio:

Quomodo est ægritudo, si Gal. 5. desympt.cau. referat esse accidens.

Responsio.

Tria considerantur in conuulsione, malus motus & sic est accidens, uel mala membri figura et sic est morbus officialis, uel causa cuius fiat hoc accidens & sic est intemperies sicca, idcirco ægritudo dicitur &c. Gal.apho.6.comm.39. Conuulsio est passio inuoluntaria ad similem uenientibus neruosis partibus dispositionem, quam etiam in motibus factis secundum appetitum assumebant Itidem ait in lib.de trem. & palpit.in fine. Et apho.4.comm.57. tres sunt numero conuulsiones opisthotonos emprosthotonos & tetanos, itidem ait in lib. de trem. & palp. Similiter Auice. ibi, sic mollificatio

diuersificatur in membris &c, ibi, quum corpus declinat ad anteriora. De loco affecto loquitur Gale.3. de loc.aff. cap. 6.ibi, conuulso enim uniuerso corpore infra faciem, omnium infra faciem neruorum originem affectam esse putandū est, quæ sunt primæ spinalis medullæ partes, si uero cum uniuerso corpore facies etiam conuulsa sit, non solum eam partem quæ ex spina procedit, uerum etiam ipsum cerebrum curamus &c. Itidem.4.de sympt.cau.ca.ult.adserit.

De causis conuulsionum.

Quum duplex sit spasmus, alter ad materiā proportionatus, alter non proportionatus, causa non proportionati duplex intrinseca & extrinseca, Intrinseca sunt accidentia animi sicut timor mæstitia dolor, uel mala qualitas a materia uermium uel mala qualitas per consensum aliorum membrorum ad neruos ut uentriculi uteri &c. Extrinseca est mala qualitas frigida styptica membrum comprimens ut frigiditas aeris, uel frigus nerui uulnerati, similiter punctura cæca casus percußio incisio, uel mala qualitas uenenosa qualis est morsus uenenosorum animalium uel præcipitatio & quicquid cerebrum imbecille redit, mordicat ac dolorem infert ex quo nerui fugiant ac contrahantur &c. Proportionatus uero ad materiam duplex alter de repletione, alter de inanitione. Causæ primitiuæ de repletione sunt crapula ebrietas consuetæ euacuationes retentæ, balneum & exercitium in corpore plethorico &c. Causæ antecedentes sunt ut plurimum pituita & sanguis, raro melancholia, rarißime omnium bilis causæ coniunctæ sunt ipsi humores in neruis existentes neruos iuxta longitudinem dilatantes, interdum abscessus, uel flatuosus spiritus crassus, qui ubi fuerit particularis uulgo dicitur granfo. Causæ conuulsionis de inanitione sunt quæcunq; strenue exiccant, quales sunt febres ardentißimæ ieiunia ui-

gilię, alui profluuium, nimius concubitus, euacuationes per= soluentia pharmaca nimius labor, & quęcunq; possunt hu= miditates in neruis naturaliter existentes dißipare ac exte= nuare & omnino exiccare &c.

Loci consentientes de causis conuulsionum.

Auic. secũda tertij, cap. de spas. Et quãdoq; fit spasmus qui ad materiam non proportionatur eueniens causa rei impe= dientis, a qua nerui fugiunt & congregantur ad expellen= dum ipsum, & causa illa, aut est dolor & multotiens ex ua= pore calido mordicatiuo aut a qualitate uenenosa perueniẽte ad cerebrum, aut propter qualitatem non uenenosam, sicut quum spasmus accidit ab infrigidatione uehementi congre= gante neruum et lacertum et contrahitur ad caput suum &c. Paul. lib. 3. ca. 20. porro facit affectum, quanuis raro laßitudo, humidormitio, ponderis eleuatio casus, uulnus, ardor, ictus & alia quę eandem neruis offensam inferre possunt &c. Vide de his latius Auicen. loc. cit. Quod uero spasmus pro= portionatus sit duplex lege Gal. aphor. 4. comm. 57. Omnes conuulsiones fiunt aut a repletione aut ab euacuatione partiũ uidelicet neruosarum. Itidem adserit aphoris. 6. comm. 39. et. 5. de sympt. cau. cap. 2. ibi. atq; omnes Hippoc. authore in duo capita reducuntur plenitudinem & inanitionem. Et Hippo. aphor. 6. aphor. 39. Conuulsio inquit fit uel ex repletione & inanitione &c. De causis huius conuulsionis proportionatę primitiuis loquitur. 3. de loc. aff. cap 6. si temulento cuipiam ac omnino pleno homini qui in otio degit id euenire conspe= xeris ex repletione iudicabis. Et aphoris. 5. comm. 5. solet etiã uinum neruos replere quibus repletis fit conuulsio &c. lege fusius de hac re Arcul. cap. de spas. Gord. Ant guaine. De causis antecedentibus et coniunctis loquitur Auic. secunda tertij, cap. de spas. ibi, causa spasmi aut est cum materia aut sine materia

ſicut caliditas & ſiccitas, et materia ſpaſmi ſecundũ plurimũ eſt phlegmatica aut melancholica aut ſanguinea &c. Et paulo poſt, cauſa eſſentialis ſpaſmi ex repletione eſt, aut humiditas & frigiditas addiuuans ſecundum congellationem et groſſitiem, aut caliditas et ſiccitas &c. Hippoc. aphor. 5. apho. 17. frigidum conuulſiones diſtentiones liuores rigores febriles facit &c. B. quia omne nimium ſiue calidum, ſiue frigidum neruis nocere ſolet, nam ex immodico calore, eorum ſubſtantia diſſoluitur, & ex immodico frigore cogitur ac cohibetur. Gal. 2. de ſympt. cau. cap. 2. cauſam huius rei quippe demoſtrauimus dum neruum aut ſtupore aut reſolutione infeſtari dicebamus ſi frigus illum conſtringat, aut craßi lentiq; humores obſtruant, aut aliqua cauſa externa ipſum ſuo pondere comprimat &c. Itidem ait in lib. de tre. & palpitatione cap. ult. ibi, Itaq; neruos tendineſque in animalium corporibus ex humore ſuperfluo tenſos &c. Quod fiat etiam a flatuoſo ſpiritu habes ex Auic. loc. cit. ibi, & nõ eſt longum quin ſit ſpaſmus eueniens a uentoſitate inflatiua ſpiſſa. Ipſe enim eſt ex eis quæ plurimum accidit, & remouetur in hora intelligens de eo quod dicitur granfo. Itidem ait Paul. lib. 3. cap. 20. ubi tribuit originem muſculis repletis ſpiritu & aere craſſo nebuloſoq; &c. De cauſis conuulſionum ex inanitione plurima refert Auic. ſecunda tertij, cap. cit. ibi, ſpaſmus autem ſiccus, alius quidem qui fit ſucceßione febrium adurentium & proprie in febribus ſirſen, & ſucceßione motuum laborioſorũ corporalium & animalium, ſicut anguſtiæ uigiliæ timor, & ille eſt, ex eis a quibus fit euaſio.

Obiectio.

Quomodo fit euaſio ſi ab Hippoc. & Gale. lib. de tre. & palp. in fine exiſtimatur incurabilis.

Reſponſio.

Duplex eſt ſpaſmus, alter quidem confirmatus in quo om

nes substantiales membrorum humiditates consumptæ sunt, & hic dicitur incurabilis quia humiditates ille deperditæ haudquaquam restaurari possunt. Alter non confirmatus in quo primæ tantum humiditates consumptæ sunt, sed spei aliquid superest, ut restaurentur & sic interdum ab his fit euasio. Gal. 3. de loc. aff. ca. 6. quippe cũ conuulsio fit uel a labore, uel uigilijs, uel fame, uel solicitudine, uel arida æstuanteq; febre, qualem in phreneticis uidere est, causam eius esse ariditatem uacuationemq; recte putaueris. Et. 5. de sympt. causis phlegmone plenitudinem pariunt, ardentissimæ ac aridissime febres inanitionem &c. lege etiam aphorismum, ex superflua purgatione conuulsio &c. lege etiam Gal. 5. de sympt. cau. cap. 2. & in lib. de tre. & palp. & aphoris. 6. comm. 39. ubi affert exemplum modo de chordis quæ ob nimiam humiditatem rumpuntur aut de loris quæ ad ignem longius calefacta contrahuntur. Itidem Auic. sic dispositiones chordarum quæ elongantur in hyeme propter humiditatem & abreuiantur in æstate propter exiccationem.

De signis conuulsionum.

Signa præcedentia sunt angusta ac luctuosa respiratio, Pulsus rarus durus exiguus, risus sardonicus, tremor manus ægri occultus aluus sic cessit, urina aquæ similis uel cruenta esse uidetur, tument oculi, & facies rubescit, præcedunt tremores et singultus, dolor capitis lumborum ac clauiculorum accidit, dentes strident, oculi peruertuntur. Signa præsentia sunt membrorum contractio ad suam originem, diuersitas in pulsu, ita ut in principio sui motus sit humilis, in medio sui motus ascendat & in fine cadit, arteria alijs membris est calidior &c. Signa conuulsionis erunt, si in sanis repentina conuulsio adueniat ac permaneat. Signa conuulsionis de inanitione sunt conuulsiones post multos sudores, uomitus, alui

profluuia, sanguinis fluxum, uigilias, fames, aut febres ardentißima accidentes &c. Signa conuulsionis non proportionatæ ad materiam sunt causæ eius antedictæ. Signa humorum cognoscuntur ex coloribus & reliquis sæpius antedictis. Signa apostematum sunt dolor, febris pulsatio &c. Signa conuulsionis per consensum alicuius membri sunt quia præcedit lesio illius membri &c.

Loci consentientes de signis conuulsionum.

Paul. lib. 3. cap. 20. de signis præcedentibus uerba facit, ibi, Notæ horum sunt angusta respiratio, Pulsus rarus & exiguus nonnunquam & risus sardonicus oboritur, rubet facies, oculi intumescunt, & id reliquum quod a me nuper relatum est. Auic. quasi de uerbo ad uerbum eadem recitat. Gale. pronost. 3. commẽ. 34. potißimum conuulsiones futuræ cognoscũtur, si partes in uultu peruertantur, aut dentes strident, aut oculi cerebro mouentur ac peruertuntur sed in pueris sufficit, si tantum modo uigilent, si admodum metuant, si mente lugeant ac aluus non deijciat &c. Memento etiam aphor. 54. lib. 6. uidelicet in acutis paßionibus quæ cum febre sunt luctuosa suspiria malum. uide de pulsu duro & de alijs huc spectantibus Gal. in commẽ. De signis præsentibus lege Razẽ. 9. alman. cap. de spas. ibi, Quum aliquod membrum alicuius cõtrahitur & ad suam redit originem, aut plura membra sic disponuntur, spasmata esse pronunciamus. Auic. secunda tertij, cap. de sig. spas. Pulsus spasmatorum est extensus & diuersus in situ ascendens & dimittens sicut sagittæ euadentes de arcu sagitarij &c. De signis spasmi de inanitione & repletione Gal. prorret. 3. commẽ. 69. inquit conuulsiones ex euacuatione post sudores multos uel uomitus uel deiectiones uel sanguinis eruptiones, uel inediam uel uigilias uel motiones tum multas tum uehementes fiunt &c. Itidem Paul. lib. 3. cap. 19.

Aet.ser.6.cap.38. si statim ab initio morbi conuulsiones fiant & permanserint, tunc a plenitudine ortum habent, si uero a multis sudoribus uomitibus &c. tunc ex inanitione oriuntur. Itidem Auic.loc.cita. ibi si spasmus a repletione fiat signa sunt q, subito prouenit & non discedit uelociter, si a siccitate fit paulatim & succeßione ægritudinum euacuantium &c. Idem sentit Gal. aphor. 2.commẽ.26. Signa humorum tangit Gal.pronost.3.commẽ.34.ibi, colores præter naturam habentur indicantes humorum prauitatem, ex quibus conuelli assolent. Pallidus enim aut liuidus prauum qualitate significat humorem, rubidus uero sanguinis copiam &c. De signis spasmi ex apostemate loquitur Auicẽ. secunda tertij, cap. de sig. spas.ibi, & quandoq; cum spasmo sunt pulsatio & saltus & est signum malum, pulsatio unam duarum rerum significat, aut apostema in uisceribus &c. Similiter loquens de signis per consensum alicuius partis inquit cum nocumentum est ex stomacho communicat ei cerebrum, deinde nerui & fit spasmus succeßione uomitus qui est sicut succus porri aut ærugo æris &c.

De cura conuulsionum.

Ad curam spectant quatuor intentiones, Prima est uictus ratio Secunda euacuatio sub qua reuulsio comprehenditur, Tertia resolutio ac membrorum roboratio, Quarta est symptomatum remotio. Victus in conuulsione de repletione existente materia pituitosa, sit, calidus tenuis & siccus in principio & in uirium robore, si uero imbecillitas uirium adsit etiam in statu cogimur ei succurere, cum carnibus qualitate siccis, uinum nõ bibatur usq; ad morbi remißionem, nam tunc ad resolutionẽ antiquum facit. In conuulsione de inanitione, uictus sit frigidus humectans pinguis tenuis quum male transglutiant & uiæ sint stricte, magis tamen humectet quam infri

gidet, qualis est aqua carnis cum quatuor seminibus frigidis alterata lac recenter mulctum, sorbitiones ex chondro & alica cremor ptisanæ, Potus sit aqua hordei aqua cucurbitæ et mellonis indi cũ Iuleb si ad fuerit febris, si minus his addatur parum uini tenuis & aquosi, facit enim ad penetractionẽ &c. Euacuatio fiet primum per uenæ sectionem, si sanguis uel humorum copia in causa fuerit, si minus iuxta humorum exigentiam euacuato, de quibus in capite de paralysi satis dictum est. Sed ubi morbus inducias dederit, tunc primum materia erit præparanda cum rhodomelle, syropo de stechade, cum aquis ac decoctis capiti spectantibus, conueniunt insuper clysteria cum rebus capiti dicatis, frictiones ad partes subiectas, item masticatoria sternutatoria, cucurbitulæ affectis partibus cum scarificatione, multa existente materia, uel sine scarificatione pauca existente. Resolutio ac membrorum roboratio perficitur cum emollientibus ac resoluentibus quum materia sit crassior quam in paralytide & hæc per exteriora & interiora. Exteriora sunt linimenta ex oleo liliorum alborum, lumbricorum oleo uulpino costino &c. unguenta ex bdellio, Balnea tã naturalia quam artificialia, Naturalia sulphurea salsa aluminosa, Artificialia sicut in oleo comuni, uel in balneo in quo decoctæ sint uulpes catuli cum herbis capitalibus. s. camomilla anetho maiorana saluia rosmarino stechade et simil. Interiora sunt electuaria resoluentia ut diamuscus, diacorus, mitridatum, confectio anacardina & quæcunq; febrem prouocare possunt. Remotio symptomatum fiet, si dolor qui interdum uehementissime molestare solet, auferatur & hoc perficitur cum anodinis cum balneo. 53. ex oleo. s. cõmuni in quo decocta sit lumbricorum quædam quãtitas, uel cum oleo camomillino de. s. lini, uel balneo arte parato, & membra contracta ad suum locum reducantur &

inordinato motui resistatur. Cura conuulsionis de inanitione tantummodo consistit in humectando & restaurando, modo cum balneis ex lacte, modo artificialibus cum folijs salicis hordeo uiolis & seminibus frigidis &c. Post balneum statim membra ex oleo rosaceo liniantur, ne humiditas impressa exalet, sed sua stypticitate cohibeatur, Clysteria fiant ex rebus similibus additis quibusdam impinguantibus, Somnus insuper accersendus est euacuatio nulla fiat nisi naturalis & nutriatur ut dictum est. Cura conuulsionis non proportionatæ ad materiam sic fiet, Primum si fuerit a percußione cũ laxantibus balneis ex hordeo camomilla et malua fenu græco &c. Si fuerit ex uulnere, in primis dolorem remoue, & sanies inducatur, cum emplastro altheæ uel cum uitello oui et terebentina & tota spina liniatur cum humectantibus tempe ratis, sicut oleo amygdalino dulci &c. Si fuerit a uentositate resoluatur cum fricatione & oleis calidis. Si fuerit a punctura uenenosa extrahatur illa humiditas uenenosa, uel cum cucurbitula apposita uel cum emplastro ex scabiosa & uitello oui. Si fuerit punctura ex ferro tunc aperiatur locus ita, ut uirus quoquo modo transpiret cum unguento exiccante & corrodente, quale est unguentum apostolorum ægyptiacum, sed prius sedetur dolor cum terebinthina & oleo rosaceo, aut cum balneo ex oleo lumbricorum aut cum pane in lacte infuso, aut cum aliquo quod locum stupidum reddat qualia sunt opiata &c. Si fuerit ab apostemate, curetur eodem tramite, quo solent tales abscessus curari. Si fuerit per consensum uẽtriculi, curetur uomitu, uel euacuatione per secessum, roborando cerebrum & spinam ne amplius quidpiam suscipiant, & sic intelligito de alijs particulis &c.

Loci consentientes de cura conuulsionum.

Habes de uictu primum Auic. secunda tertij, ibi, & si ha

bens spasmum humidum, debilis sit uirtutis, non abscindantur ab eo carnes siccæ sicuti carnes minutarum auium & cubegi & cheruberi.i.perdicis & laudæ, & si uirtus non fuerit debilis sint cibi eius panis cum melle et aqua ciceris cũ anetho & sinapi &c. & sic calidum ac tenuem uictum imperat. Paul.lib.3.cap. 20. Porro uictus erit tenuis, qui expedite distribuatur & recrementis omnino uacet &c. Et loquens de uictu conuulsionis de inanitione, dixit, Qui ex inanitione conuelluntur nutriendi sunt ex chondro et alica, uinoq; tenui & aquoso, quod facile per omnia corporis membra distribuitur, nisi febris adfuerit, tunc ptisanæ cremor utilis est. Et Auic.loc.cit. & infirmo detur in potu lac recenter mulctum secundum mensuram conuenientem, si non fuerit febris & aqua hordei & aqua cucurbitæ & aqua melonis indi cum Iuleb, et si commisceatur cum aliquo horum parum uini albi, ut penetrare faciat, erit conueniens, & paulo post, cibus habentium spasmum siccum, sit totum quod humectat & lenit et omnes sorbitiones pingues lenes factæ ex aqua hordei, assumpta ex carnibus agnorum & hedorum, & quandoq; ponitur ex oleribus humectatiuis frangentibus nocumentum carnis, si illic fuerit caliditas &c. De euacuatione lege Paul. loc.cit. ibi, Quibus ceruix recta intenditur, ab inito sanguis detrahẽdus est, & partes lanis oleo sycionio imbutis & castoreo contegantur & cucurbitulæ sic admouendæ ut cutis exasperetur, lenes enim noxam inferunt &c. Auice. secunda tertij, cap. de cur. spasmi, Si spasmus est humidus oportet ut curetur cum euacuantibus & purganitbus &c. & cum uideris sanguinis signa dominantia tunc phlebotoma &c. Aet. ser. 6. cap. 39 post uenæ sectionẽ utendum unguentis lancinantibus & cucurbitulæ cum scarificatione locis omnibus affectis affigantur, in potu conueniunt apomelli & radicis sylphij deco=

ctum & ipsa trita & hyssopi decoctum &c. B. Intellige non tantum ratione potus quantum præparationis materiæ, Itidẽ Paul. & Auic. loc. cit. asserunt. De resolutione postea loquens Aet. loc. cit. inquit, deinde cataplamata locis affectis adhibeantur, quæ laxare ac discutere possunt simulq; lenire, Horum antem materia sit fænugræcum, semen lini farina hordeacea ac loliacea &c. Paul. lib. 3. cap. 20. Quod si tetanus ad uetustatem inciderit in oleum bis quotidie descẽdere oportet nec diutius immorari quum maxime uires conuellat. B. Nota q̃ tetanus non differt a conuulsione nisi ut genus & species, uel sicut compositum a simplici, sunt enim in tetano binæ conuulsiones diuersorum musculorum & neruorum ad oppositas partes sese trahentium. Auic. secunda tertij, cap. de cur. spas. Et seßio in pelli uulpium & luporum iuuat & inunctio cũ adipibus luporum & oleo de lilio, si non fuerit febris & decoctum catulorum aut seßio in aquis, in quibus decoctæ sint medicinæ subtiles sicut abrotanum aut folia radicis iunci & calamus aromaticus & folia lauri &c. lege eum fusius & plura ad balnea & iunctiones spectantia ab ipso intelliges &c. De remotione accidentium, habes fere omnes practicãtes, sed præcipue Paul lib. 3. cap. 19. ibi, Primum partes quæ contrahuntur ualenter continendæ sunt & inordinatis resistendum motibus, oleo perfricare oportet rutaceo aut sycionio &c. Itidem Auic. ibi, & applanetur quod spasmatum est leniter &c. & antea dixerat, & si fuerit dolor seda dolorẽ postquam consideraueris quid sit. Et abscinde causam eius, lege de his Arculanum. De cura spasmi ex inanitione loquutus est etiam Auic. ibi, dicens conuenientior cura est tina, & inunctio in oleo humido post ipsam, & eius iteratio multotiens, si autem poßibile est tina fiat ex lacte, si non ex aquis in quibus cocta sint folia salicis hordeum uiola nymphea cu-

curbita & citruli, aut sit totum illud ex aqua rosﾞ. in qua deco cta sint aliqua horum & si feceris clysteria fiant ex istis expreßionibus & oleis aliquibus dissolutis humectantibus & impinguantibus &c. Itidem Paul. loc. cit. adserit, ibi, *eos qui ex inanitione conuelluntur, oleo uel hydreleo calido fouere competit &c.* De cura per consensum habes plura apud neotericos omnes quos recensere esset præter longitudinem, satis graue. Vide tu Arcul. Marc. Catin. Gord. &c. Lege insuper Auic. ibi, *In eo qui factus est a percußione oportet ut administrentur embrocæ quæ laxant factæ ex hordeo camomilla &c. Si fuerit a dolore seda dolorem &c. Et si est propter puncturam curetur &c. Et si fuerit a nocumento propter alicuius rei uenenosæ potum, curetur cum eo quod cognoscitur in cap. de uenenis &c.*

Obseruationes de sectione uenæ.

Aet. ser. 6. cap. 39. *primum si a repletione fiat, seccanda est uena.* Auic. de cur. spas. loquens de sectione uenæ inquit, *non extrahas totum, quod necessariũ est ex sanguine, imo retine ex eo aliquid ut resistat spasmo & resoluatur resolutione mo tuum spasmi,* & hæc obseruatio etiam habetur a Raze. 1. contin. ca. de spas. &c.

Obseruationes de balneis.

Auice. loc. cit. *Et scias q́ longitudo spatij moræ in tinna est ex eis quæ nocent propter mollificationem uirtutis, tu autem pone multitudinem numeri in loco longitudinis spatij & fac sedere ipsum bis in die &c.* hoc idem annotauit etiam Paul. lib. 3. cap. 20.

Obseruationes in ponendis cucurbitulis.

Auicen. *Et ille qui utitur uentosis oportet ut utatur sine scarificatione si res est leuis, et si non ita est, scarificatio fiat, & loca uentosarum, custodiantur et conseruentur, ne corpus*

infri=

infrigidetur &c. Vide in hoc latius Paul. æginet.

Obſeruationes de aqua frigida.

Paul. lib. 3. cap. 20 *frigidæ ſuperfuſionem quum ſit (quem admodum ait* Hippoc.) *periculoſiſsima, eoq; poſteris credo uituperata & nos damnamus deuitamuſq;.* B. *Hæc dicta ſint in* Marcũ Catinariam, *qui per immerſionem aque frigide cu ram fieri iubet. Similiter de febre prouocanda, nam non ſo-lum* Auic. *ut ſupra ſed etiam* Paul. *in hoc loco optimum eſſe inquit præſidium febrem, quæ per initia non fuerit ſuperue nientem: & hoc contra* Michaelem Sauona. *qui nullo modo prouocandam ait eſſe, quum poſtea noſtri non ſit arbitrij eam expellere.*

Conuulſionem excitantia.

Excitant, eiq; nocent coturnix, helleborus albus tribulus marinus, Prohibent a propietate ſpaſmum iuxta Auice. & Plinium, *Fel adeps cinis muſtellæ, ſpolium ſerpentis, ſtorax bibita &c.*

Conuulſionem curantia.

Curant ſpaſmum ex repletione, acorus, aſſa, ariſtologia bdellium, calamentum camedrys, caſtoreum, centum capita colocynthis, epithimum, euphorbium, galbanũ, peucedanum pyretrũ, ſatirion, ſcenoanthos, abſinthium, oleũ amygdalarũ dul. de been, de piperibus, de coſto, de croco, de alchechẽgi, de s. lini, ſyrupus de ſtechade, de betonica, rhodomel, pillulæ fe tidæ, de ſerapino, de ſex rebus Alex. *chociæ, unguẽtum aragõ, balſamum, confectio anacardina, diamuſcus, diambra, lege etiam remedia inuntiones &c. iuxta* Varig. ca. 10. *de diſpoſ. capitis.* Itidem Bartho. Montagnanam *conſ* 244. *in fine, uide etiam* Aggregatorem, Arcul Sauona Gord Aet *&c.*

De pronoſticis conuulſionum.

Hippoc. aphor. 2 *aphor.* 26. *Febrem conuulſioni ſuperue-*

nire, melius est quam febri conuulsionem. B. Nam si febris superueniat humorem calefaciens extenuat & dissoluit, si uero post febrem conuulsio accidat, statim ob sui acutiẽ uires dissoluens, exitium affert, nisi ab initio quis huic oportunis remedijs resistat. Et aphor. 4. aphor. 5. ex purgatione superflua, conuulsio aut singultus superueniens, malum. Et apho. 4. aphor. 49. In febre non intermittente si labrum, uel oculus, uel nasus, uel supercilium peruertatur, uel non uideat aut, iam debili existente corpore, quodcunq; horum fiat, iam prope est mors. Et aphor. 4. aphor. 57. Quia conuulsione, uel distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur. Et aphor. 4. aphor. 66. In acutis febribus conuulsiones et circa uiscera dolores fortes, malum. Et apho. 4. apho. 67. In febribus ex somnis timores uel conuulsionæs, malũ. Et apho. 4. aph. 68. In febribus spiritus offendens malum, conuulsionem enim significat. Et aphor. 5. apho. 1. Conuulsio ex helleboro lethalis. B. Non eam intelligit Hippoc. quæ per consensum oris stomachi, neq; eam quæ per nimiam euacuationem, accidit, sed forte eam quæ ab impulsa hellebori uirtute, uiolentius neruorum substantiam exiccat, alioqui frustra legeretur alter aphor. ex superflua purgatione &c. Et aph. 5. apho. 2. Cõuulsio ex uulnere lethalis. B. Quia ad uulnera sequi solet inflammatio, quæ ubi neruos attigerit conuulsiones accidunt quãdoq; uniuersales ex quibus mors. Etiam aphor. 5 aphor. 3. ubi sanguis plurimus fluxerit singultus aut conuulsio superueniens malum. Et aphor. 5. aphor. 5. si ebrius quispiam repente obmutuerit conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ad horam peruenerit qua soluuntur crapulæ, uocem reciperet. Et aphoris. 5. aphor. 6. Quicunq; a distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, si uero hos effugerint sani fiunt. B. Morbus hic in primo dierum iudicatorium circuitu fi

nitur non tollerante diu natura laborem. Et aphor.5.aphor. 18.frigidum inimicum oßibus dentibus,neruis, cerebro, ſpinali medullæ,calidum uero utile. Et aphor.5. aphoriſ.57. In fluxu muliebri, ſi conuulſio & animi deffectus aduenerit,malum. Et aphor.5.aphor.70.a quartanis capti, non admodum a conuulſione capiuntur, ſi uero prius capiantur, & quartana ſuperuenerit,liberantur. Et aphor.7.aphor.9.a profluuio ſanguinis diſipientia & conuulſio,malum.B.Dictum eſt conuulſionem ex euacuatione eſſe, malam, ſed quanto magis ſi ambarum fuerit conuentus. Et aphoriſ.7.aphor.10. Ab ileo uomitus ſingultus deſipientia,uel conuulſio,malū. Et aphor. 7.aphor.13. Ab æſtibus fortibus conuulſio aut diſtentio, malum.B.Intellige pro æſtibus ſiue febrem, ſiue aerem ambientem,uel feruorem,uel cauteria,uel eſcaram, nam ob neruorum ſiccitatem, hæ proueniunt conuulſiones quæ difficillime curantur. Et aphor.7.apho.18. In uigilia conuulſio uel deſipientia malum &c. Et aphor.7.aphor.25. Ex medicamenti potione conuulſio. Et aphor.7.aphor.27. Mulieri utero gerenti, ſi tentio ſuperuenerit,facit abortum. Razes.9.alman.ſpaſmus qui non repente, ſed ſuauiter accidit poſt febrē, aut poſt multam uentris ſolutionem,aut multum uomitum,aut ſanguinis fluxum,malus eſt et uix curabilis. Itidem habet Paul. loc. cit. Et Aet.& Auic.Mes. Quur ſit hic deterior,quā diſtentio eſt,quia iuxta omnes dimenſiones contrahit. Gal.lib. de tre. & palp.in fine. Conuulſiones quarum ſiccitas cauſa eſt,minime medicaberis,nam ſic affecti citißime intereunt, nec medicamenta ſibi ipſis utilia excogitare permittunt, atquæ ex humorum copia,aut ab inflammatione eueniunt,humorum euacuando repletionem, & inflammationem proprijs remedijs medendo ipſas curare poteris &c. Similiter aphoriſ.5. commē.7.Conuulſio quæ fit ab euacuatione acutißima eſt & per-

uitiosiſsima, quæ uero a repletione neruoſarum partium, ne q; acutiſsima, neq; ſimiliter periculoſa.

Aut. diſſentientes circa conuulſionem.

1 *Adſerere, cum ariſtotele neruos oriri a corde.*

2 *Adſerere conuulſionum ſpecies eſſe plures quam tres, quum corpus etiam ad dextram et ſiniſtram curuari poßit.*

3 *Adſerere conuulſionem de inanitione, non eſſe ſemper mortalē, Nam pueri inquit Auic. liberantur a ſpaſmo ſicco uelociter.*

4 *Adſerere, omnem conuulſionem de repletione poſſe ſemper a febre curari.*

5 *Adſerere, conuulſionis motū a naturali motu non differre.*

Confutatio diſſentientium circa conuulſionem.

Confutat primum Gal. 3. de loc. aff. cap. 6. probans duobus medijs non oriri a corde, Primum per exercitatiſsimos medicos, qui non cordi in hoc morbo ſed cerebro, uel circa ſpinā remedia adaptant, Alterum ex arte anatomica, in qua euidentiſsime cernitur neruos oriri a cerebro & non a corde.

Ad ſecundum reſpondet Gal lib. de tre. et palp. cap. ult. enumerans tantum tres ſpecies inquit huiuſce paſsionis modos hunc quidem Emproſthotanum, illum uero opiſthotonum, Tertium autem tetanum (ut omnes fatentur) appellari cognoſces, reliquos modos laterales tanquam impoſsibiles propter ſitum neruorum & corporis imbecillitatem, tacens, quos ſi cognouiſſet utlies, non utiq; ſicco pede pertranſijſſet.

Ad tertium inquit Gal. aphor. 2. comm. 26. Si uero ex ardentibus febribus totum corpus exiccetur, & neruis deinde ex ſiccitate conuulſio accidat, hoc maximum eſt malum & pene inſanabile, cuius ratio ab ipſo reditur &c. Quod uero dicit Auic. ita intelligendum eſt q, pueri liberantur a ſpaſmo ſicco uelociter. i. pueri immunes ſunt, ne de facili in conuulſio

nem de inanitione incidant ob eorum edacitatem &c.

Obiectio.

Gal.3.pronost.inquit q̃ conuulsio accidens pueris cum acu ta febre facile curatur & tamen sequitur febris, igitur non omnes moriuntur.

Responsio.

Duplex est febris, altera totum corpus & neruosam compaginem desiccans & hæc est incurabilis & lethalis. Altera est dissoluens humores pituitosos frigidos, qua facile curãtur pueri & sic intelligit Gale ibi.

Ad quartum respondet Gal. in lib. de tre. & palp. non curari conuulsiones ex repletione, tantum ex febre. sed quæcunq; tantummodo ex frigidorum humorum copia proueniunt repletionem tamen euacuando, sed quæ ab inflammatione eueniunt minime per febres curantur, sed inflammationem proprijs auxilijs igitur conuulsio de repletione non semper a febre curabitur.

Ad quintum inquit Gale.3. de loc. aff. cap. 6. Conuulsionem in conuulsis partibus factam, hac sola ratione a motu naturali differre, q̃ præter uoluntatem fit. Naturalis uero motus uoluntarius est, et sic differt a motu conulsionis qui inuoluntarie semper fit.

De Melancholiæ descriptione.

Melancholia est quædam sine febre, mentis alienatio ex humore melancholico depedens. Hæc duplici spetie insignit constat, altera quã Græci μελανχολιαν. i. atram bilem, altera μανιαν. i. insaniam uocant. Melancholia ratione locorum affectorum duplex est, Prima quum cerebrum primario affectu afficitur, Altera quum per consensum uel totius uel partium precordijs. s. affectis molestatur. unde precordialis siue hypocondriaca melancholia uocatur, Complures uero & harum existunt differentiæ, quas enarare longum foret. Nam quidã

ſemper, rident nonnulli plorant, alij mortem expetunt, alij mori timent alij futura uaticinãtur, quos ενθεαστικους *Græci uocant &c.*

Loci conſentientes de Melancholiæ deſcriptione.

Gal. *lib. finit. med. Melancholia eſt quidam ſine febre affe ctus mentem ledens, non ſine graui moleſtia animi, atque auerſione a rebus chariſsimis. Ibi etiam deſcribitur inſania, dum inquit eſt alineatio mentis, mutatioq; a communi homi num ritu ac ſanorum moribus ſine febre.*

Auic. Melancholia eſt mutatio exiſtimationum et cogita-tionum, a curſu naturali ad corruptionem & ad timorem & ad malitiam propter complexionem melancholicam fa-cientem ſpiritum cerebri ſylueſtrem interius & facientem ipſum timidum propter tenebras &c.

Oribaſius aphor. 7. comm. 10. Atrabilis eſt affectio cerebri & ex melãcholica fit materia &c. Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. ubi atra bilis in corpore abundat, eam inſaniæ. ſpeciem quam Græci μελαγχολιαν *uocãt, efficit. Quemadmodũ alter atræ-bilis ſuccus qui præaſſata flauabile naſcitur, ferina deliramẽ ta inducit modo cum febre modo ſine febre. Alexan. tracta. cap. 22. Sed ex loco etiam affecto aliam atque aliam ſortitur ſpetiei nomenclaturam, afficitur. n. interdum cerebrum pri-mario affectu, nonnunquã p conſenſum ſingularum corporis partium, interdum uentre & præcordijs adflictis, quam ſpe ciem hypocondriacam nominant. Gal. 5. de ſympt. cau. in fine melancholicæ dementiæ uariæ ſunt ſpecies prout in ipſis par ticulatim doloſæ ſuſpectæq; apparent. In omnibus commune unum habetur, quod omnes præter rationem mæſti ſunt, nec quam ob rem triſtentur rationẽ poſſunt reddere ac non pau-ci eorum mortem et alia non timenda timere uidentur &c. Vide fuſius infra de ſignis melancholiæ &c.*

De causis Melancholiæ.

Causæ uel sunt in cerebro, uel extra cerebrum, si per se in cerebro sunt et nõ ab alijs dependeant partibus corporis, tunc uel sunt initiatrices siue primitiuæ, uel antecedentes, uel coniunctæ. Causæ primitiuæ sunt aer frigidus et siccus turbulentus, aut calidus siccus adurens sicut aer æstatis & autumni, cibi potusq; atrabilarij qualis est caro bubula caprina, lentes, uinũ crassum, exercitium exiccans ac balneũ immoderata uigilia timores tristitiaq; uehemens studiũ, longi carceres menstrua ac hemorrhoides oppressæ &c. Causæ antecedentes sunt mala intemperies frigida et sicca sine materia, quæ tum cerebri, tũ spiritus animalis complexionẽ ac substantiã tenebrosam efficit. Itidem facit mala intemperies calida & sicca, nam adurendo eorum substantiã obtenebrat. Item mala temperatura frigida & sicca cum materia melancholica naturali uel non naturali ut ex adustione sanguinis. Mania similiter ex bile præassata generatur. Causæ coniunctæ sunt, uel ipsa intemperies cerebri frigida & sicca naturalis & non naturalis melancholiam ad actum producens, uel ipsa melancolia in cerebro contenta. Causæ uero per consensum a toto corpore sunt uel febres quartanæ præcedentes, uel aliæ ægritudines in melancholiam desinentes. Causæ per consensum a partibus erunt plures, nam si proueniat malum a splene, tunc causa erit uel eius imbecillitas segregare ac expurgare atrambilem non ualens, aut obstructio, aut apostema, aut mala intemperies. Et similiter intelligito de hepate stomacho præcordijs ex quibus humor aut uapor tenebrosus tandem ad cerebrum eleuatur.

Loci consentientes de causis Melancholiæ.

Auice. loc. cit. & melancholiæ causa aut est in ipso cerebro, aut extra cerebrum. Aet. ser. 6. & Paul. lib. 3. ca. 14. &

Gal. 3. de loc. aff. cap. 5. Interdum sine febre uitium est ut in mania & melancholia id quod modo per consensum modo primaria affectione, cerebro laborante accidit. Itidem ait. cap. 7. B. Ex hoc Gale. loco cognoscitur quotienscunq; aliquid per se & per consensum afficiatur, & hoc exacte discernitur per propria accidentia perpetuo permanentia. De causis primitiuis melancholiæ loquitur Gal. aphr. 3. comm. 20. ibi furores. n. & atrabiles & morbi comitiales & anginæ sunt morbi autumnales similiter & commē. 22. eiusdem est sententiæ &c. Auic. prima tertij, tra. 5. & quandoq; causa generationis eius est aer exterior, & quandoq; fiunt in generatione eius cibi generati choleræ nigræ, & ex causis fortibus in generatione melancholiæ est superfluitas tristitiæ et timoris. Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. facile intemperiem melancholicā incidunt. Qui & uigilijs & multis laboribus & solicitudine & tenui uictu fuerint educati, ad hæc accedunt, si hæmorrhois aliqua restricta sit, aut alia quædam consueta sanguinis euacuatio, aut mulierū menstrua insuper si quis usus sit cibis qui suapte natura sanguinem melancholicum efficiunt, ut caprina bubulaq; caro, magisq; hircinæ et taurinæ asinorum ac camelorum carnes. Item uulpinæ caninæ atq; magnam uim in huiusce modi generatione ex lepore cibus est, sed multo magis, ac limaces frequenter comeste omnesq; terrenorum animalium carnes sale condite. Ex aquatilibus thumni balenæ, uituli marini, delphini canis atq; ceta ceorum omnium, ex oleribus brasica sola ferē, inter legumina lentes, mox panis furfuraceus et qui ex uitiatis seminibus conficitur. Præterea uina crassa nigraq; aptissima sunt ut ex ipsis melancolicus humor efficiatur, uetus deniq; caseus &c. Vide de his etiam Gale. de atrabile ca. 4. & . 6. &c. De causis antecedentibus loquitur Gale. 1. q. fiat sine materia aphr. 6. comm. 53. Et Auice. prima

tertij,tra 5. causa est malitia complexionis frigidæ & siccæ si ne materia permutante substantiam cerebri & complexionem spiritus luminosi ad tenebras,aut est cum materia & illa materia, aut est in uenis ueniens ad eas ex loco alio & conuertitur ad choleram nigram per adustionẽ, aut est materia imbibita in corpore cerebri &c. & Paulo infra inquit & oportet ut scias q, cholera nigra faciens melancholiam,quandoq; est cholera nigra naturalis,aut phlegma quando conuertitur in choleram nigram ob spissitudinem, aut ob aliquam adustionem, quanuis hoc sit rarum & parum &c. B.Nota ex Manardo in secunda epistola noni libri pituitam adeo assari non posse in corpore humano,ut nigra in totũ euadat. Ee Gal.3.de loc aff.cap.7,Igitur ea quam atrabilis constituit, in melancholiam transit,quæ uero a pituita parta est, in aliã affectionem permutatur melancholiam haudquaquam efficiens &c.Gal.5.de sympt cau.in fine sola autem melancholica dementia a frigidiori succo, ut causa euenire solet &c.Et.3. de loc.aff.cap.7.prouenit huiuscemodi humor in quibusdam plurimus, uel a temperie ab initio comparata, uel a cibis in hunc humorem conuersis & paulo ante melancholici sunt in quibus siccitas & frigiditas dominatur &c. Vide etiam caput sextum de atrabile.Aet.ser.6.cap.9 Generatur autem caliditate multa indigena, aut flauam bilem, aut crassiorem sanguinem adassante &c.Vide etiam Gal.3.de loc.aff.&.2 artis curatiuæ &c. Causæ coniunctæ recitantur ab Auic.loc.cit.ibi & una quæq; specierum choleræ nigræ quum in cerebro est modo prædicto facit melancholiam. Gale.5. de symp. cau.in fine lib. Porro omne delirium deprauatus est principis facultatis motus, a prauis succis aut cerebri intemperie ortum habens & in fine cap. Quod nobis extrinsecus accidit,quum ambiens nos aer uastissimis tenebris fuerit obscuratus id

melancholicis ab intimo corpore erumpere uidetur, occupan te cerebrum, uel ipsamet atrabile, uel uapore quopiam melan cholico &c. De causis etiam per consensum loquitur Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. ibi, Interdum cerebro accidit, ut nonnunquã uniuerso in uenis sanguine melancholico effecto ob commune uitium ipsum quoq; ledatur, nonnunquam uero reliqui cor poris sanguine prorsus inocuo, solus qui in cerebro continetur, uel aliunde in ipsum deriuans aut in ipsomet humor melancholicus genitus est, &c. Et paulo post sunt etiam nonnul li qui per febriles morbos melancholicum humorem contra xerunt &c. Auice. prima tertij, tra. 5. ca. de Melancho. Cui causa est extra cerebrum communicat res aliqua ex qua humor, aut uapor tenebrosus eleuatur ad cerebrum & res illa aut est in toto corpore, quum ei dominatur complexio melancolica, aut præcesserunt ægritudines quibus succedit melan cholia ut febres temporales & permixtæ aut quum fit permutatio ex epilepsia, aut est in splene, quum in ipso retinetur melancholia & non potest ipsam purgare, uel trahere nigrã ex sanguine, aut quia in ipso peruenit apostema uel opilatio &c. Lege fusius eum & inuenies etiam caliditatem hepatis esse causam &c. Aet. ser. 6. cap. 9. perducit etiam ad cõsensum cor ipsum ob uicinitatem et ibi, plerunq; partes circa præcor dia primario affectæ caput ad consensum perducunt & deli rium efficiunt &c. Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. Videtur quidem in ipso uentriculo inflammatio esse, Sanguis. n. in parte inflammata contentus craßior et atræbili magis conformis et sicut ex uentriculo halitus fumosus ad oculos eleuatus suffusorum accidentia efficit pari ratione, sublata ad cerebrum ab atra bile euaporatio, melancholica accidentia excitat &c.

De signis Melancholiæ.

Signa principij melancholiæ sunt timor & mæstitia sine

causã, solitudinis dilectio, iudicium corruptum, iræ uelocitas. Signa confirmatæ melancholiæ, sunt si quæ cogitare capit ore promat et pmisceat actus et uerba ut si dicat timere casum cœli, uel putet se esse regem & sic adest timor et existimatio mala, & sermonis alienatio, solicitudo & angustia & non timenda timet &c. Signa melãcholiæ in cerebro sunt superflua cogitatio & assidua solicitudo melancholica, firmusque aspectus ad terram, uel ad aliam rem. Item capitis faciei & oculorum color niger, capilli crassi & nigri præceduntq; malæ cogitationes ac insomnia, uel aliquæ cerebri ægritudines ut epilepsia nec adsunt indicia per cosensum afficientia. Signa quum a toto per consensum fiat, sunt gracilis corporis habitus qualis est niger hirsutus & ex toto melancholicus per naturam uel per acquisitionem, sicuti per solicitudines, uigilias, malorum ciborum esus, uel per menstruorum uel hemorrohidarum oppressionem, adest insuper multitudo pillorum uehementer nigrorum atque crassorum &c. Sigua hypocondriacæ melancholiæ, quã Auicenna Myrachiam uocat, sunt, inflationes, rugitus, ructus acidi, ardor & hypocondriorum grauitas, aluus restringitur, uomitus, dolor uentriculi & proprię a cibo quousq; digestum sit, accidunt etiam ex acceptione cibi multa accidentia, quæ facta digestiõe minuuntur, iuuantq; a uomitu ructu flatibus & excretione alui ac a concoctione. Signa humorum, si fuerit atrabilis sanguinea primum insaniunt cum risu uero uel ficto, nec ulla adest mæstitia, si melancholia fuerit pura tunc mærent plorant mortem expetunt, si bilis perassata, tunc uehementer insaniunt effrenes ad modũ ferarum euadunt & uiolenter homines uerberant &c.

Loci consentientes de signis Melancholiæ.

Hippoc. *aphor. 6. aphor. 23. Si timor atq; mæstitia longo tempore perseuerent ex eo atrabilis significatur. Auic. prima*

tertij,tra.5.ca.de sig. melancho. Signa principij melancholiæ sunt existimatio mala & timor sine causa, & uelocitas iræ & dilectio solitudinis & tremor & uertigo & sonitus & tinnitus & proprie in myrach &c. Razes 9 almam. Quum alicui malæ cogitationes sine causa acciderint, & timor & mestitia in eo præualuerint est principium melancholiæ Gal. 3. de loc.aff.ca.7. Differunt inter se melancholici, nam omnes timent, mærent, uitam damnant, odio habent homines sed nõ omnes mori cupiunt. De signis confirmatæ melancholiæ loquitur Auic. loc. cit. ibi, Quum autẽ confirmata est, tunc adest timor & malitia existimationis & angustia & solicitudo & alienatio sermonis & fastidium propter multitudinem uentositatis & species timoris ex eis quæ non sunt aut sunt, penè infinitæ, Nam quidam timent casum cæli supra se, alij q terra eos absorbeat, alij timent latrones & quandoq; imaginantur se factos reges &c. Razes loc. cit. At si quæ cogitare cæperit, ore promat, uerba sua actusq; permisceat, iam perfecta est melancholia. Faciunt quoque ad hunc locum quæcunque ex Gale. in. 5. de sympt. cau. & 3. de loc. aff. cap. 7. supra recitata sunt. Itidem habet Paul. lib. 3. cap 14. & Aet. ser. 6 cap. 9. ibi, In summa melancholia multiformia deliria sunt ob particulares corruptas imaginationes, non pauci mortem timent &c. De signis melancholiæ in cerebro lege Gale. 3. de loc. aff. cap. 7. ibi, Quum autem propria melancholiæ accidẽtia auctiora uidentur, circa uentriculum uero nulla, aut pauca admodum sunt, haud ab re existimaueris primitiuam in cerebro affectionem consistere, ob atrabilem in ipso congestã &c. Aet. ser. 6. cap 9. Cognitio an totum corpus melancholicum sanguinem habeat, an iuxta solum cerebrum talis sit nigriores & hirsuti & qui uenas amplas habent aptißimi sunt ad atrabilis generationem, interdum homines rubicun-

di in melancholicam temperiem transeunt, similiter & flaui præsertim ubi uigilijs laboribus & curis & tenui uictu aut melancholicis edulijs usi fuerint &c. Vide etiam quæcunque supra ex Gale. de causis primitiuis uerba fecimus. Itidē adserit Auic loc. cit. ibi signa eius quæ in cerebro est, sunt proprie superfluitates cogitationis & aßiduatio solicitudinis melancholicæ &c. De signis per consensum totius corporis loquitur Paul. lib. 3. cap. 14. ibi, peculiares melancholiæ notæ sunt, gracilis corporis habitus niger hirsutus & exto melancholicus uel natura, uel acquisitione per solicitudines uigilias &c. Auicen loc. cita. eius quæ facta est, communitate totius corporis est nigredo corporis & arefactio & retentio eius quod euacuatur ex splene & stomacho et quod euacuatur cum periodis exano & menstruis &c. lege Gale. 3. de loc. aff. cap. 7. Facit etiam mentionem de signis melancholiæ hypocondriacæ. 3. de loc. aff cap. 7. ibi, Quumque circa uentriculum prima inceperint accidentia, ipsisque auctis melancholica sequatur affectio, deinde alui deiectione & uomitu & proba concoctione ructibusque leuetur is qui laborat, hypocondriacum flatuosumque morbū ipsum nominabimus &c. Auic loc. cit. Signa myrachiæ sunt grauitas in myrach et attractio ad superiora & nausea inseperabilis et mali ia animæ & corruptio digestionis & eructuatio acetosa & sputū humidum & rugitus et exitus uentositatis &c. Lege eum fusius, lege etiam Paul. lib. 3. cap. 14. ibi, Qui hypocondriaca laborant habent cruditates acidos ructus ardorem & ipsorū grauitatem præcordia sursum conuelluntur &c. Razes. 9. alman. Qd'si cū melancholia fuerit dolor uentris & inflatio et malus color, et digestionis corruptio, et uomitus acetosus, &c. De signis humorū loquitur fusius Auice. loc. cit. ibi, Et cholera nigra faciens melancholiam, quando est cū sanguine

est cum gaudio & risu, & non comitatur ipsam tristitiam uehemens & si est cum cholera, tunc est cum agitatione & lesione & demonio & est similis maniæ, & si fuerit cholera nigra pura, tunc aderit cogitatio plurima & audacia minus, nisi moueatur & rixetur et habet odium cuius non obliuiscitur &c. Lege etiam Paul. lib. 3. cap. 14. ibi, si quando flaue bilis supra modum exustæ in nigram fiat mutatio &c.

De cura melancholiæ sine materia.

Quum dictum sit supra, cerebrum uel primario affectu uel per consensum laborare & q primarius affectus uel ab intemperie nuda sine humorum complexu, uel cum humoribus complexa perficitur, idcirco primum de cura eius qui sine materia fit agamus. Hæc igitur mala temperies triplici scopo remouenda erit, Primum alteratione cum ijs præsertim, quæ cerebrum & cor roborant, Secundo cum euacuatione & diuersione, nam si quispiam humor fuerit in fluxu, euacuari debet ac diuerti, Tertio cum sympt. remotione. Alteratio fiet cum humectantibus calidis uel frigidis prout in discrasia expediet roborantibus tamen spiritus cor & cerebrum. Spiritus simpliciter roborant oua uinum aqua carnis, spiritus & sanguinem purificant margaritæ capillus ueneris fumus terre &c. lapsum temperamenti cordis emendãt, si sit frigidus, muschus ambra melissophilon borago, si calidus, camphora, rosæ, sandali, acetosa uiolæ nimphea coriandrum, coralli. Euacuatio fiet per simplicia uel per composita, simplicia sunt helleborus niger, aloes, agaricus, colocynthis epithimum, sena, miyrobalani chebuli, lapis lazuli, lapis armenius serum lactis &c. Composita sunt diasene, confectio ha mech, hiera hermetis, hiera iusti, pillulæ de lapide lazuli pillulæ indæ, decoctũ senæ epithimi &c. Remotio sympto. uersatur circa uigiliarum remotionem, cum somniferis

tam intrinſecus quam extrinſecus adhibitis, caueant ſe ab im minentibus periculis, ne alta petentes interdum ſe præcipi-tent, uel ne arepto ferro alios percutiant uel ſemetipſos inte-rimant &c.

De cura melancholiæ cum materia.

Cura malæ complexionis cum materia in cerebro per ſco pos quinq; abſoluitur, Primo per ſex rerum non naturalium inſtitutionem, Secundo per materiæ præparationem. Tertio per euacuationem, Quarto per reuulſionem ac deriuationẽ, tum a cerebro, tum a corde, ad alia membra minus principa lia, Quinto per reſolutionem reſidui & cebri a cordis robo rationem Victus ratio in melancholia ſit calida & humida, magis tamen humectans quam calefaciens, ſitq; probi ſucci concoctu facilis, uitentur quecunq; atram bilem generant, de quibus ſupra in cauſis primitiuis ſatis copioſe a Galeno di-ctum eſt, Conmendantur uolucres montanæ non pingues, oua gallinarum mollia, piſces petroſi, carnes hædinæ & lactentiũ animaliũ, uitẽtur animalia in ſtagnis degẽtia, Potus ſit uinum tenue album non uetus, abſtineant a copia potus ne cibi ex uentre fluitent, acetum a cibo commendatur, ſomnus non pro hibeatur, imo cum remedijs ſæpe arceſſendus eſt, uicem motus leues frictiones ſuppleant, coitus uitetur & ſudor copioſus, in accidentibus animo caueant mærorem & triſtitiam, ſed ſonoribus cantinellis ac modulationibus lætificentur, uitentq; cogitationes &c. Præparatio materiæ fiet per ſyro. & per decocta, Syrupi ſunt, de pomis, de epithimo, de fumoterræ de lupulis de uiolis de ſuc. boraginis de cort. citri &c. Decocta ſunt ex epithimo ſenapolypodio lupulorum thimo ſumoter ræ boraginis mentæ calamo aromatico, meliſſophillo mace roſmarino xyloaloe &c. Euacuatio, ſi materia in capite contineatur, non fiat per uenæ, ſectionem niſi uel copia ſan-

guinis adsit, uel præseruationis gratia id fiat sed potius per atram bilem subducentia eam, moliemur, prout supra dictum est. Reuulsio & deriuatio fient per enemata, frictiones, cucurbitulas de quibus alias satis copiose uerba fecimus. Resolutio residui per intrinseca & extrinseca perficietur. Extrinseca erunt balnea sacculi et epithemata, balnea uel naturalia sponte scaturentia, uel artificialia cum herbis prædictis parata, sacculi quoque parantur ex floribus buglossæ boraginis mellisophili rosarum & cum been albo et rub. sandalis garyophillis &c. Similiter epithemata cum debitis aquis & pulueribus cordi dicatis componantur. Intrinseca sunt sacharum buglossatum boraginaceum rosaceum uiolaceum addendo ijs aliquid diamusci dul. & electuarij de gemis &c.

De cura melancholiæ per consensum.

Cura melancholiæ per consensum binis intentionibus præseruatiuis potius quam curatiuis perficitur. Quarum altera cauet ne hic humor abundet. Altera cerebrum roborando, efficit nequid in se recipiat, & siquid receperit id expurgando a se expellat. Humor non abundabit, si per sectionem uenæ, (præsertim atrabile uniuersum corpus occupante,) uel per purgantia pharmaca superius habita patiens euacuetur, præparando tamen interim ac alterando prout in discrasia expedit, rursusq; repurgando, deinde reuellendo ac diuertendo cum cucurbitulis lotionibus, aut mēstruorum uel hemorrhoidarum euocatione, et in fine resoluendo siquid supersit &c. Roboratur cerebrum cum humectantibus calidis uel frigidis prout morbus requiret tam intrinsecus quā extrinsecus aplicitis, sicuti fieret epithema cū rosis nenuphare folijs salicis uiolarū boraginis mellisophylli stechadis et hædino capite &c.

Loci consentientes de cura Melanch. sine materia.

Auic. prima tertij, tra. 4. cap. de cur. Mel. Si melancholia

fuerit

fuerit ex malitia complexionis singularis frigidæ aut siccæ sufficiet, ut administres calefactionem cordis cum lætificanti bus è medicinis de musco & thyriaca & medridato & simi libus, et cura caput cum eis quæ dicta sunt in cap. de stolidita te &c. Gal. etiam. 3. de loc. aff. cap. 7. de cura melancholiæ sine materia loquitur, ibi, Interim monendi sunt amici, qui me cu rantem uiderunt, frequentibus balneis, uictuq; humido boniq; succi nulloq; adhibito præsidio huiuscemodi morbum me cu rasse, ubi nondum oblongũ temporis tractum, nocuus humor euacuationi resisteret &c.

Arcul. in. 9 alm. nouem modos roborandi ac alterandi spi ritus & cor docet quem tu fusius uidere poteris. De cura in cerebro cum materia loquitur, ibi. Auic. prima tertij, tra. 4. Si est ex materia melancholica in cerebro confirmata tunc thesaurus curæ est tres res, Prima euacuatio materiei, Secũda ut admistres cum euacuatione humectationem assiduam cum embrocis & oleis calidis, Tertia ut administres confortatio nem cordis in complexione frigida cum calidis letificantibus &c. De uictus ratione lege. Aet. ser. 6. cap. 10. ibi. post balnea cibos damnus concoctu faciles flatus exortes plerunq; con ueniunt panes clibano cocti probe parati, uolucres non pin gues non uirosæ, montanæ, oua gallinarum mollia, pisces, pe trosi, & molles carne, uitentur in stagnis degentia & in palu dibus ex carnibus conueniunt hædinæ & lactentium anima lium & magis extremæ partes probe concoctæ. Vinum sit tenue et album et non ualde uetus. Nec aceruatim detur inter cibum, nec magna copia exhibeatur, ne cibi in uentre fluitent &c. Paul. lib. 3. cap. 14. etiam de uictu facit mentionem, ibi, uictus omnibus melancholicis confert probi succi & medio criter humidus uitanda sunt caro bubula & quecunq; atram bilem generant &c. Itidem Auic. ibi, sumat cibos laudabilis

chymi humectatiuos ualde & fiat augmentum in hoc ut corpus eius tenerescat cum cibis conuenientibus &c. Lege eum fusius. Rases in Diuis. potet uinum album subtile clarum cum aqua plurima. Aqua sit boraginea inquit Guai. De preparatione materiæ habes. Aet ser. 6. cap. 10. ibi, optimum est pulegij decoctum sæpe bibere & ante purgatoria et post. Mesu. cap. de melanch. fac ut cadat digestio æqualiter in materiam, quoniam est cura uera &c. Hip. in lib. de atra bile, Primum quidem bona digestio curæ sit deinde purgatio, Et Auice. loc. cit. Incipe a digestiono et paulo infra laudat syrupum in quo semina flatus discutientia decoquantur. De euacuatione melancholiæ loquitur Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. ibi, Nam ubi uniuersum corpus sanguinẽ melãcholicũ cõtinet, curationẽ a sectione uenæ incipere oportet, ubi uero solum cerebrũ sanguinis detractione æger non indiget, quanuis ob aliam forte causam mitti poßit &c. Itidem adserit Aet. adiungens ni præseruationis gratia detractionem faciamus. Auice. prima tertij, cap. de cur. mel. Amplius euacua in principio rei cum medicinis lenibus in quibus recipiuntur epithimũ pulpa colocynthidos & scamoneæ parum, deinde cum decoctione inqua sit epithimum & agaricum, & postea si non confert administra hieras magnas deinde helleborum sed cum timore & cautella, quæ si non conferunt, rursus reitera & in omni hebdomada euacua uice una &c. B. Nota melancholicos ob grauitatem humoris per inferiora purgari debere, unde Hippo. aphor. 4. aphor. 9. Melancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes, unde dixit ἀδροτέρως pro σφοδρῶς i. plenius pro fortius quum humor de sui natura ad exitum sit ineptus. Paul. libr. 3. cap. 14. purgentur per initia epithimo uel aloe. Aet. ser. 6. cap. 10. In quibus uitiati humoris magis redundant ægrum purgabis per hieram ruffi aut archigenis

aut iusti, conducit etiam sero lactis aluum subducere quod a lacte per cocturam separatur. B. *Modus seggregandi lac a sero habetur non solum hic ab Aet. Sed etiam à Diosco. cap. de lacte, ubi etiam modum bibendi demostrat.*

De reuulsione & resolutione loquitur Auice. ibi, Quūq; purgaueris attende ad cor cum his quæ multotiens diximus & administra masticationes gargarismata & odoramenta bona muscum & ambram & alfeniati & xylo aloen &c. B. *Alfeniati sunt species aromaticæ ut gariophyllum & simi lia. Mesu. Secundum regimen est faciens resolutionem cum mediocritate uide Arcul. & cæteros practicantes de resolutione &c. De cura per consensum lege primum illud Paul. Morbum qui ex totius corporis consortio trahit originem, uiribus ualentibus, a sanguinis mißione curare incipies & interposito tempore uiribus recollectis inferius purgare conuenit & si hæmorrhoidibus aut mensibus suppreßis morbus proueniat horum purgationem moliemur. Itidem ait Aet. ser.6 cap.9. ibi, Quum igitur totum corpus melancholicum sanguinem habuerit &c. Itidem Auic. loc cit. ibi, Nam si uides uenas plenas qualitercunque sit cholera nigra est sanguinea, phlebotometur igitur ex nigra &c. Lege etiam Gale.3. de loc. aff. cap.7. De alijs intentionibus habes plura iuxta modernos authores, Auice. pro resolutione utitur tripheræ. ℥. iij. ephitimi ℥. i. hieræ ℥. s. Aet. theriaca præsertim hieme & uere. De roboratione cerebri lege Auice. ibi, Succures illi cum eis quæ caput infrigidant & humectant ipsum ac confortāt, ut non recipiat quod peruenit ad ipsum ab alijs &c.*

Obseruationes in cura.

Auic. prima tertij, tra. cit. Oportet ut cura eius fieri incipiat antequā confirmetur quoniam facilis est in principio, & praua et difficilis cum est confirmata, sitq; studium tuum

in humectando magisq; incalefaciendo. Itidem ait Aet. ser. 6. cap. 10. ibi, Incipientem affectionem curare oportet &c.

Obseruationes de cibo.

Auicen. loc. cit. Et prohibe ne comedant post cibum illũ, alium & ab intermißione cibi super cibum iam corruptum, & alienent a se fabas carnes salitas lentes & caules & uinũ crassum & nouum et omne sal & omne salsum & acre & acutum & quod est uehementis acetositatis, sed sumat pingue & dulce & cibos generatiuos sanguinis laudabilis &c.

Obseruationes de euacuatione.

Mesu. cap. de melancho. tria in euacuatione annotanda proponit. Primum ut non semel laboriosam & subitaneam euacuationem faciamus, sed pro temporis interstitia, nam subitanea ac uiolenta euacuatio uix a natura regulatur. Secundũ q. solutiuum sit commensuratum non excedens mediocritatẽ. Tertium non spolietur a rebus lenientibus et humectantibus. Hoc idem sentit Auic. ibi, euacuato in rei principio cum medicinis lenibus &c. B. Adde tu q. pharmacũ in se habeat aliquid ex medicinis membra principalia & spiritus roborantibus &c.

Obseruationes de sectione uenæ.

Gal. 3. de loc. aff. ca. 7. Quum speraueris in uniuersi corporis uenis melancholicũ sanguinem contineri, quo certiorem habeas notitiam, mediam cubiti uenam seca, quæ communis est quod si fluens sanguis non uideatur melancholicus, statim supprimatur, si uero talis appareat, euacua quãtum pro laborantis corporis habitus satis esse conieceris &c. Itidem Aet. cap 9. adserit Auic. loc. cit. Amplius si phlebotomas & in uenis sanginem subtilem, non retineas sanguinem propter hoc, quoniã multotiens in ipsa præcedit subtili. Et similiter oportet ut amplifices phlebotomiam, ut non effluat puod subtile

est & retineatur crassum. Mesu. si sanguis exuberat in toto et uenæ plenæ sunt, euacua ex uena nigra & post ipsam ex basilica et hoc in melãcholia, in mania uero fac, e, contra, Incipe a basilica deinde ex uena nigra & posthas phlebotoma ex saphenis &c.

Obseruationes de alteratione.

Arcul. & Marc. Catin. fac q; alteratio, non uirtutæ solum, sed etiam numero euacuationi correspondeat, ita, ut non fiat statim sed succeßiue ut dictum est.

Obseruationes de resolutione.

Auic. loc. cit. non administrentur pura resolutiua ut non incrassetur humor propter resolutionem puram &c. et paulo post, Quumq; administras embrocas, non est uia administrandum infrigidantia pura super caput &c. Intellige in mania &c. Michael. Sauo. diuretica in hoc casu sunt suspecta ex eo quod tenue educunt & crassum aptum in melancholiam conuerti reliquunt &c.

Melancholiam incitantia.

Inducunt melancholiam et maniam carnis uacinæ, nimius anacardi usus alleum hyosciamus lentes, solatrum fluuiale, uitis alba & quæcunque sanguinem crassum efficiunt.

Melancholiam curantia.

Curant melancholiam, absinthium, epithimum, fumus terræ, borago, buglossa, lupuli, anacardi, aurũ, margaritæ, calamus aromaticus, sena, helleborus niger, eupatorium, mellissophyllon, matricaria, scylla, stechas, thimus, myrobalani chebuli & nigri, ozimum fluuiatile, diasene, confectio hamec, lonfectio esdra nic. ius galli decrepiti, serum lactis, pliris arcoticon nic. rosata magna nic. dianacardinum serapio. 8. antido. mitridatũ, lapis armenius, lapis lazulus, pillulæ inde, pillulæ de lap. lazuli. sal indum, sacharum buglosaceũ

boragineacæum, rosaceum, muscus, lætificans almans. el'm de gemis, & mille alia quæ arte parari possunt. Vide de hac re. Varignanam cap. 8. tra. 2. Plura composita afferentem, uide etiam Montag. cons. 47. de ægritudinibus cap. Vide insuper Arcul. Michael. Sauo. & Gord.

De pronosticis melancholiæ.

Hippoc. lib. de atrabile Morbus hic quum nondum fere incepit curari debet, nam inueteratus difficulter curatur ac tractatur, cognosces esse confirmatum ex signis supra positis. Et aphor. 6. aphor. 53. Desipientiæ quæ cum risu fiunt securiores quæ uero cum studio periculosiores.

Obiectio.

Quomodo esse potest risus in melancholia quum dictum sit, mærorem & tristitiam esse eius accidentia?

Responsio.

Duplex est risus fictus & uerus, sed de hoc lege Gentilem & Arcul. qui de hac refusius sermocinantur, intelligeq; securiores pro minus periculosas. Et aphor. 6. aphoris. 21. In insanientibus si uarices uel hæmorrhoides superuenerint insaniæ solutio. B. Fit solutio, natura ad ignobiliores partes humorem melancholicum transmittente. Auic. cap. de Melan. si accidat casus appetitus tunc ægritudo est mala, et si accidant in corporibus eorum ulcera tunc mors est propinqua. Si uero cholera nigra appareat in egestione uomitu, urina in coloris cutis lentiginibus & panno & ulceribus, scabie uaricibus elephantia & cursu quod ex ano profluit est signum bonitatis, quia hæc signa omnimodam a sanguine discretionem ostendunt &c. Et aphor. 6. aphor. 56. In morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus stuporem corporis uel conuulsionem uel furorem uel cæcitatem significat. Et aphor. 6. aphor. 2. Atrabile uexatis et renũ passionibus hæmorrhoides

ſuperuenientes bonum. Auic.prima tertij,tra.5.præparati ad hoc ſunt trauli & ſyllabam multotiens repetentes antequam dictionem proferant &c. et hæc ægritudo plus accidit uiris, ſed in mulieribus eſt deterior, et multiplicatur in iuuenibus et ſenibus. Et plurimum melancholiã habens eſt ſpleneticus, & ægritudines quibus ſuccedit melancholiam ſunt ſicut febres temporales & mixtæ,& melancholia accidens ſucceſſione alterius ægritudinis calidæ, facilis eſt curæ,ita, ut embrocationibus remoueatur &c. B. Trauli dicũtur qui proferre non poſſunt,r,&,s, ob humiditatem linguam mollificantem, Dixit accidere plus uiris quam mulieribus quia calidiores ſunt uiri fœminis. De ſucceſſione huius morbi per alias ægritudines lege.3.pronoſt.tex.29.in commẽ.Gale.&c. Hippoc.de morb.uulg. melancholici magna ex parte morbo comitiali laborant & econtra.B. Quia habent communem cauſam idcirco facile alter in alterum mutatur &c.

Authores diſſentientes circa Melancholiam.

1 *Adſerere,in hoc morbo idem eſſe affectum & cauſam.*

2 *Adſerere, in omni ſpecie melancholiæ ſectionem uenæ congruere.*

3 *Adſerere, pituitam adeo aſſari poſſe ut melancholia efficiatur.*

4 *Adſerere, Melancholiam confirmatam ſine controuerſia poſſe ſanari.*

5 *Adſerere, humorem melancholicum,qui eſt fex ſanguinis non differre a melancholia.*

Ad primum Gale.lib.2. artis cur. Melancholiæ nomen, a cauſa ipſum faciente prouenit,& humor qui ipſius eſt cauſa melancholia ab omnibus dicitur. Igitur ſicuti differt cauſa ab effectu,ita,hic affectus a ſua,& ſic idem non erunt.

Ad ſecundum Gal.3. de loc.aff.cap.de Melan. Vbi uniuer-

ſum corpus ſanguinem melancholicum continet, curationem a uenæ ſectione incipere oportet, ubi uero ſolum cerebrum, infirmus ſanguinis detractione non indiget, in omni igitur ſpecie ſectio uenæ non congruit.

Ad tertium Gal.3.*de loc. aff. ca.*7. *Igitur ea quã atrabilis conſtituit, in melancholiam tranſit, quæ uero a pituita parta eſt, in aliam affectionem permutatur, melancholiam haudquaquam efficiens.*

Ad quartum Alex.*ca. de melanch. Si confirmatur hic morbus cerebrum ad ſui naturam mutat, & æger ad aſſumptionẽ medicinarum fit inobediens &c.* Hippoc.*lib. de atrabile, nõ curatur confirmatus quia in inſaniam ſæpe conuerti ſolet, idem etiam* Aet.& Auic.*adſerunt.*

Ad quintum Gal. *lib. de atrabile et de plenit. circa finem* Porro *dum ea ueluti fex ſanguinis permanet neque ad huc acida facta eſt, ſatius forſan ſit, humorem melancholicum illam appellare, nondum melancoliam, ſed melancholicum potius humorem ſolemus appellare quoniam prope acceſſit ut in melancholiã uertatur, melancholia uero dicitur, quæ iam atrabilis eſt, & ſic per hæc uerba inter ſe differunt.*

De Ophthalmia.

Lippitudo græce οφθαλμια *dicta, eſt adnatæ tunicæ inflãmatio rubore caloreq; plurimo, ac punctionibus eueniens in hoc genere continetur etiam perturbatio ſiue uacillatio a græcis* ταραξις *dicta, quæ nihil aliud eſt quam oculi humiditas cum calore & rubore naturæ alieno ob extrinſecam cauſam forinſecus adueniente, Sequitur etiam tertia ſpecies ophthalmiæ a græcis dicta* χημωσις *arabice alguardenegi et fit quotienſcumq; ab inflammatione uehementi utræq; palpebræ ita inuertuntur ut uix oculi ab ipſis contegantur.*

Loci conſentientes de ophthalmiæ.

Gal.1. de diff.mor.cap.13. Lippitudo est membranæ quæ ceratoidi tunicæ adhæret phlegmone. Itidem de part.art. med. cap.3. ait et in lib.finit.med. est inquit phlegmone circa oculos cum rubore & plurimo calore & motu difficili ac punctionibus nata. Auic. tertia tertij, tra.1. Ophthalmia alia est uera & alia ei similis, quæ nominatur conturbatio & uacillatio, ophtholmia uera est apostema in coniunctiua, et alia quidem est quæ est apostema simplex non pertransiens terminum, & alia est quæ magis est pertransiens termini in magnitudine, in qua superabundat albugo super pupillam & tegit eam & prohibet clausionem & nominatur chimosis & apud nos alguardenegi &c. B. ex his intellige tres esse ophthalmiæ species, Prima est ταραξις quæ leuis est, nam remota eius causa remouetur, Secunda ophthalmia quæ est apostema simplex non pertransiens terminum et in ea est uenarum exuberatio fluxus. & dolor Tertia χημωσις quæ est ophthalmia magna pertransiens terminum in magnitudine in qua superabundat albugo super pupillam &c. Amplius scito omnes oculorum morbos esse in triplici differentia .s. ex phlegmone fluxu & ulcerationibus, quid sit phlegmone iam declaratū est, Fluxus uero est tenuium delatio humorum citra uoluntatem quæ cohiberi nō potest, Vlceratio uero est ceratoidis ruptio ab ictu uel a ualida inflamatione oriens de his uide Gale. lib. fin. medē. Habet etiam unaquæq; oculi tunica morbos a quibus afficitur, quæ seperatim a Paulo, & in uno capite ab Aetio declarantur. De his uide etiam Manardum episto. 2. lib. 7. Loquitur insuper Gale. de his primo de diff. mor. cap. 13. & .4. de sympt. cau. circa principium. Paul. lib.3. cap. 22. ταραξις est oculi humiditas cū calore & rubore naturæ alieno, non ex corpore sed a foris adueniente causa. Gale. lib. fin. med. chemosis est ambientis oculum membranæ quod album

quoq; appellatur extuberatio albæ carnis persimilis &c. Vide etiam Paul. loc. cit. ibi chemosim uocant &c.

De causis ophthalmiæ.

Causæ initiatrices sunt puluis fumus sol aer uel quæcunq; ex sex rebus non naturalibus & sibi anexis oriuntur. Causæ antecedentes sunt sex sanguis bilis pituita atrabilis, materia aquosa & flatuosa. Causæ coniunctæ sunt hi humores ophthalmiam ad actum producentes, aut inflammaio aut alius quispiam tumor. Causæ generationis ophthalmiæ binæ sunt, prima fit cum materia ex superfluitate alimenti ad natæ tunicæ, paulatim congeritur, aut ipsum alimentum non probe concoctum in ea permanet & apostema efficit, Seconda est cum materia per modum fluxus a capite per uenas & arterias musculos ac neruos obticos siue intrinsece siue extrisece ad natam oculi tunicam se confert aut quum ab alijs corporis partibus materia transmittitur ad oculum iam debilem ob eius temperaturam, uel a generatione existentem. Causæ doloris oculorum in inflammatione fiunt aut ex acrium humorũ influxu, aut a distentione tunicarum repletarum aut a craßis humoribus & a flatuosis spiritibus &c.

Loci consentientes de causis Ophthalmiæ.

Gal. in lib. de ocu. cap. 8. Opthalmia quæ uisum turbat triplex est cuius causa uel est exterior ut sol fumus puluis, uel interior sicut humores ad coniunctiuam fluentes. Paul. lib. 3. ca. 22. perturbatio oculi fit a foris adueniente causa ut a sole fumo puluere oleo &c. Auic. tertia tertij, tra. 1. itidem ait ibi, fit a causis extrisecis facientibus in ipso botor & rubificantibus oculum, sicut a soda adustiua a sole puluere et fumo & frigore & propter constrictionem ipsius &c. De causis antecedentibus loquitur etiã Auice. loc. cit. ibi, Quum ophthalmia sit apostema & omne apostema fiat a sanguine uel a phleg-

mate, uel a melancholia, aut a cholera, aut a uentositate, tunc similiter ophthalmiæ causa nõ euacuatur ab una istarum causarum &c. Alex. lib. 1. ca. 23 idem ait ibi considerandum cuiuscemodi sit περιττωμα .i. superfluũ, utrũ ex humore atrabilari sanguineo bilioso pituoitoso ue ortum sit &c. Lege etiã omnes fere practicantes de hac re loquentes. Quod autem humores ophthalmiam ad actum producentes sint causa coniuncta patet ex Auice. dum dicat, sed aduentus eius plurimũ est propter cursum materierum & multitudinem uaporum &c. De causis generationis ophthalmiæ lege etiam Auicen. ibi, et quãdoq; humor apostemans generatur in ipso & quandoq; est adueniens ei a cerebro secundum semitam catarrhi per uiam uelaminis intrinseci &c. lege hunc locum uberius & plura ad rem facientia inuenies, lege etiam Alexan. lib. 1. cap. 23. ibi diligenter prospiciendum est, Vnde nam quod redundat in oculos ex solo ne capite, an ex uniuerso corpore manet, mox arterias ne ante per uenas siue per utrasq; in eũ sese locum recipiat, &c. De causis doloris ophthalmiæ loquitur Auic. ibi, uiolentia doloris ophthalmiæ aut est propter humorem mordicantem et corrodentem tunicas, aut propter humorem plurimum extensiuum aut propter uaporem grossum &c. Gal. 12. meth. doloris causas in genere longo sermone in uestigat, quæ breuiter ita se habent, omnis dolor aut ob uehementem & aceruatim irruentem alterationem fit, aut ob continuitatis solutionem, continuitas soluitur ruptione contusione ac corrosione. Hæc uero uel ob distentionem aut grauitatem aut mordacem qualitatem producuntur. Si igitur nil extrinsecus sit, quod distendat grauet & corrodat, tunc distentio ab interno humore multo aut a flatu concluso aut a plurima siccitate oritur, grauitas a dura aliqua magna aut graui mole corpori extra illapsa contingit, aut ab interno

aliquo magno ac graui tumore, mordax qualitas ex humoribus acribus ac mordacibus prouenit, alteratio autem per uehementem fit caliditatem aut frigiditatem siue spirituum siue humorum siue partium solidarum, quæ omnia in omni dolore consideranda sunt, uide illum tu uberius.

De signis ophthalmiæ.

Signa communia ophthalmiæ sunt tumor grauitas dolor et rubor. Signa ueræ ophthalmiæ sunt quum album oculorum in ruborem mutantur cum fluxu lachrymarum & lippitudine in angulis oculorum lachrymalibus collecta. Signa temporum ophthalmiæ sunt si materia ab humore oculi proueniens aquea & tenuis fuerit tunc est morbi principium, si uero crascescat et ad album tendat, erit morbi incrementum, si palpebras quas græci βλεφάρους dicunt adglutinat, erit morbi consistentia præsertim si lachrymarum copia pæcesserit, si uero hæc omni minuantur erit morbi finis. Signa humorum sunt & primo sanguinis oculi rubor & tumor & uenarum plenitudo, temporum pulsatio dolor potius extendens quam pungens gramæ & glutinationes apud somnum fiunt. In biliosa adest punctura uehemens dolorq; adurens et uehemens, rubor oculi paucus, lachrymæ tenues & acutæ quandoq; exulcerantes & per somnum non aglutinantur, tumorq; paruus uisitur In pituitosa adsunt tumor parua caliditas, rubor ad albedinem decliuis cum pauco dolore & multa grauitate, glutinationes iuxta somum fiunt & color faciei est albus. In melancholica dolor debilis, grauitas cum offuscatione, exiccatio cum perseuerantia, paucitas glutinationis et minute sunt gramæ & paucæ lachrymæ. Signa flatuosæ ophthalmiæ sunt extensio sine grauitate, ruboris paucitas sine lachrymarum fluxu. Signa perturbationis sunt leuitas curæ et causæ præcedentes & quantitas apostematis primitiui. Signa quando fit non

per consensum sed per essentiam in capite sunt dolor capitis praecedens & grauitas &c. Si consensu uentriculi praecessit uomitus nausea &c. Signa fluxus humoris per partes exteriores sunt frons extenta uenae exteriores plenae &c. Si per intrinsecas tunc praecedit frequens sternutatio dolorq; ab intima parte oculi, antequam ophthalmia appareat &c.

Loci consentientes de signis ophthalmiae.

Signa communia tetigit Gal. 2. *de loc. aff. cap. 7. ibi, Inflammatis partibus accidit ut rubescant tendantur, renitantur intumescant & doleant uide de his* Arcul. *in. 9. alm.* De *signis uerae ophthalmiae meminit* Razes *9. alm. ibi, Cum ea quae in oculis alba sunt & in rubedinem mutata fuerint, fluxerintq; lachrymae & in angulis oculorum lachrymalibus lippitudo collecta fuerit, dicimus tunc aegrum pati ophthalmiam & quanto plus symptomatum uehementia aut ipsorum adfuerit minoratio tanto magis erit ophthalmiae fortitudo uel debilitas. Signa temporum ophthalmiae habentur ex* Auice. *tertia tertij, cap. de sig. opht. ibi, Cunq; palpebrae conglutinari incipiunt tunc iam maturationis adest propinquitas dum uero perseuerat fluxus aquosus est initium adhuc &c.* Vide *in hoc latius* Arcul. & Sauonaro. De *signis humorum loquitur* Alex. *lib. 1. ca. 23. ibi, sanguis cognoscitur quum sanguineo colore omnia tincta sint uultusq; cum rubore suffunditur, receptacula sanguinis plena uisuntur, grauitas sentitur, functiones solitae segnius perficiuntur, lachrymae nec mordaces nec acres erunt &c.* Notae *bilis sunt biliosa complexio, lachrymae mordaces, non solum hirquos qui, a* Graecis κανθοὶ *dicuntur exurentes sed & genas & quascunque partes attingunt &c.* Auicen. *loc. citato. Sanguineam ophthalmiam significat color oculi exuberatio uenarum, & pulsatio*

temporum &c. Vide fusius etiam de alijs humoribus, & nota q. Arabes pro lippitudines superfluitatem quartæ concoctionis in oculo intelligunt & quandoq; accipitur pro illa humoris parte quæ oculū infestat ut Razes, & quas uocat Aet. glutinationes & granas, Arabes dicunt lippam &c. De signis perturbationis meminit Auicen. ibi, post dicamus q. conturbatio cognoscitur leuitate sui & causa sui & quantitate apostematis &c. Similiter de signis per consensum & per essentiam ibi ophthalmiam in capite signat sola grauitas capitis & si est cum communitate stomachi asociatur ei nausea et conturbatio &c. Signa fluxionum per partes exteriores habet Paul. ibi. fluxiones extra caluariam notant uasa in fronte & temporibus distenta & caput ueluti reuinctum tum q. ex agglutinamentis sicca præsidio sunt. Si hæc desint & fluoris impetus per rogetur & sternutamenta nonnunquam moleste elidantur humorem sub calua contineri cesendum est. Itidem ait Auice. Si uia fluxus a cerebro ad oculum non est nisi per uelamen extrinsecum tunc frons est extensa & uenæ exteriores sunt plenæ &c.

De cura perturbationis.

Perturbatio per eius causæ ablationem curatur & si quid doloris remanet per alterationem in contrarium reijcitur. Nam impreßio calidi per frigida, frigidi per calida facile remouetur &c.

De cura ueræ ophthalmiæ.

Quinq; in cura occurunt scopi, uidelicet uictus ratio, reuulsio et deriuatio, humorū præparatio, euacuatio, et symptomatum ablatio. Victus sit in principio parcus boni succi facile concoctilis uitentur acetosa salsa coitus motus, potus uini præsertim in principio, laudantur somnus, aer obscurus alui excretio aßidua. Reuulsio et deriuatio fient per sectionē uenæ

ſaphenæ commuis & cæphalice ab eodem latere præſertim ſi plethorica fuerit diſpoſitio, fiet eitam per frictiones a ſupernis partibus ad infimas deſcedentes, uel per cucurbitulas uel per clyſteria et pillulas ſoluentes ut Razes, Præparatio humorum fiet in calido humore cum frigidis tenuem humorem incraſſantibus ut cũ ſyro. de papauere roſaceo iuiubino de granatis &c. In frigido cũ calidis ut rhodomelle oxymellite ſimplici &c. Euacuatio perficitur rurſus uel per ſectionem cephalicæ eiuſdem lateris, uel per ſoluentia pharmaca, ſoluunt humorem calidum pillulæ aureæ. Aggregatiuæ electuariũ de ſucco roſ. Decoctum myrabolanorum citrinorũ caſia mana rheub. Soluunt frigidũ pillulæ chochiæ diaturbit diaphinicon electuarium indum cofectio hamech &c. Ablatio ſymptomatum completur doloris cauſam auferendo & cum anodinis mitigando, et ad leuia ſtupefacientia uſq; perueniendo &c.

De cura locali ophthalmiæ.

Cura localis triplex eſt, prima repellit materias ad oculũ fluentes cum frigidis ſtypticis ut oculus non recipiat in principio morbi, Secunda eſt repulſio admixta reſolutioni conueniens augmento & ſtatui, Tertia eſt pura reſolutio conueniens poſtremæ ſtatus partim et declinationi. Exẽpli gratia primo ophtalmiæ calide apponatur albumen oui cum aqua roſacea, in ſecunda parte principij ſief. album ſine ſarcacolla, in augmento ſief. album cum ſarcacolla, & tandem addatur aliquid aquæ fæniculi uel decoctionis fænu græci melliloti. ſ. citoniorum &c. Commendantur etiam in reſolutione balneum & mærum &c.

Loci conſentientes de perturbatione & ueræ ophthalmiæ.

Aet. ſer. 7. cap. 3. perturbationes oculorum facilime curantur ſi æger a cauſa lædente diſcedat ut a ſole fumo & alio ſi-

mili &c. Auic.in cura conturbationis & ophthalmiæ leuis quæ cursu eius procedit sufficit quandoq; causæ abscißio ut si fuerit a repletione sanguinis aut alterius humoris cũ euacuatione &c. Lege hunc locum fusius. Paul.loc.cit.facilime discutitur si obseruentur omnia quæ foris accidentia lumen perturbare poſſunt item parciore cibo & aluo de facili respondente &c. De uictus ratione in uera ophthalmia loquitur Aet ser.7.cap.8.ibi, Alimenta danda sunt leuia concoctu facilia & ad digerendum uentri commoda, urinã cientia, nihil acre & salsum habentia aut craßi humoris &c. Itidem ait Auic.tertia tertij, canon communis in regimine ophthalmiæ materialis est minoratio cibi & ipsius exiccatio & electio eius quod generat humorem laudabilem et alienatio rei quæ est malæ digestionis & alienatio coitus & motus & potus uini & commestionis acetosi et salsi &c. Similiter et Paul. li.3.cap.22.adserit:ibi, per initia conuenit nihil aſſumere &c. De reuulsione & deriuatione locum habes in Auic.ibi, tertia tertij, cap.10. Quod si materia fuerit sanguinea adhibebis uentosas post phlebotomiam & aßiduabis fricationem extremitatum &c. & cap.9. Interdum administrentur caput purgia & quæ per nares materiei partem extrahunt &c. Paul. lib.3.ubi πρὸς ἐπιφορὰν ῥαίματα agit post generales inquit corporis euacuationes, medicamentorum usus est quæ per nares atq; os pituitam eliciunt caput etiam attondetur et incisa cute exasperabitur, huc etiam spectant quas in capite χειρουργίας administramus ἀγγειολογίαν φημὶ καὶ ἀρτηριοτομίαν ὑποπαθισμόν τε καὶ περισκυφισμόν, καὶ καῦσιν κατὰ τῆς κορυφῆς, ἕως ὀστέον, καὶ σικύαι κατὰ τὰ τοῦ ἰνίου μετὰ ἐγχαράξεως reuellere .s. poſſunt impetum fluoris &c. De humorum præparatione loquitur Mes. ca.de ophth. ibi, Quinta res est alteratio & digestio eius quod est transmissum

missum & intelligitur tam de extrinseca quam de intrinseca alteratione, uide in hoc casu Arcul. Catin. Gord. &c. De euacuatione quam eradicatiuam uocant meminit Aet. ser. 7. cap. 8. ibi, ubi oculorum distentio fuerit & multus rubor & ad contactum resultus & ardor & lachryma multa & calida tunc sectio uenæ adhibenda erit humeralis apellata ita ut animi deliquium succedat, quo dolor eximatur & feruor inflammationis extinguatur &c. Aet. cap. 9. Si uero uniuersum corpus humoribus uitiatis fuerit refertum, tunc iuxta redundantem & affligentem humorem euacuandum, Nam si pituita magis aquosa redundauerit exhibe pharmacum exi euphorbio & sic de reliquis. Auic. tertia tertij, cap. 9. & oportet si fuerit ophthalmia uehemens ut fiat phlebotomia usquequo timeatur lipothomia & paulopost. si ægritudo sit cronica tunc facienda est phlebotomia ex lachrymalibus & phlebotomandæ sunt ambæ arteriæ quæ sunt post aures &c. Et si materia fuerit cholerica euacuabis post phlebotomiam cum eo quod educit choleram &c. & cap. 2. In ophthalmia frigida oportet ut euacuetur humor frigidus et quandoque necessarium est reiterare &c. De ablatione symptomatũ habes Paul. cap. 22. Interdum semen papaueris ad leniendum dolorem miscetur, si maga neceßitas doloris est etiam opij pauxilum adhibetur. Auic. loc cit. & quandoq; doloris uehementia facit necessariam stupefacientium adhibitionem sicuti succi pomorum mandragoræ lactucæ papaueris & aquæ sumach &c. Similiter & mes. cap. de ophthalmia inquit ibi sextam rem complent administrationes medicinarum dolores sedatiuarũ &c. Hip. aphor. 6. apho. 31. Dolores oculorum meri potio aut balneũ, aut uenæ sectio, aut medicamentum epotum soluit. B. Intellige q; ad remouendum dolorem oculorum, alij pharmaco soluente indigent, alij sectione uenæ, alij fomẽto, alij potu uini, prout

eorum exigit dispositio, non enim omnia hæc auxilia eidem homini adhiberi iubet. Competit uini potus quum crassos humores attenuet & interdum transmutet et euacuet, tum quia facit ut somnus concilietur & sic per accidens dolores sedat Balneum competit, etiam si dolor tumore molli & laxo, uel a fluxu calido minus fieret, Balneum enim partim dolorem remouet partim signum est rei demostratiuum, quod uero sectio uenæ dolorem sedet & purgatorium pharmacum iam manifestum, nam remouendo causam, dolor ipse etiam remouetur. Idcirco in ophtalmia unicus tantum erit medendi scopus, ut scilicet, Inflammatio remoueatur quæ nec amoueri poterit, nisi causa a qua dependet & ipsa auferatur hoc autem fiet per uentris solutionem ac uenæ sectionem &c. De cura locali loquitur, non solum Mesu. sed & Gale. & Paul. Mes. cap. de ophth. In principio morbi repercussiuis utendum in quibus sit facilitas deinde resolutiui ita ut perueniatur gradatim & cum successione paulatim ab eo quod est repercussiuum usque ad resolutiuum. Gale. 4. de compos. med. per loc. cap. 2. Adhibenda sunt pharmaca repulsoria non exasperantia, idest non uehementem sortita adstrictionem, sed quæ tum propria sua substantia sunt moderatiora tum lenitiui liquoris &c. Auicen. tertia tertij, cap. 10. Quumque repuleris materiam per euacuationem & attractionem & apocrustica, tunc gradatim tendas ad maturatiua et sint in primis mixta apocrusticis, est ergo conueniens in primis eorum cõmistio cum aqua rosacea & aqua feni græci est bona maturationi sedatiua doloris & est maturatiuorum dignior & non est in ipsa attractio, postea transi ab his ad decoctionem melliloti, in qua sit dissoluta sarcacolla alba nutrita in lacte mulieris & asinæ, Quumq; descendere inceperis adde in administratione resoluentium, quod sit fortius sicuti sarcocolla in

aqua fœniculi uel fœni græci & administra balneum si sciueris cerebrum esse mundum & da in potu post cibum per aliquas horas aliquid uini antiqui puri in parua quãtitate &c.

Obseruationes in ophthalmia.

Gale. 4. de compos. med. per loc. cap. 2. Manifestum est omnia pharmaca huiuscemodi afectionem curantia sub communem omnium inflammatorum curationem cadere assũmereq; necessario quidpiam pro partis ipsius natura, quæ excellentẽ molitiem, & ad hoc ut lædatur aptitudinem, super omnem totius corporis cutem nacta est propter sensus subtilitatem et substantiæ raritatem &c. Auicen. loc. cit. cap. 9. Et penitus oportet ut non sit in medicina administrata in oculo & proprie in ophthalmia asperitas nec qualitas saporis acetosi aut acuti, & Paulo infra, & oportet ut patiens ophthalmiam uel rheumatismos ad oculos deuitet in unctionem capitis & destillationem alicuius olei in aurem &c.

Obseruationes de repercussione in ophthalmia.

Aet. ser. 7. cap. 4. Quicunq; oculi secundum naturam uenas amplas habent & sanguine plenas, Item qui glauci sunt omnino non ferunt colyriorum adstrictionem quoniam repellentia oportet ut sint frigida & stiptica, unde fac repercussiua ne nimia infrigidatione infrigident quia oculum congelescunt & uisum auferunt, Secundo fac ut oculum roborent Auice. loc. cit. Et oportet in quantum poßibile est ut retardetur colyriorum administratio usq; ad tres dies & sufficiat regimen prædictum ex euacuationibus & attractionibus materierum ad extrema &c. Et Paulo infra oportet ut in princio non administrentur inspissatiua fortia & quæ sunt uehementer styptica, quoniam inspissant tunicas & prohibent resolutionem & magnificant dolorem & proprie cum dolor fuerit fortis &c. Hoc idem confirmat Aet ser. 7. cap. 9. ibi, Re-

pulsoria colyria quum sint fere uiribus frigidiora obstructionem & corporum condensationem faciunt, & dum humorum materias concludunt, maximas inflammationes & graues dolores inducunt &c. B. Intellige obstructionem fieri si materia in oculo contenta fuerit frigida, Nam in calida & tenui corrodente maior audacia erit in administratione stypticorum inquit Auic. imo non est malum apud me inquit uti opio ipsum. n. sanat celeriter, uel intellige repulsoria esse mala quotienscunq; materia ex uelaminibus intrinsecis ad oculũ fluxerit, unde Auic. Quum initium est ex uelaminibus intrinsecis cura est difficilis lege Paul. & Mes. de hac re plura loquentes &c.

Obseruationes de lacte adhibendo in dolore ophthal.

Aet. ser. 7. cap. 10. Qui lac pro ouo infundunt uolentes dolorem obtundere decipiuntur, Nam lac a caliditate in oculo præter naturam, facile alteratur, et acrius euadit, unde pro paruo solatio diuturnam affectionem propinant &c. Auice. loc. cit. non est conueniens ut dimittatur destillatio lactis in oculo tempore longo imo oportet ut remoueatur & renouetur omni hora &c.

Obseruationes de resolutiuis.

Auice. Resolutiua in principio ophthalmiæ uehementer deuita, & oportet ut intendas ante omnia ad mundificationẽ lippitudinis cum facilitate & non noceas oculo &c.

Ophthalmiæ nocentia & uisum debilitantia.

Nocent oculis, acetum, amylum, fumus argenti uini, semen canabis, folia castanearum, caules, coriandrum, crocus, lac, lactuca, oliuæ, opium, ozimum pisces, portulaca & quæcunq; his uersibus ioci gratia annotauimus.

Hæc oculis multum, sol, puluis, fumus & æstus
Ventus, cum fletu, uina, uenusq; nocent.

Acria ne mandes, nec quæ ſint plena uaporum,
Nec cepas, lentes, allia, porra, fabas,

Zoar primo, theiſir tra. 8. cap. 21. inquit capita gallinarum a proprietate cauſare cecitatem, Item damnat carnes ſiccas ſalſas pinguedinem craſſam & uiſcoſam & proprie porcinam, ſuperfluumq; animi & corporis laborem &c.

Ophthalmiæ curantia & uiſum roborantia.

Valent ad ophthalmiam, abſinthium, aloes, flomos, berbena, camphora, album oui, pſyllium, opium, roſa, ſarcacolla, mellilotum, fænugræcũ, ſemperuiua ſumach, portulaca, Sief album Mes. Puluis albus Haly. 21 anti emplaſtrum ex pomis coctis zucharo & aqua roſacea, addendo aliquid camphoræ uide Muntagn. conſ. 63. Vide etiam Varig. tra. 3. cap. 8. Item Gord. Sauon. & Arcul. &c.

De pronoſticis ophthalmiæ.

Hipp. aphor. 6. aphor. 17. Lippientem alui profluuio corripi bonum. B. Quia humorum abundantia euacuatur ſimul & ad inferiora retrahitur dans nobis exemplum ut in lippitudinibus aluum nos quoq; ſubducamus Auic. Et ophthalmia eſt uelocioris ſtatus in qua lachrymæ magis currunt & quæ acutiorem habet mordicationem, & tardioris, quæ eſt magis ſicca. B. Cognoſcitur an longo uel breui tempore ſit lippitudo duratura, aut a multitudine materiæ ad oculum fluente, aut ab oculi imbecillitate, aut a uiarum latitudine, quod ſi longo durauerit tempore, ulcerationem uel oculi interitum pronunciat. Hip. aphor. 3. aphor. 12. ſi hyems auſtralis & pluuioſa fuerit &c. & in fine, lippitudines ſiccæ fiunt &c. lege inſuper aphor. 13. & 16. & 21. eiuſdem lib. 3. Auic. loc. cit. ſi initium ophthalmiæ erit ex uelaminibus intrinſecis cura eſt difficilis, & omnis ægritudo quæ fit per communitatem uelaminum exteriorum eſt magis ſalua &c.

Authores dissentientes circa morbos oculorum.

1 *Adserere, uisionem fieri extra mittendo, & non itus suspiciendo cum Platone.*

2 *Adserere, sectionem uenæ nō conuenire in omnibus ophthalmiæ speciebus.*

3 *Adserere, in doloribus oculorum stupefacientia esse ualde utilia.*

4 *Adserere, Balneum in ophthalmia minime prodesse.*

5 *Adserere, oculos esse complexionis igneæ, quum maxime luceant.*

Confutatio dissentientium circa morbos oculorum.

Ad primum respondet Aristo. in lib. de sens. & sensa. q̃ impoßibile sit fieri extramittendo probat. Præterea Auer. 3. collig. Si uisio inquit fieret extra mittendo, sequeretur q̃ in obscuro uideretur, sicut in luce, neq; lux ut medium, neq; rethe, nec tunicæ opus essent inuidēdo, neq; destructo aliquo istorum, uisus destrueretur, De his uide Arist. loc. cit. interrogantem empedoclem, quomodo uisus extenderetur usq; ad astra, si quid corporeum foret quod ab oculis emittitur, lege de his fusis Conciliatorem differen. 64. &c.

Ad secundum Auic. tertia tertij, cap. 9. Et phlebotomia ex cæphalica est conueniens omnibus speciebus eius. Itē Razes. 9. alman. cap. de oph. In principio curationis minuenda est semper cæphalica, et quãto fortior fuerit ophthalmia, tanto plus est minuendum de sanguine itidem ait Mes. et sic in omni spetie conueniet, si non ratione euacuationis, saltem ratione diuersionis &c.

Ad tertium Gal. aphor. 6. comm. 31. Si talia sint debilia tunc fluxiones non reprimunt uehementes, si uero sint ualde stupefacientia, ut ex eis maximam oculi inflammationem non sentiant, tunc necessarium est simul uim uisoriam offendi,

adeo q cessante inflãmatione, uel debiliter uel nihil omnino uideant simul autem & quandam præduram dispositionem, quæ difficulter sanari posit in oculorum tunicis derelinqui, & sic per Galenum nullo modo sunt utilia.

Ad quartum Gale. eodem comm. Securißimum est fomentum & omnino aliquam afferens utilitatem, uel tanquam signum ad cognitionem, uel tanquam causa sanitatis, nam si nihil influit omnino in oculos fomentum contentam in ipsis superfluitatem dissoluens, sanitatem restituit, si uero ad huc influit, suo calore affert aliquod leuamen, & paulo post dolorẽ auget & tunc fit signum dignoscitiuum & sic utroq; modo sumopere confert. ut Gal.

Ad quintum respondet Arist. de sen. & sensa. & quinto de generatione animaliũ dicens q oculus est cõplexionis aqueæ, quia aqua est impræßionũ susceptibilis, nec potest esse ignea, quum ignis nimium agitetur & de facili resoluatur nihil pene retinens, igitur non cõplexionis igneæ, uerum oculus quo ad eius spiritus naturam ignis obtinet, sed in ipso simpliciter dominatur aqua. Nam constat q tactus & gustus terræ attribuuntur, oculus aquæ, auditus aeri, olphatus igni ex funali enim uaporatione perficitur, quæ ignea esse perhibetur &c. Lege tamen de hac re Concil.

De oculorum suffusione.

Affectus quia latinis suffusio a græcis υποχυμα, *ab Auic. aqua a uulgo chattarata dicitur, est inter chrystaloidem & corneam circa pupillam humoris aquei concretio, quæ ubi pfecta fuerit uisum impedit, hanc aliqui cum glaucomate idẽ putarunt sese decipientes, nam hypochyma sicuti est aquosi humoris concretio, ita glaucoma est naturalium humorum in cæsium colorem, mutatio, Præterea in glaucomate nil prorsus, in suffusione aliquantulum cernitur.*

Loci de suffusionis descriptione.

Gal. lib. finit. med. suffusio est humoris aquosi iner chrystaloiden & corneam concretio Aet. *ser. 7. cap. 51. suffusio est præterfusio humorum circa pupillam congelatorum ut ubi perfecta fuerit, uisum impediat &c.* Paul. *lib. 3.* Hipochymata *humorum dicimus effusionem, qui inter tunicam uisum ceratoidē & chrystaloidē concrescentes impediunt, uisum* Auic. *teria tertij, cap. 18. Descensus aquæ est ægritudo opilatiua & est humiditas extranea, stans in foramine uenæ inter humorem albugineum & syphac & corneam. Quare prohibet penetrare formas ad uisum.* B. *Aduerte* ꝙ *una eadem infirmitas est chataracta, suffusio. aqua gutta et imaginatio apud arabes, in hoc tamen differunt, quia imaginatio est tanquam suffusionis principium, in quo id uideri imaginamur, quod uere non est, aqua uero & gutta est quum in modum aquæ uel guttæ suffusio uideatur,* Nam *dum currit & in compræssione digiti dispergitur aqua dicitur, dum uero firmari incipit, gutta at quum iam dudum firmata est, uocatur chattaracta,* Aet. *loc. cit.* Glaucedo *est chrystalini humoris in cæsium colorem mutatio. Itidem ait* Paul. *loc. nuper cit.*


De causis suffusionis & eius spetiebus.

Ceusæ uel fiunt primario affectu in oculo, ex nutrimento huius partis non bene conuerso, aut superfluitate nutrimenti non resoluta, uel fiunt per consensum capitis humiditatē hanc ad oculum transmittentis, uel ex uaporibus oris uentriculi ad oculos eleuatis deinde a frigiditate oculorum in humiditatem conuersis, Speties *suffusionum uariantur in quantitate & qualitate et loco, in quantitate quia interdum tantæ molis est ut integram in oculo obstructionem pariat, interdū tam parua ut non totum lumen occupet, sed per partē res uideantur, interdum etiam ita crassa est, ut nihil in lumine compre hen*

datur, interdum adeo ſubtilis ac tenuis ut res quidem, ſed ueluti ſub nube cernantur, Ambæ hæ curam nõ admittunt cum acu, ſed tantum quæ inter has ſpecies media quodammodo fuerit. Species in qualitate ſunt multi formes ratione coloris, Nam quædam aeri quædam uitro ſunt ſimiles, Aliæ ſunt albæ, aliæ uirides, aliæ flauæ ſiue citrinæ &c. Differunt loco, quia aliæ fiunt in tunicis, aliæ in humoribus in tunicis quum aliquod ueſtigium ſiue occultum ſiue manifeſtum ab ophthalmia uel ab alio morbo relinquatur uel quum adeo craſſeſcãt ut uiſio impediatur, in humoribus quum uel eorum ſubſtantia fiat humiditas aquoſa, uel eorum complexio colorem inalteret & nutrimentum tranſmutet &c.

Loci conſentientes de cauſis & ſpeciebus ſuffu.

Gal. 4. de loc. aff cap. 2. ſunt & alij oculorum affectus qui bus ei per conſenſum aduenuint, unde ſubdit igitur accidentia ſuffuſorum uiſis ſimilia uidentur, oculis nulla propria affectione moleſtatis, ſed aut oris uentriculi aut cerebri cognatione id accidere ſolet &c. Et. 1. de loc. aff. ca. 2. Accidit nonnunquam ut efficiens cauſa pertranſiens, non firmum in particulam faciat effectum, ueluti quum ſuffuſioni ſimilia quædã oculi imaginantur, collecto in ore uentriculi tenui excremento, unde uapores quidam ſubleuati, deinde circuenti a uiſifica facultate ſimiles imagines moueat, quales per ſuffuſiones apparere conſueuerunt idq; maxime ſolet euenire ijs quibus oculorum humor exquiſite purus eſt, aut uiſifica facultas quam facillime ſentit. Et. 3. de loc aff. ca. 1. Itaq; affecto ſtomacho oculi ſimilibus infeſtantur caſibus quales in ſuffuſionibus apparere ſolent, dicendum eſt, illos pati, elato ad cerebrum ab humoribus in uentriculo contentis, fumoſo quopiam uapore &c. De his lege etiam in fine cap. 7. eiuſdem lib. & quomodo conſenſus fiat intelliges, Gal. 4. de ſympt. cau. cap. 2. facil-



tas uisifica offenditur uel neruo ad oculum descendente affe- cto, uel cerebro &c. lege fusius totum hoc caput. De specie- bus suffusionum loquitur, Gal. 4. de sympt. cau. cap. 2. ibi, Haud aliter accipienda sunt ea, quæ de aquosi humoris quantitate substantia & colore, diximus &c. Auic. tertia tertij, cap. 18. Et ipsa quidem diuersificatur in quantitate & in qualitate, in quantitate quandoq; est plurima & opilat totum foramẽ, & non uidet oculus aliquid, & quandoq; est pauca quia opi- lat partem eius & dimittit partem detectam &c. Gal. in lib. de ocul. ca. 12. huius color aquæ est diuersus, quædam .n. aeri, quædam uitro assimilatur, alia est quasi alba, &c. Itidem ait Aet. ser. 7. cap. 51. Auic. loc. cit. Diuersitas in qualitate quando- q; est in essentia quoniam alia est subtilis & clara & alia est crassa ualde & quandoq; est in colore quoniam alia est aerei coloris alia alba & est margaritalis &c. Gal. 4. de sympt. cau. cap. 2. Quod alia per locum affectum fiat diuisio demo- strat dicens, unus affectus ad tunicam ipsam rhagoidem spe- ctat, alter ad humorem tenuem effusum, qui inter crystaloidẽ & rhagoiden medius existit, quod etiam intelligendum est de ceratoide, unde paulo infra adserit q. si ceratoidis tunica craßior densiorq; fuerit hebetem efficit aciem, si uero humi- dior ac densior, non hebetem solum obtusumq; reddit uisum, uerum etiam efficit ut qui sic affectus est putet se, per tenebras aut nebulam aut per fumum res ipsas intueri &c. Itidem ait Auic. ibi, ca. 9. Nam aut existit in tunicis, aut existit in humo ribus, quæ existit in tunicis est ut sit super tunicam corneam uestigium ocultum ualde, quod remansit a uariolis aut oph- thalmia &c.

De signis suffusionis.

Signu præcedentia sunt, ut qui sic affectus est, ueluti quæ- dam caliginosa uel paruos culices uel fumosa & nebulosa ui

dere uideatur, aut circa lucernas circulos uel dupplicca tũ lumen se intueri arbitretur, quæ imaginationes uariantur in quantitate, quia paruæ uel magnæ, in essentia, ut crassæ tenues occultæ, in situ ut raræ densæ nebulosæ, in figuris ut sunt granosæ muscosæ & capillares &c. Signa absolutæ suffusionis cognoscuntur ab artis perito & per longitudinem temporis raro.n. pertransit sex menses, similiter signa colorum per se manifesta inspicienti apparent. Signa ipsius obstructionis cognoscũtur in compreßione oculi, nam si statim aperto oculo, uideatur, diuidi ac in partes seperari tunc est suffusio subtilis ualde, si uero nullo modo moueatur, sed in se remaneat erit crassa ac densa, nec per acum ambæ admitti poterunt, si uero dilatari sed non in partes diuidi uideatur, ea est quæ per acũ curam recipit. Signa loci obstructionis cognoscuntur, si clauso altero oculo pupilla alterius aperti dilatetur uel constringatur indicat non esse obstructionem in uijs spiritualibus per quas ab uno in alterum fit transitus & hoc præsertim quum maxima ac crasßißima non fuerit suffusio, cognoscitur etiam esse inter pupillam & ceratoiden, si pupillæ uisio impediatur. Signa quando fit per cõsensum sunt, quia si a toto adsunt febres ad quarum augmentum suffusiones augentur & ad earum recessum declinant, si a stomacho aucta stomachi mala dispositione, crescunt, & remota remouentur, uel si utroque æqualiter oculo apparitio fuerit, tunc cattaracta erit ex consensu stomachi, si uero fuerit in uno tãtum oculo uel in utroq; sed diuersimode, erit ex cerebro &c.

Loci consentientes de signis suffusionis.

Aeti. serm. 7. cap. 51. Præcedentia signa sunt ueluti culices parui, caliginosa quædam oculis sæpe obuersari uidentur, quidam piliformia uident, alij ut lanarum flamenta, aut aranearum texturas, aut circa lucernas circulos dum uero auge

tur affectio augentur & ipsa accidentia &c. Auic. tertia tertij, cap 19. Signa portendentia aquam sunt imaginationes prædictæ & q accidit cum eis conturbatio sensibilis & q imaginantur res luminosæ sicut candellæ duplices. Et cap. 9. imaginationes diuersificantur in quantitate & sunt paruæ uel magnæ uel in sua essentia & sunt grossæ subtilis &c. De signis obstructionis an sit curabilis loquitur Alexa. ca. de aqua ibi, quã paßio fuerit confirmata & fuerit curabilis signum erit q dum aspicitur oculus uel pupilla uidetur clara & cædi dilatationi cum præmitur digito aut instrumento deinde redit ad ipsum & non frangitur &c. Auicc. tertia tertij, cap. 18. & illa quæ magis susceptibilis curæ ex parte essentiæ est subtilis quæ cum eam conspexeris & super ipsam digitis tuis compræßionem feceris seperabitur uelociter, deinde redibit et aggregabitur. Gal. lib. de ocu. cap. 12. quando chattaracta sit curabilis, sic dignositur, si uno oculo clauso pupilla alterius dilatetur poßibile est sanari, sin autem minime, Causa quia neruus concauus quo uisibilis spiritus ad pupillam ducitur, opilatus est & sic signa habes loci obstructionis, hoc idem habes ex Auic. loc. cit. ibi, Inter aquam & opilationem intrisecam distat &c. De signis per consensum loquitur Gal. 4. de loc. aff. cap. 2. ibi, distinguendum utrum a cerebro an a uentriculo hæc affectio proueniat, primum ex eo q alter oculus nel uterq; similiter uisis occupetur, nã si utriq; oculo hoc accidat affectus erit ex uentriculo, distinguendum etiam est ex tempore, nam si per plures dies uel menses suffusionis accidentia apparuerint & nihil tenebrosum in pupilla uideatur, tunc ab ore uentriculi affectus procedit, sed si perpetuo hæc apparitio perseuerauerit, nec aliqua suspitio sit ex uentriculo tunc per essentiã morbum intelliges, maxime si una pupilla altera sit turbidior, idq; magis ubi sumpto ex aloe medicamento nihil uaria-

uerint &c.

De cura suffusionum.

In cura suffusionis diuersæ sunt intentiones, quarũ prima est q̃ si a uentriculi imbecillitate proueniat, roboratione indigemus, si multitudine pituitæ in eo contenta, præparatione et euacuatione, deinde oculi roboratione, ut ne quid suscipiat & susceptum resoluatur ac exiccetur. At si suffusio a cerebro uel uitio oculi peruenerit, confirmata, non nisi per manualẽ operationem curam admittit, non confirmata adhuc pululans quinque medijs auferetur. ¶ Regimine sex rerum non naturalium, humoris præparatione, euacuatione, reuulsione ac deriuatione, exiccatione & resolutione. Victus ratio erit do nec morbus transierit attenuatoria, nam pisces & cibi craßi nutrimenti & quæcunq; flatuosos uapores pariunt & humectant ac replent fugienda sunt uinum pariter & coitus et balneum & aer humidus uitentur. Pro potu hydromel conuenit. Humoris præparatio quoniam plerunq; ortum habet a pituita, idcirco cum oxymellite simplici & composito cum syrupo de stechade rhodomelle et cum decoctis fœniculi rutæ euphragiæ betunicæ stechados rosmarini & similium perficietur. Euacuatio primum per sectionem uenæ si corpus fuerit plethoricum si minus cum phlegmagogis ut pillulis chochijs sine quibus lucis Asaiareth. ℞. de agarico, cum electuarijs & simplicibus ut pluries repetitum est. Reuulsio & deriuatio fient cum clysteribus nascalibus masticatorijs narifusorijs cũ cauterijs cucurbitulis extremarum partium frictionibus, aut balneis extremis partibus adhibitis &c. Resolutio suffusionis et uaporum tam per intrinseca quam per extrinseca paratur intrinseca erunt electuaria inter quæ laudatur cõfectio humain a Mes. Item triphera myrobalani conditi & alia multa, quæ a cœna comeduntur. Extrinseca multa sunt abstersoria q̃ suffusioni quadrant, qualis est aqua mellis stillata more chy-

mico, aqua fœniculi rutæ euphragiæ serapinum in uino granatorum dissolutum, Puluis hirundinum, urina infantis & colyrium de felibus Razis, & alia multa quæ infra annotabuntur.

Loci consentientes de cura suffusionum.

De cura per cunsensum uentriculi lege Arcul. Mar. Cati. Gord. & cæteros practicantes habes insuper Galeni authoritatem de dolore capitis per consensum quæ ad hunc locum reduci potest. De operatione manuali quam quid agendum foret non expræßimus nunc authoritas Auic. tertia tertij, cap. 20. Satisfaciet quæ talis est, quum uoluntas adest ut fiat cura cum instrumento. permittitur habenti quam, ut nutriatur piscibus recentibus & cibis humectatiuis & administretur ex eis aliquid quod resistat nocumento aquæ & præcipiatur infirmo aspicere ad lachrymale domesticum & ad nasum & conseruetur iuxta illam figuram, nec sit iuxta fenestram uel in loco uehementis luminis & perforet artifex cum acu & uadat inter duas tunicas usquæquo sit coram foramine & deponat cattaractam, nec deponere cesset usquæquo oculus clarificetur, cumq; curam cum instrumento operatus fuerit pone super oculum uitellum oui conquassatum cum oleo uiolato & dormiat super collū tribus diebus in tenebris &c. Vide eum tu fusius. Et nota q; triplex est cura iuxta chyrurgos, Prima fit cum acu ferrea uel plumbea incuruata, Secunda cum acu acuminata incuruata quæ dum suffusioni super ponitur eam in uacuum extrahit, Tertia cum cauterijs circa fronte super oculum læsum ita q; abscindatur fluxus & exiccetur suffusio. De his uberius legere poteris placentinum Arnaldum et Guidonem, lege etiam Paul. lib. 6. cap. 21. ubi de hac manuali operatiōe pertractat uberrime, uide etiā alios practicantes &c. De uictus ratione loquitur Auicc. tertia tertij. cap. 11. Et opor

tet ut uitet pisces & cibos ingrossantes et uaporatiuos & po tum plurimum aquæ & uini & frequentiam phlebotomiæ et uentosarum &c. & ca.19. et caueat habens eam repletionem uinum & coitum et sit contentus comedere semel in meridie et fugiat pisces & fructus & carnes grossas &c. Aet. ser.7. cap.51. Dieta omnis sit attenuatoria, a uino abstinendum est per totam curationem et ab omnibus replentibus caput &c. Razes.9.alman.itidem habet,ibi,non comedat pisces nec om nia quæ humectare possunt,sed æger ex calefactiuis & exicca tiuis nutriendus est,hydromel propterea in potu exhibendũ est &c. De humorum præparatione loca non adducam, quũ iuxta Arcul.Gordo.Sauona.et Marcum Catina ualde pateant. De euacuatione Aet.ser.7.cap.51. inquit curandi sunt qui suf fusione tentantur in principio sanguinis detractione ex cubi= to &c.Paul.li.3.ca.de glau.suffusione tentatis sucurremus san guinis ex cubito detractione & purgatione euacuationibus acrioribus, Auic. loc. cit. oportet ut incipias & mondifices corpus & proprie stomachum deinde deuenias ad mundifi= candum caput,et scias q; hiera picra est mirabilis iuuamenti in eis & similiter pillulæ aureæ & medicamenta in quibus ponuntur centaurea & cucumer amarus &c. Razes simili ter ait.9.alman.tribuens pillulas chochias &c. Mesu.cap.de aqua, quando est in principio & non est confirmata succur ritur ei cum medicinis & cum mundificatione sæpius reite= rata & proprie cum chochijs hiera picra & hiera colocyn= thidos &c. De reuulsione et deriuatione plura habes ex Aet. sermo.7.cap.51.ibi,& si nihil inpedit etiam clysteribus acrio ribus & purgatione utemur deinde cucurbitula occipitio af figenda est cum scarificatione & pituitam per os trahenti= bus narisusorijs &c. Auice.tertia tertij,cap.2. Deinde mundi= ficandum est caput cum gargarismis & caput purgijs & ma

sticationibus, et dicitur q appositio sanguisugarum super tempora confert in initio sui & phlebotomia arteriarum post aurem &c. De resolutione loquitur Mesu. ca. cit. ibi, et succurritur cum administratione medicinarum resoluentium sicuti est aqua rutæ cum serapino aut aliquo ex fellibus animalium cum melle et succo fœniculi &c. Auic. itidē adserit. ibi, Quæ sunt ex siccitate conferunt quandoq; humectatiua nota, sed si sunt ab humiditate, conferunt eis omnia aleophol. i. colyria quæ abstergunt, Vide Arcul. Gordo. & Marcum Catinarium & cæteros practicantes &c.

Obseruationes in manuali cura.

Auic. tertia tertij, cap. 20. In regimine curæ quæ fit cum instrumento oportet ut ante ipsam præcedat mundificatio corporis & capitis proprie, et fiat phlebotomia si necessaria fuerit, et obseruetur ne ille qui cum instrimento curandus est habeat in oculo rupturam et timeatur ut accidat in tunicis apostema, aut sit assuetus pati tußim, aut sit uehementis rixæ, uelocis irænam hæc mouent ad profundū uel reditum. Arcul. Ne primum te ad curandum intromittas ni prius magistrū pluries operari uideris.

Obseruationes de euacuatione.

Paul lib. 3. cap. de glau. Si ueluti culices oculis obseruari uideantur ex quadam humorum prauitate, uel biliosioribus sursum distributis medicamentum dialoes amarum exhibeatur. B. i. quum sciuerit esse morbū ex bile utere picra, si minus alijs compositis, nam picra stomachum & caput una simul uice expurgat ac euacuat &c. Auice. loc. cit. Vomitus quantumuis conferat ex parte mundificationis, tamen est nocitiuus in proprietate aquæ.

Obseruationes de resolutione.

Aet. ser. 7. cap. 51. Medicamentis utendum est primum simplicibus

plicibus uelut melle, succo fœniculi, deinde cōpositis liquidis siccis collyrijs quæ paulo post describentur. Auic. tertia tertij, cap. 2. Et oportet ut incipias primo a medicinis lenitiuis sicut fœniculum cum melle, Deinde gradatim perueniatur ad medicinas compositas ex serapino &c. Et hæc non nisi post mondificationem corporis &c.

Suffusiones curantia ac perseruantia.

Curant suffusiones adeps piscis & uipere recens, oleum antiquum com melle, fel aquilæ cum melle, asa, aspaltum, berbena, ciclaminis succus cum melle euphorbium. sarcacolla, segapinū, myrrha, lac ficus, gumi oliuæ, oleum benedictū nic. mirabile, sief de felibus Haly. Sief rubeū Serapionis, Fel, canis capræ, auiū rapaciū scorpionis marini, gallinæ, tauri, testudinis hyenæ, uulturis, aquilæ, succus fœniculi. semen raphani, ozimum, rosmarinus, & sal. Prohibent suffusiones fieri pillulæ sine quibus, pillulæ optomeræ Auic. Hiera archigenis, hiera magna, hiera andromachi mes. in cur. sod. frig. Caputpurgiū Alex. eodem in loco lege insuper Varignanā cap. 12. tra. 3. ubi tractat de descensu aquæ ad oculum. Vide etiam Razem cap. de cataracta. Item Placentinum qui puluerem describit, multum ab ipso commendatum &c. Vide fusius Montagnanam cons. 66. cap. 4. de remedijs conuenientibus diminutioni & corruptioni uisus &c.

De pronosticis suffusionum.

Paul. loc. cit. Verum omnia glaucomata curationem non recipiunt, hypochymata uero curantur. sed nō omnia. B. Intellige glaucomata non curari, quæ ex prægressa suffusione fiunt, humore iuxta pupillam uehementissime congelato ac resiccato. Vnde. Auice. de obstructione uisus, inquit, ex siccitate fit, ut oculus in se ipsum colligatur & corrugatur, & nominatur hæc ægritudo glauconia, fit enim oculus propter eam

uarius multorum generum, & non est ei medicamen, & Aet. quae glaucescũt incurabiles sunt &c. Auice. tertia tertij, cap. 18. Et illa quae est magis susceptibilis curae, ex parte coloris est aerea & alba margaritalis & quae ad uiriditatem parumper declinat. Genus autem gypseum et uiride & nigrum et plumbeum uehementis nigredinis & citrinum non recipiunt curam quae fit cum acu &c. Gale. 14. meth. cap. ult. Hypochyma iam incipiens digeritur, ubi diu constitit non potest.

Arcul. 9. almans. cattaractae quae totum oculum occupant sunt incurabiles. Item nimiũ crassae quae non per compraessionem mouentur neque acu, neque medicamentis curantur. Itẽ cattaractae ex integra obstructione nerui optici factae curationem non admittunt, & quaecunq; siue a percussione, aut post aegritudinem cerebri fiant dificulter sanantur.

Autho. dissentientes circa suffusiones.

1 Adserere, locum affectum in suffusione esse ambiguum.
2 Adserere, suffusiões fere omnes per chirurgiã posse curari.
3 Adserer, parorasim idest hallucinationem esse suffusionis spetiem.

Confutatio dissentientium circa suffusiones.

Ad primum haly abb. 9. theoricae cap. 13, tenet q locus suffusionis sit inter chrystaloidem & corneam, pro quo habes etiam rationes in descriptione superius ex diuersis authoribus recitatas.

Ad secundum Paul. lib. 3. cap. de glau. & Auic. ut supra dictum est in pronosticis, multa suffusionum genera, quibus non est dare remedium proculdubio recitauerunt, ex quibus concludi potest, non omnia fere, sed ualde pauca posse curari, sicuti etiam nobis experientia demostrat &c.

Ad tertium respondet q si parorasis esset spetics suffusiõis, sequeretur q hyposphagmatici & icterici suffusiones pati di

cerentur quod à ratione alienum est, nam isti parorasi laborant ut testatur Gale.4. de sympt.cau.ibi, si uero humores non multitudine sed colore peccauerint secundum eiusdem coloris naturam parorasis.i.hallucinatio suborietur, nam qui ictero laborant, omnia quæ uident pallere arbitrantur. Qui uero hyposphagmate, omnia que aspiciunt rubra putant &c. sed hoc falsum, igitur &c.

De Aurium doloribus descriptione.

Dolor aurium græce ὠταλγία dictus, est tristis ac molesta auris sensatio a contraria re de repente ac uiolenter simul et uehemẽter imprimẽte facta, cuius species enumerãtur quinq; ut dolor punctorius stimulãs tensiuus grauis et pulsatilis &c.

Loci consentientes de dolorum aurium descriptione.

Plato in Timeo, Pathos præter naturam uiolenter ac affatim incidẽs dolorem excitat Gale.4.de sympt.cau.cap.6. Hoc Plato uolebat quũ diceret molestam sensionem in corporibus sensu præditis fieri si compositum ipsi pathema ex uiolento simul & conferto acciderit &c. De spetiebus dolorum lege Gale.2.de loc.aff.&.3.cap.7.ubi, mentionem facit de torpido ulceroso stringente lacerante &c. de quibus cum de doloribus agemus in genere loquemur, lege etiam Auic. & Arcul. 9.almans.

De causis doloris Aurium.

Omnis dolor, aut per consensum aut primario affectu fieri solet, cuius causa est, aut mala intemperies, aut soluta continuitas, Mala intemperies aut fit à frigiditate, aut à caliditate aut ab utraq;, & hæc cum materia uel sine materia esse potest, soluta uero continuitas fit aut à flatu extendente, aut ab humore corrodente, siue putrefaciente, aut ab aliquo tumore abscessu uel inflammatione. Quæ uero per consensum fiunt, aut a toto, aut a parte oriuntur, a toto sicuti per crisim p.

febres, a parte, ut a stomacho a matrice, qui uero per se ueni unt. i. a parte læsa uel erunt in auris cartilagine, aut in meatu aut in auditorio neruo &c.

Loci consentientes de causis dolorum auris.

Gale. 12. meth. cap. 7. doloris causa aut est diuisio uel alteratio &c. de omnium dolorum causa in genere loquēs &c. ut supradictum est. Gal. *lib. 3. de comp. med. per loc. cap. 1.* Do*lores aurium aliqui ex frigiditate a uentis inducta fiunt, ali qui ex balneis frigidis medicatisúe, aliqui ex inflammatione interdum circa meatum cutis, interdū in profundum progressa, ubi auditorius neruus ad inflammatam affectionem ꝑuenit, aliqui ex flatu uentoso transitum non habente, aliqui ex humoribus saniosis & mordacibus dolorem excitantibus oriuntur. Auicen. quarta tertij, cap. 6.* Dolor *auris aut fit a malitia complexionis, aut fit causa apostematis aut bothor, aut causa solutionis continuitatis &c. uberius hunc locum le ito & plura ad rem facientia inuenies : lege insuper Alexan. lib. 1. cap. 24. ubi diffusius rem pertractat, uide & Arcul. Sauo. & Gord.*

De signis dolorum auris.

Indicia omnino communia, ab ætate temperie anni tempore arte & uictu præcedente sumuntur, item ex laborantis relatione. Signa si fiant a mala intemperie siue calida siue frigida cognoscuntur per ea quæ in contrarium adhibentur. Signa particularia sunt, nam si a flatu fiant, tunc dolor erit tensiuus non grauans, & sonus clarus auditur non confusus, si a caliditate, præcesserunt calefacientia & a frigidis iuuantur, si a frigiditate grauitas & tumor una sentientur, & auditus impedietur, si a soluta continuitate ex eo cognoscitur q; aliquid sanguinis uel puris effluit, si ab inflāmatione tunc dolor erit continuus, grauitas cum tumore & febre continua

aderit, quod si intensiora hæc symptomata fuerint, quam q; liceat, cum alienatione & frigiditate extremorum, tunc erit inflammatio in intrinseca auris parte, cognoscitur apostema esse sanguineum uel biliosum quum intensius se habeat dolor in bile & sanguine, mitius in pituita & melancholia &c.

Loci consentientes de signis dolorum auris.

Paul. lib. 3. cap. 23. *Aurium dolor qui a frigiditate fit, ex anni tempore, ex uictu præcedente & ex laborantis temperie cognoscitur, at qui ex calida intẽperie prouenit ob id cognoscitur q; feruoris cuiusdam sine grauitate seu tensione sensus aderit, qui uero ex glutinosis craßisq; succis fit ex capitis auditusq; grauitate & uictus præcedentis ratione depræhenditur &c.* Auic. *quarta tertij, cap. de taraxen. Si fuerit apostema calidum in ipso neruo significat febres cum quibus est horripilatio & tremor & concomitatur ipsum permixtio intellectus alienatio &c. Si uero non sit in neruo tunc aderunt extensio dolor grauitas & pulsus. si causa erit uentositas significant ipsam sonitus & tinnitus, nec aderit grauitas, sfulcus et bothor significat pruritus cum dolore & sanie, si ab humore frigido læditur a frigidis & fit fortior in frigidioribus partibus diei, si est a calido est a contrario &c. Vide de his* Arcul. *longe alijs melius rem pertractantem, Vide etiam* Auice. *quarta tertij, tract. 1. cap. 25. de signis apostematum in radice auris.*

De cura doloris aurium.

Omnis curatio per eius causæ ablationem perficitur, & si quid malæ complexionis impressum fuerit, ac derelictum, cum suis contrarijs tam intrinsecis quam extrinsecis remouebitur uerum si humorum fluxus ad aurem timeatur cum reuelientibus et euacuantibus auferendus erit, accidentia remouenda & uictus ratio instituenda erit &c.

Dolor uero ex inflammatione uel erit creticus uel non creticus. Creticus duabus intentionibus curabitur, Prima crisim adiuuando, Secunda simptomata remouēdo & uictum ordinando. Crisis quadrifariam adiuuatur, Primo multitudinē humorum euacuando, ut uirtus in reliquum potentius exonerata agere conetur, Secundo uirtutem roborando cū his quæ sanguinem & spiritum cumulant, & hoc fiat ante crisim, ne in crisi natura impediatur, Tertio meatus præparando & superfluitates auris abstergendo ante crisim, Quarto uirtutem stimulando si natura ad crisim tardauerit, uel si moram natura in crisi contraxerit in expellendo. Remotio simptomatum fit quotiens dolor modum excedens non frigidis & repellentibus, sed rebus mollientibus & anodinis demulceatur, nam frigidis et repellentibus interdum crisis impeditur. Dolor ex inflammatione non creticus, septē exigit intentiones quæ sunt euacuatio, Reuulsio, Repercußio per se, et resolutioni mixta, Resolutio pura, ablatio symptomatum et sex rerum non naturaliū institutio, Euacuatio fiet per sectionem uenæ si sanguis peccauerit, uel per cholagoga, si bilis, ut cum rheubarbaro casia, manna, electuario de succo rosarum diapruni solu. cū pillulis aureis &c. uel per phlegmagoga, si pituita, ut cum pillulis chochijs turbit, agarico &c. uel cum pillulis indis de lapide lazuli confectione hamech, si fuerit atrabilis. Reuulsio fiet cucurbitulis frictionibus &c. Repercußio in materia calida perficitur, cum oleo ros. et quarta parte aceti per decoctionē resoluti, uel in materia frigida cum oleo amigdalarum amararum uel camomillino &c. Repercußio resolutioni mixta fiet si suscriptis addatur mucilago. s. citoniorum. s. lini fænugræci &c. Resolutio fiet per resoluentia & mollientia, quale est diachilon minus, uel emplastrum ex farina hordei cocta cū oleo camomillino. Resoluit etiam ac maturat apostema-

ta auris emplastrum ex farina fabarum cum oleo liliorum alborum et est expertum uictus ratio sit tenuis infrigidans in causa calida, uel econtrario infrigida, uinum carnes et oua ui tentur, quanquam uinum in causa frigida absente apostemate conueniat, aer sit calidus potiusquam frigidus, nam frigidum inimicum neruosis partibus est. Symptomata remouentur, si fuerint uigiliæ per ea quæ somnum conciliant, si syncopis uel surditas per ea quæ de syncopi ac surditate dicentur, dolor in terim cũ anodinis uel narcoticis, de quibus plura ex Auic. et Aet. & iuxta neotericos practicantes habentur.

Loci consentientes de cura doloris aurium.

Quod omnis cura per eius causæ ablationem fiat habetur non solum ex paulo sed ex Gale.3.de compo.med per loc. cap.1.ibi, Dolores a frigiditate oborti, calefacientibus quam celerrime curantur, et dolor ab aqua medicata circa meatum auditorium contenta, oleo aßidue infuso curatur &c. Paul. lib.3. cap.23. Dolor aurium a frigiditate calefacientibus curabitur præsidijs, ut oleo rutaceo laurino, at ex calida conceptũ intemperie, contraria discutiunt, ut oui albumen, in aurem de missum, lac muliebre, oleum rosaceum, oleum lumbricorum & asellorum quos græci ὄνους καταχιδίους uocãt, Quod si a craßis ac glutinosis succis fiat, uel a flatu exitum nõ habente cũ medicamentis curabitur, quæ auriunt incidunt ut aphro nitrum cum aceto & melle, uel fel ouillum cum oleo amygdalino &c. Aet. ser.6. a cap.73. usquæ ad caput.76. inclusiue de his uberrime pertractat, ubi habes q̃ omnia amara citra mõ dacitatem ac molestiam meatus auris purgant & extergent, ac crassos humores impactos secant &c. Auice. quarta tertij, cap.8. si autem est causa caliditas superflua oportet ut infrigi des cerebrum cum extinguentibus cognitis & destilles in aurem oleum rosaceum tepidum aut albumen oui, & si est dolor

uehemens permisce cum eo camphoram &c. lege eum fusius, lege insuper Mesu. ibi, summa sexta cap. de cur. Aurium, si dolor fiat a complexione siue materia solum alteratione indiget ut si calida, iuuatur ex infusione albuminis oui recentis aut mucillagine psylij, si fiat a complexione frigida conferunt infusiones calidæ &c. De dolore ex inflammatione cretico & non cretico loquitur Nicolus ibi accidunt hæc apostemata ui symptωmatis stimulata natura, & quandoque accidunt uincente natura, et fit sæpe secundum semitam crisis et maxime in febribus & apostematibus cerebri. Vide Razē. 3 continentis ex authoritate Gale. de hac re loquentem. Vide etiā in hoc Arcul 9 almans. qui & si quinque modos in adiuuanda crisi declaret, nihilominus ad quatuor reducuntur ut dictum est, Lege etiam aphorismo. 20. primi lib. ibi, Quæ iudicantur & iudicata sunt integre, nequæ mouere &c. amplius Galen. in commen. dicentem ubi deficit natura adiuuandum, ne recidiuas materia relicta faciat &c.

De dolore ex inflāmatione nō cretico uerba faciunt omnes moderni ex quibus primum elicere poteris omnes a me dictas curandi intentiones, quos etiam breuiter habet Auice. quarta tertij, cap. 8. ibi, Et si causa fuerit apostema calidū profundum, quod est timorosum propter propinquitatem sui ad cerebrum usq; quo ad collectionem perueniat & suppurationem, tunc post phlebotomiam et euacuationem oportet ut administres lenitiua in primis & infrigidantia & proprie lac mulieris uice post uicem, usq; ad diem tertium & similiter oleum rosaceum decoctū cum aceto deinde mucilaginem fænugræci sem. lini in aqua lactis &c. Paul. loc. cit. Si ex inflammatione auris laborauerit, statim sanguis mittendus est deinde fotus ex oleo dulci & calente per specillū in lana inuolutum adhibeatur extrinsecus etiam quæ dolorem leniunt, ma-

teri.tmq; impactam concoquunt super acomodare &c. Lege Gale.3.de compos.med. per loc.cap. 1. ibi dolor uero ab inflã matione ortus &c. Pro resolutione abscessus Gal. 12. meth. cap.8. ad dolorem aurium ex humore frigido uel flatu, medicamento utitur, Quod ex castoreo & papaueris succo conficitur &c. Mesu. Expertum est diachylõ in oleo anethino dissolutum et ex eis quæ sunt ultimi iuuamenti est æsypi ceratum, docet etiam cataplasma confici ad hoc idoneum ex farina fabarum camomilla uiolis &c. De uictus ratione et de sex rebus non naturalibus legantur Arcul. & Matheus de grado fusius Auice.loc.cit. & habens dolorem frigidum potet uinũ purum forte et dormit et cum excitatur non habet læsionem aliquam, &c. Quod aer frigidus sit neruis inimicus habes aph.18. tertij, lib.ibi, frigidũ inimicũ ossibus dentibus neruis.

De symptomatum ablatione legatur Auic.ibi, Et quandoq; necessariũ est in curationibus dolorum uehementium in aure administrare narcotica sicut aliquid ex philonio cum lacte, uel opium & castoreum & crocus cum lacte mulieris &c. Aet.ser.6 ca.80. Vbi uero magnus est dolor necesse est stupefacientibus sensum uti, ita ut ad lac muliebre et oui candidũ modicũ opij amisceamus, Amiscendũ est & castoreum aduehemẽtiores dolores pari mensura, ad leuiores dupla proportione &c.

Obseruatio de diuersione.

Hic ad memoriam reuocandum quod in quarta primi dixerat Auic. Quod si ad diuersũ trahere uolueris, materiam, primum dolorem mitigabis ac demulces, quo sedato ad curã te conferas &c.

Obseruationes de repercussione.

Arcul.9. almans. Antequam fiat repercussio obseruentur hæc non sit materia cretice expulsa, non sit uenenosa, non sit furiosa, non plurima, non inmediate a cerebro expulsa, non

ualde tenax et crassas non paulati ne cõgesta, non fluxam ad partem extrinsecam auris.

Obseruationes de topicis.

Tusignanus septem conditiones obseruandas esse inquit in his quæ in aurem proijciuntur prima, q. inijcitur non sit calidum nec frigidum sed tepidum, & hoc etiam inuit Auic. cap. 8 Secunda, q. sit in parua quantitate, et hoc habetur ex Auenzoar primo lib. Theisir. tra. 4. ca. 1. Tertia, q. stet in aure pauco tempore. Quarta, q. antequam aliud proijciatur, primum sit expulsum Quinta, q. cum aliquid inijcitur in aurẽ patiens iaciat super latere sano. Sexta, q. locus sit cum auriscalpio mondificatus propter tortuositatem auris; Settima, q. non administrentur repercussiua in apostematibus auris, &c. Gal. 5. meth. cap. 10. contra Thessali sectatores dixit aurẽ esse particulam siccissimam, idcirco quæ ualentissime exiccent opus esse, ut castoreum, uerum hic in dolore anodinis, illic in ulcere siccantibus fortius uti persuadet, uide tu illum fusius.

Obseruationes in narcoticis.

Auic. quarta tertij, cap. 8. oportet ut postponantur narcotica usq; quo timeatur syncopis & proprie cum fuerint humores frigidi, nocent enim eis ualde, & post eorum usum administra castorium.

Auditui nocentia.

Fumus argenti uiui, semen arundinis, lanugo & flos Typhæ, folia castaneæ, puluis platani, & puluis inuentus super eius folijs.

Dolo rem ac pulsationem Aurium curantia.

Dolori ac pulsationi aurium iuuat, uapor decoctionis absinthij, Aqua decoctionis acetosæ, succus acori cum rosa, oleũ in radice aphodilli coctum, Allium cum adipe anseris, succus cucumeris asinini, succus cucurbitæ cum oleo rosato, in calido

dolore, crocus cum oleo rosaceo, succus dragonculi, hederæ, cannabis, Gallia cum oleo debeen uel de cheiri, Galbanum cũ oleo liliorum. grana granatorũ cum melle. succus hyosciami, lactucæ asini, laudanum cum oleo ros. Succus maioranæ, melli loti, mentæ, paritariæ, peucedani, polygoni. foliorum populi, porri, plantaginis, praßij, rosarum, rubi, rutæ, salicis, serpentariæ, solatri, Adeps anseris, leonis, uulpis, Fel arietis, apri, bubali, Tauri, suis, Oleum liliorum, Amygdalarum amararũ, scorpionum, de uitellis ouorum, de. s cannabis, oleum benedictum nic. de cherua, sisaminum, de nucleis persicorum, laurinum, de. s. raphani, de anetho, de crisomilis, de been, yrinum, nardinum, Vrina, apri, bubali, tauri, capræ oleum de cinnamomo petroleum in frigido et antiquo pilulæ sine quibus, hiæralogodion esdra, confectio Nicol. opium cum myrrha croco & oleo ros.

De pronosticis dolorum Aurium.

Hip. pronost. 3. tex. 15. Aurium dolor acutus cum febre continua ac uehementi difficilis est, Periculum enim delirij abolitionisq; imminet, Quia igitur fallax hic locus est, cito etiam aduertere oĩa alia indicia a primo die necesse est &c. Auice. quarta tertij, ca. 6. Et peruersior dolor auris est ille, qui est ex apostemate calido profundo et proprie cũ perducit ad comixtionem intellectus, ubi uero dolor est in cartilaginibus extrinsecis, nõ est illic uehmens dolor, nec uehemens timor, sed primus interdum subito interficit, ueluti apoplexia, interficit, tamen magis adolescẽtes quã senes, sed ratio est, quia in senibus ignauior sensus nec humores sunt ad alienationem prompti sicuti in iuuenibus.

Authores dissentientes circa dolores Aurium.

1 Adserere, in omni dolore auris esse in primis repercutiendum

2 *Adſerere, dolorem Auris non eſſe periculoſum:*
3 *Adſerere, in dolore Auris non eſſe ſecandam uenam:*

Confutatio diſſentientium circa dolores Aurium.

Ad primum Auice. quarta tertij, cap. 25. Si apoſtema fiat per uiam criſis oportet ut non intendas ad curam quatenus exigitur, ad curam, apoſtematum, adhibendo ſtyptica & apo cruſtica. i. repercuſiua in principio. Item repercuſsio fit ad membrum principale, igitur in omni dolore non eſt perpetranda.

Ad ſecundum, Gal. 3. pronoſt. comm. 15. quod ſi dolor fuerit in cartilaginibus aut in ſumma auris parte, non eſt periculũ mortis; At ſi in profundo ex auditorio meatu, doloris ſenſus affligat ut etiam neruus auditorius afficiatur, periculum imminet, ne in conſenſum perducto cerebro, mors repente ſequatur,

Ad tertium, reſpondent Auic. & Meſ. q; in omni dolore a ſanguine fieri debeat ſectio uenæ, In alijs doloribus reuulſiuã imperant neoterici.

Deſcriptio ulceris Aurium.

Vlcus græcis ἕλκος dictum nil aliud eſt quam continuitatis ſolutio cum ſanie, Quod interdum extrinſece, interdum intrinſece accidit, Si intrinſece, uel erit in meatu uel in neruo auditorio, aut circa os petroſum uocatum, Praeterea uel erit ulcus mundum, ſordidum uirulentum uel corrodens cum dolore, cum mala intemperie & cum inflammatione uel alio tumore &c.

Loci conſentientes de deſcriptione ulceris Aurium.

Gal. 2. meth. ca. 1. Vnitatis nãq; ſolutio, in oſſe fractura dicitur, in carnoſa parte ulcus, Auic. quarta tertij, ca. 12. Amplius non poſſunt eſſe ulcera quin ſint apparentia ſenſui, aut ſint profunda & non profunda propinqui temporis uel croni-

ca &c. Lege Arcul. & plures ulcerum differẽtias intelliges, Gale.3.meth.ca.4. memorat ulcus cauum & æquabile recens & inueteratum, sordidum purum, liberum phlegmone, & phlegmone impeditum, Similiter de intemperie intelligendum, lege in hac re Placentinum, De ueris ulcerum differentijs, lege Gal.2.meth.cap.1.

De causis ulcerum Auris.

Causæ ulcerum sunt uel humores corrodentes uel aliquis abscessus, uel casus percußio, & res quæ putrefacere uel corrodere possunt.

Loci consentientes de causis ulcerum Auris.

Arcul.9.almans. Causæ ulcerum sunt apostemata uel bothor cum rumpuntur nec non humores acuti, Item cerumen aurium & uermes, aut res ibidem natæ corrodentes ac putrefacientes, similiter casus & percußio, Gale.4.meth.cap.1. Est.n.horum duplex ortus alias ab excisione sæpe ab erosione, quo pacto fiat excisio patet, erosio uero si intrinsecus ab ipso animali prouenit uitiosi succi soboles est, sin extrinsecus aut à ualentibus medicamentis aut ab igne.

De signis ulcerum Auris.

Signa ulcerum auris manifesta sunt, si pus ex aure defluat nulla in cerebro præterita læsione. Si fiat ab apostemate statim ex uomica multa puris copia exiet deinde paulatiue & in pauca quantitate, E contra uero si ab humoribus corrodentibus paulatim in primis egredietur deinde magis abundabit. Signa ulcerum mundorum ab optima & concocta sanie cognoscuntur. Sordidorum ex craßitie ac multitudine exeuntis saniei. Virulentia ulcera ex fætore & putrida sanie subtili exeunte nobis innotescunt, Corrodentia si post saniem sanguis efluxerit, Fistulosa si longo tempore contracta si uirulenta sanie, si ex callosa ac indurata carne consistant &c.

Loci consentientes de signis ulcerum Auris.

Razes. 9. almans. hoc tantum signum posuit .s. quum pus ab aure egreditur, De his signis fusius pertractat Arcul. & Auic. Similiter cæteri practicantes.

De cura ulcerum Aurium.

In omni ulcerum cura quinque opus sunt medicamina, Abstergentia.s corrodentia carnem generantia, consolidantia ac ad cicatricem inducentia. Abstergentia idcirco opus sunt, ut sanies crassa glutinosaqúe membro adherens, ammoueatur, qualia sunt tenuia ac calida circa secundum gradum sicut mel &c. Corrodentia ut super crescentia carnis minuantur, & sunt calida et sicca in quarto, ut flos æris alumen &c. carnem generantia, ut sanguis ulceri superueniens in carnem transmutetur, quod fieri nequit, nisi complexio temperetur & sanguis coaguletur, & sunt sicca in primo & temperata in actiuis, stypticitatis et abstersionis paucæ, ut thus, Nec opus esset medicamentis in gignenda carne, quum ad naturam tantum pertineat, ni in generatione carnis excrementũ tenuius ac crassius interdum efficeretur, ad quod id tandem opus est quod redundantiam absumat et sanguinem coagulet, quale est medicamen siccans & abstergens. Consolidantia, ut humiditas inter utrasq; ulceris superficies propinquas contenta, ita conglutinetur, ut altera superficierũ ulceris alteri adhæreat, & sunt sicca in secundo, cum proportione actiuorũ ad membrum ut aloes sanguis draconis &c. Cicatricem inducentia sunt quæ absque mordacitate tantum superficiem exiccant, ut cortex pini &c. Sed de his uberius dicemus in libro de chyrurgia. Cura simplicis ulceris in corpore purgato indiget tantum abstersione & consolidatione, Si uero ulcus fuerit compositum puta cum inflammatione, uel mala temperie, aut dolore uehementi, tunc primum erit inflammationi ac reliquis

uacandum non neglecto interim ipso ulcere &c. Cura ulcerũ auris malignorum præsertim corrodentium quinquæ medijs perficitur precedat tamen euacuatio ac reuulsio ad hæc quæ dicenda sunt. Primo, Si quid est putridum uel corrosum uel induratum auferatur. Secundo, Quod remanet optime mundificetur. Tertio, substãtia iam deperdita regeneretur. Quarto, regenerata substantia ad cicatricem inducatur. Quinto, accidentia corrigantur et ratio uictus instituatur &c. Primo, putridum auferemus cum unguento ægyptiaco cum modico aceti uel uini dissoluto, uel si pars ueluti sensus expers sit, accipiantur uiridis æris aluminis & mellis partes æquales & cum modico aceti fiat collyrium. Secundo, mundificatio fiet cum hydromelle uel rhodomelle, aut ænomelle aut oximelle simp. uel scillitico si materia ægrediẽs fuerit ualde tenax. Tertio, substantia regeneratur cum his quæ mediocrẽ cum pauca mordacitate exiccationem, obtinent qualis est aloes Mirrha Sarcocolla Sandaraca cum melle & uino dissoluta. Quarto, ad cicatricem perducunt, olibanum, sief memite, sarcocolla &c. Quinto, accidentia corriguntur, ut si sit dolor cum prædictis in capite præcedenti, Si surditas cum his quæ de surditate dicentur, Ciborum quantitas sit modica in principio donec ad substantiam regenerandam deuenerimus, tunc sit locupletior, sed boni succi & facilis concoctionis &c.

Loci consentientes de cura ulcerum Aurium.

Gal. 3. meth. cap. 8. fieri non potest ut in ulcere, uel carnis productio, uel sinus impletio, uel agglutinatio, uel cicatricis inductio, recte unquam cedat, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat, Verum purgari sordida, minuiq; super crescentia, etiam carne statum non seruante, possunt &c. Ex quibus uerbis quinque dicta à me medicamenta ad ulcus sanandũ opus esse cognosces. De abstergentibus quæ græcis ῥυπτικὰ

appellantur, loquitur Gal. 5. de fac. simpl. cap. 2 ubi inquit omnia nitrosa & amara ad expurgandos meatus intro ualeri, at cutis & ulcerum sordes non hæc tantum, sed & uiribus minora auferre possunt, qualia sunt dulcia quæ tenuium sunt partium ut mel & ex cerealibus eruum faba. lupini hordeū &c. Et cap. 14 de causticis seu urentibus loquens uehementer esse callida & carnis colliquantia ut arsenicum auri pigmentum sandaraca & chrysocolla &c. Et cap. 15. eiusdem lib. loquens de his quæ uim ἐπουλοτικὴν habent. i. cicatricem inducendi, esse desiccantia absquæ mordacitate dixit &c. De generantibus carnem lege Gal. 3. meth. cap. 3. ubi adunguem, quæ a me dicta sunt recitantur & plura ad hoc munus idonea etiā enumerantur De glutinatorijs etiam uerba facit cap. 5. eiusdē & quo pacto ab ijs quæ cicatricem inducunt, differant, aperte declarat, uide illum fusius. De cura simplicis ulceris lege Gal. 3. meth cap. 4 De ulcere composito lege etiam similiter Gale. 4. meth. cap. 5. ibi uerum ulceris quod cum alio affectu coniunctum est &c. lege tu hunc locū uberius et inuenies q̃ sanari nō possit ulcus, nisi locus in quo cōsistit prius sit sanatus &c.

Breuis Galeni ulcerum curatio quæ quinto meth. cap. primo continetur.

Omne ulcus siccantia medicamina requirit, ulcus sinum habens non solum modice siccantia sed abstersoria expostulat, quod uero coniungi labra petit ueluti cruentum, magis siccantia tum quæ sine abstersione leuiter adstringunt, desiderat quod uero ad cicatricem perduci debet, non solum magis adhuc siccantibus sed strenue adstringentibus remedijs indiget, at si caro præter naturæ modum intumuerit acria et demollientia quæ calida et sicca sunt adhibeantur, si uero ulceri aliquod symptoma adiunctū sit, primo id remoueatur, deinde ulcus sanetur, si sordes inascantur tollendæ sunt, ijs quæ maio-

rem

rem adstringendi uim habeant, quàm quæ carne implent, si copiosa humiditas adsit, siccantibus medicamentis, quæ propriam speciem nõ egrediantur, curandum, aglutinatoria sint igitur medicamenta siccantia & adstingentia, carnem generantia siccantia & abstergentia & sic de reliquis, si uero subiecta caro intemperata sit, primum eius intemperantiæ succurrendũ utiq; quæ siccior iusto est, humectantibus, quæ humidior siccantibus, quæ calidior, refrigerantibus, quæ fridior, crlefacientibus, quæ geminata qualitate imtemperata per geminam qualitatem contrariam curetur, consydera insuper intemperantiæ causas num a toto uel a parte per consensum, membrum ulceratum infestent. Primum enim causæ quæ adhuc intemperantiam fouet, medendum, post hanc ipsi quæ facta est intemperantiæ, sumitur etiam indicatio a particula, læsa, quæ si siccior fuerit ea magis siccari expostulat, quæ minus talis est, ea minus siccanda, simile etiam erit de calefaciendo refrigerandoq́; præceptum, sumitur etiam a præcellentia membri aut a contrario statu, Itemq; ex sensu acri hebeteue quum hæc diuersum medendi modum petant & reliqua.

De mundificãtibus ac abstergentibus ulcera aurium.

Mundificant ac abstergunt ulcera aurium, succus absinthij cum melle aphodilli etiam cũ melle et thure, succus omphacij cum melle, ærugo ferri cũ aceto decocta, fel thauri cum lacte capræ, licium antiquis ulceribus mel cum sale gemeo tepidũ, myrti decoctum, myrrha cum memite castoreo & opio, succus foliorum nuccum, & suc. oliuæ agrestis, uirgæ pastoris, urina pueri cum cortice granatorum, oleum amygda. mararum rhodomel cum matrisylua et betonica oleum mirtinum, therebintina &c.

De sonitu aurium.

Sonitus aurium, nil aliud est, si describatur, quam auditus

corruptio, in qua uidetur homini audire id quod certe non audit, hos græci uocant ἤχους καὶ συρισμούς.

Loci consentientes de sonitu aurium.

Auice. quarta tertij, tra. 1. Hæc dispositio est uox quam homo incessanter audit exterius. Et eius comparatio ad auditũ, est imaginationum & tenebrarum quas uidet homo comparatio &c. B. i. uocem quandam homo audit ac si exterius audiret, & talem habet comparationem sonitus ad aures, qualem imaginatio ad oculos &c. Vide etiam hanc met sententiam in Auicen. cap. de nocumentis auditus.

De causis sonitus ac tinitus aurium.

Omnis causa sonitus & tinnitus uel est occulta uel manifesta, occulta aut fiet a sensus audiendi imbecillitate, aut ab eius subtilitate, imbecillitas fiet a mala quapiã complexione. Manifesta nouem modis fiet, Primo ex aere extrinseco intrinsecum mouente, Secundo ex sanie sonitum in aure efficiente, Tertio ex motu ab ebulitione humorum excitato, ut in febribus, Quarto repletione superflua, Quinto humorum agitatione & uapore, Sexto casu uel percußione, Septimo ex humorum magna inundatione, Octauo ex fame humores commouente & aerem, Nono ex medicinis soluentibus quæ mouent & non educunt &c.

Loci consentientes de causis sonitus ac tinnitus auriũ.

Gale. 3. de comp. med per loc. cap. 1. Sonitus quidam ex flatuoso spiritu generantur, quidam ob exquisitam sensus audiendi subtilitatem, quorum neutrius affectionis certa cognitio in principio haberi potest.

Auicen. quarta tertij, cap. 9. et inundatio aeris quæ est causa uocis, aut est occulta, aut est maior illa, occulta quum interdum sonitus auditur, interdum uero minime & tunc idest, aut propter acuitatem sensus, aut propter debilitatem &c.

Lege usque ad illum locum inclusiue & quandoque accidit sonitus post medicinas quarum proprietas est ut retineāt humores & uentositates in partibus cerebri &c.

De signis sonitus ac tinnitus aurium.

Dabis operam ut in primis cognoscas qui fiant per se & qui per consensum. per se enim fiunt quicunque sunt continui & aßidui, per consensum uero qui sunt intermittentes, qui dispositione crescente augentur & desinente minuuntur. Signa ab acuitate sensus, sunt, quia a mediocribus sonis læditur, nec excellentes tollerare potest, nullusq; adest flatuosus spiritus nec uapor crassus nec repletio. Signa ab humore cum flatu, grauitas in aure percipitur imbecillisq; adest auditus, si uero ex flatu tantum, sonitus est clarior, nec ulla adest in aure grauitas, si ab humoribus craßis fiant, paulatine crescunt, si a siccitate, fiunt post euacuationes & febres. Signa apostematis suppurati, sunt, qui a dolor præceßit sonitusq; confusus & sanies apparet. Signa debilitatis sunt superfluitates, si a complexione calida fit statim cum inflatione, si a frigida econuerso, cognoscuntur etiam ex prægressa dieta, a uomitu & a progresso pharmaco &c.

Loci consentientes de signis sonitus & tinnitus auriū.

Auic. quarta tertij, cap. 10. In illo qui est continuus et aßiduus causa est aliquid stās in ipso cerebro, si autē quiescit deinde excitatur post euacuationē, aut uacuitatē aut quū calor fit uel frigus fit fortis tunc est per cōmunitatem, Illum qui est per acuitatem sensus significat deffectus causarum uentositatis & repletionis & mundificationis auditus & excitatio eius apud ieiunium & uacuitatem. Paul. lib. 3. cap. 23. sonitus qui fiunt a craßis glutinosisq; humoribus cognoscuntur q̀ nō uniuersim sed paulatim increscunt ac nascuntur. Gale. 3. de comp. med. per loc. cap. 1. In cognitionem peruenimus non tan

tum ex procatarcticis causis, sed ex temperie ex dieta praegressa, ut a longo uini potu, a uiolento & multo uomitu, aut a praegressa plaga, aut ex auricularium pharmacorum usu & similibus, quin etiam si sonitus aut per interualla redit, aut perpetuo permanet, aut ex eo quod paulatim aut aceruatim fit sonitus, uerum exacta & certa cognitio habetur, ut si quis ex flatuoso spiritu exitum non habente, sonitum fieri putet, & seccantia uel attenuantia adhibuerit, admotisque apophlegmatismis nihil pro fecerit, tunc certo cognosces ex auditus subtilitate sonitum fieri, praesertim si acuto audiendi sensu aeger praeditus appareat. Auic. loc cit factus a siccitate est post euacuationes & febres & factum a debilitate scies per superfluitates & quando est a complexione calida fit subito et cum inflatione, & frigida est e contrario &c. Vide de his latius Arcul. & reliquos practicantes & inuenies quaecunque a me dicta sunt.

De cura sonitus & tinnitus aurium.

Quum curatio fiat per causae efficientis morbum ablationem, tunc si a percussione, uento, ebrietate & a caeteris procatarcticis causis fiat, causae primitiuae per sua contraria remoueantur, & roboretur auris & cerebrum, si morbus hic generetur ex quadam crisi uel febre, primum discutienda erit febris & crisis non prohibeatur praesertim si ex se natura praeualeat, si minus, iuuetur, si uero ab aliquo particulari membro per consensum oriretur primum id quod trasmittit membrum euacuabitur, & ad aliam regionem materia diuertetur, & eius membri lapsa temperies per contraria permutabitur, Deinde membrum recipiens roborabitur ut puta cerebro cum oleo mirteo & auris cum oleo amygdalino amaro &c. In cura uero per se ex repletione capitis ab humoribus crassis quatuor curandi erunt intentiones. s. euacuatio, Reuul-

sio ac deriuatio, humorum præparatio ac eorum extirpatio, cerebri & auris roboratio & regiminis institutio. Euacuatio fiet per ea quæ humorem superfluum euacuant qualis est hiera colocynthidos pillulæ fætidæ chochiæ &c.

Reuulsio similiter fiet cum clysterijs frictionibus et hemorrhoidarum ac menstruorum euacuatione.

Deriuatio post omnimodam euacuationem cũ caput purgijs masticatorijs gargarsimatibus &c.

Præparatio humorum præsertim pituitosorum fiet cum syropo de stechade de calamento, oxymelle simp. & composito & cum reliquis quæ supra memorata sunt, & cum decoctis saluiæ rosmarini uiolarum betonicæ, maioranæ, rutæ, origani &c. Humorum extirpatio perficitur cum pharmacis in euacuatione nuper relatis &c.

Roboratio cerebri et auris fiet remouendo eorum discrasiam, cũ sacculis ex milio sale et furfure, asperso potẽti uino torefactis, aut cum fomentis ex camomilla meliloto calamento origano stechade absinthio, aut cum pulueribus capiti adhibitis ut puta cum speciebus pleris arcoticon nic. & diamusci dul. aut cum his quæ in aurem infunduntur, quale est oleum amygdalarũ amararum cum musco et nuce moschata, aut oleum de uitellis ouorum, aut castoreum in oleo ros. dissolutum.

Victus ratio sit calida & sicca, pluuiæ uenti ebrietates & satietas nauseatiua & uomitus uitanda sunt. Item mora sub radijs lunæ & solis &c.

Loci consentiẽtes de cura sonitus & tinnitus aurium.

Auic. quarta tertij, cap. 2. Sonitus creticus non oportet ut moueatur quoniam remouetur cum remotione febris, In eo uero qui fit ob cõmunitatem, oportet ut intentio sit membri facientis ipsum & proprie stomaci quare mundificetur & intendatur cerebro, & confortentur auris & cerebrum cum

oleo mirtino, auris uero cum oleo amygdalino &c. Itidem ait Mes. cap. de sonitu.

Paul. lib. 3. cap. περὶ ἤχων, si in febribus aut harũ crisibus sonitus aurium euenerint, nullum eis negotiũ facessere oportet, quippe magna ex parte statim finiuntur, Sin autem post morbũ perseuerauerint absinthij decocto foueri aures debent & acetum ros. infundi &c. De cura per se ex repletione q̃, tot sint intentiones quot diximus lege Arcul. & alios hac de re loquentes.

Auice. loc. cit. Et similiter factum a repletione, oportet, ut mundificetur corpus & caput cum eo quod scis et subtilietur regimen &c. Mes. cap. de sonitu, quando fit per abundantiã & repletionem in capite, cura eius est solutio & euacuatio cum hiera diacoloquinthidos & chochijs & similibus cum reiteratione & reiteratione &c. B. Intelligitur de materiæ minoratione ac eradicatione per hoc uerbũ reiteratione duplicatum.

De præparatione humorum & alijs intentionibus loquitur ibi, Aet. ser. 6. si adhuc remanet ampliori tempore omnibus amaris & acribus & attenuatorijs ac discussorijs utere quæ paulo antea descripta sunt &c. lege eum fusius lege insuper Arcul. Sauo. et Gord. & Mes. ibi, Quando fit a uentositate grossa conferunt caput purgia sternutationes post mondificationem &c. intelligens de deriuatione & de alijs prout in ipso reperies &c.

Obseruationes in cura.

Auic. quarta tertij, cap. 11. Oportet ut omnes isti uitent balneum solem & uomitum & clamorem & repletionem, & ut leniant naturas. i. uentres.

Curantia sonitum & tinnitum aurium.

Curant sonitum & tinnitum aurium, uapor aceti, absin

thium cum felle bouino fel capræ cum succo porri tepido, colocynthidis decoctum in aceto, succus foliorum ebuli, fel thauri cū succo porri, acetum decoctionis hellebori, decoctio caricarum cum sinapi. succus rutæ in cortice granati tepefactus, uapor decoctionis hyssopi cum ficubus, oleum de been, cum adipe anatis, oleum liliorum alborum, oleum uiolaceū, amygdalarum amararum, decoctum lauri cum uino antiquo & oleo rosaceo &c.

De pronosticis sonitus.

Gale. 3. de compos. med. per loc. cap. 1. si in febribus sonitus fiant, minime curandi sunt, ut plurimum enim statim sedantur. Hippocra. aphoris. 4. aphoris. 60. Quibus in febribus aures obsurduerunt. sanguis ex naribus fluens aut aluus turbata, soluit morbum. B. intellige de fluxu cretico qui facile adueniens sonitū soluit: Arcul. Antiqui sonitus difficulter sanantur, qui uero ex natiuitate cōtrahuntur, nequaquā sanari possunt. &c.

De graui auditu & surditate.

Differunt inter se grauis auditus & surditas, quum hic tantum diminutum auditum, illa uero omnimodam auditus ablationem significet, Hunc græci κωφωσιν, illam uero δυσηκοίαν appellant.

Loci consentientes de graui auditu & surditate.

Auic. quarta tertij, cap. 2. omne auditus nocumentū, uel est ut destruatur eius operatio aut auditus minuatur, ita ut quis audiat quod non audit &c. Lege Arcul. 9. almans.

De causis surditatis.

Omnis causa uel essentialis est uel per compatiendi rationem, Si essentialis aut auris pars aliqua læsa, est aut cerebrū, Si pars uel similaris est, uel instrumentalis. Si similaris tunc uel ab intemperie uel à soluta cōtinuitate afficietur, Si instrumentalis, tunc ab obstructione aliqua aut à tumore aliquo

præter naturam innato aut ab aliquo aduentitio ut puta callo carne tuberculo, aut à sorde in auribus gignita, aut ab humoribus craßis uel à flatuoso spiritu occupante oborietur, Si causa sit per compatiendi rationem tunc uel à toto sicuti in febribus, ex quibus uapores ad aures deferuntur, uel à crisi iam facta, uel à membro particulari propinquo & remoto sicut à cerebro, & à stomacho, Item fiunt surditates ex paucitate et craßitie spirituum, uel à consumptione corporis &c.

Loci de causis surditatis & grauis auditus.

Gal. 4. de sympt cau. cap. 3. Grauis auditus & surditas animanti euenire solent, aut ob auris partem aliquam, aut ob neruum à cerebro descendentem, aut ob cerebrum ipsum, si eadem in parte unde neruus oritur læsum fuerit, Proinde harum partium morbi ab illis huc transferendi sunt ut ij, qui ad similares pertinent ex intemperie & continui solutione æstimentur, qui uero ad instrumenta ex obstructionibus, siue ipsarum partium tumor aliquis præter naturam, meatum obstruxerit, ut puta absceßus phlegmone oedema & scirrhus, siue aduentitius, isque omnino præter naturam tumor in meatu ipse oriatur, ut quum callosum uel carnosum innascitur tuberculum, atq; huc pertinent sordes quæ creberrime in auribus gigni consueuerũt. Auic. quarta tertij, cap. 2. Nocumenta auditus aut sunt complexionalia, aut instrumentalia, aut resolutiua singularitatis, nocumentum in neruo auditus interdum accidit per omnes causas ægritudinum similium partium & instrumentalium & solutionis continuitatis, Aegritudines consimiliũ partium in ipso sunt unaquæq; spetierum malæ complexionis singularis & compositæ. Et quandoq; fit unaquæq; earum absq; materia et quandoq; cum materia melancholica cholerica phlegmatica ex phlegmate crudo et uentoso. Instrumentales sunt sicut opilatio, quam facit humor aut sanies aut

apostema &c. Lege eũ fusius. Arcul. 9. almans. Defectus etiã spiritum .s. quum sunt crassi, est causa grauedinis auditus & similiter paucitas spirituum & corporis exiccatio et consumptio. Vide de his Mesu. cap. de surditate, Item Gord. & Sauona.

De signis surditatis & grauis auditus.

Et si per se surditas manifesta sit nec alijs indigeat indicijs, nihilominus an per essentiam uel per consensum fiat, nisi indicia cognoueris non facile rem percipies, Cognoscuntur igitur quæ fiunt per essentiam absente totius uel partis mala dispositione, econtra uero si perconsensum ex totius et partis prægressa ægritudine, qua aucta surditas augebatur et remota remouebatur, cognoscitur etiam obstructio tantum ex intuitu subradijs solaribus, Cognoscitur fieri ex materia frigida crassa ex grauitate & loci frigiditate, ex comotione cum sonitu & quia læsio cum frigidis augetur, cognosces causam esse in neruo auditorio ex dolore, cognoscitur, ex crisi fieri per præcedentem morbum ad aures terminantẽ, & eo q̃ crisi finita remouetur auditio grauis &c. Reliqua signa ex relatione infirmi manifesta erunt, cognoscitur à flatu fieri ex sonitu & tinnitu.

Loci consentientes de signis surditatis.

Auice. quarta tertij, cap. 4. factum à communitate cerebri significat dispositio in reliquis sensibus, sicuti in uirtute matrice, præterea præcesserunt nocumenta cerebri sicut sirsen & intellectus commixtio & reliqua quæ dicta sunt, in cap. de ægritudinibus cerebri, similiter de reliquis plura habet Auic. quem fusius legere poteris, lege insuper Arcul. nam si omnes ad unguem recitare uoluerimus, præter quàm deceat in mora essemus.

De cura surditatis & grauis auditus.

Si à nuda intemperie surditas peruenerit, per alterationem in contrarium sanabitur, Aurisq; roboratione ac regimine contrario discrasiæ indigebit, facta tamen aliquali reuulsione, si humorum fluxus timeatur, At si fuerit frigida intemperies, calidis remedijs curabitur ut pote cum oleo laurino costino amygdalino amaro in aurem infuso. Roborabitur auris, si his aliqualiter styptica adhibeantur. Similiter calida intemperies cum oleo ros. cum aliquantulo aceti bullito curabitur. Si uero ab intemperie cum materia morbus fiat, cogitandum est in primis de qualitate humoris, deinde an principaliter in aure contineatur, an aliunde transmittatur. Et tunc in curatione scopi erunt quinque, euacuare. s. reuellere, membrum mandans corrigere, deinde causam coniunctã educere & resoluere, deniq; discrasiam alterare & regimen in contrarium instituere, Calida igitur intemperies cum materia euacuabitur per κολάγωγα *pharmaca, sicut cum decoctione fructuum, rheubarbaro, pillulis aureis &c. Frigida materia per sectionem uenæ uel cum chochijs & agarico. Reuellitur etiam materia ac deriuatur per masticatoria, per errhina caput purgia, & per ea quæ pluries a me dicta sunt, immo etiam per cauteria commissuræ coronali applicita. Corrigitur membrum mandas euacuando corroborando & eius intemperiem alterando, Causa coniuncta resoluitur in causa frigida, per exercitium clamores & uociferationes in aure, uel per ea quæ in aures initiuntur uel extrinsece applicantur, ueluti sunt suffumigia emplastra &c. uel lotiones cũ aqua thermarum. Regimen in contrarium ordinetur &c.*

Loci consentientes de cura surditatis.

De cura surditatis sine materia loquitur, Auice. quarta tertij, tra. 1. cap. 5. ibi quod si illic est caliditas tantum, tunc cũ

infrigidantibus curetur ex oleis & alijs aut ſucco granati, ita ut bulliat in cortice ſuo cum aliquantulo aceti thuris & olei roſ. et deſtilletur in ipſam aqua lactucæ aut ſolatri, Illi uero quod factum eſt à frigore conferunt omnia olea calida in quibus ſit diſſolutum caſtoreum &c. De cura intemperiei cum materia. Alexander libro primo, cap. 32. inquit, quando bilioſi humores ad caput delati ſurditatem inducunt, non difficulter ſuccurritur, modo uenter per κολάγογα *ſedulo euacuetur, At ſi malum ex craßis & crudis humoribus oriatur, principio ſtatim medicamento purgante euacuandum ut puta cum oxymelle Iuliano uel hiera uel eo quod conſtat ex euphorbio. B. De hac compoſitione quæ paratur ex euphorpio, meminit Meſues capit. de ſurditate, & modum parandi docet, ſed in pondere, ipſe decipitur, quum loco ſcrupulorum quatuor uſque ad ſex, ipſe a quatuor dragmis uſque ad ſeptem in ouo ſorbili exhiberi iubet, quam quantitatem uix oui cortex abſque uitello & albumine caperet. Auic. loc. cit. In eo quod eſt cholericũ oportet ut euacuetur cholera cum ſolutiuo uentris, Nam ut plurimum cũ ſolutione uentris ſurditas remouetur, ſi uero fiat a materia frigida, calida conferunt &c.*

Paul. lib. 3. cap. περὶ δυσηκοίας καὶ κωφώσεως. *At ex crudis craßisq; humoribus prognatas ſurditates uel grauem auditum, uenæ inciſione curato aut omnino purgatione ex hiera.*

De reuulſione habes Alex. locum in primo lib. cap. 32. ibi purgatione uero ægregie facta, utendum eſt apophlegmatiſmis quibus per os capitis pituita purgatur & ἐῤῥίνοις καὶ πταρμικοῖς *&c. Vide de his latius Meſuen & Arcul. De reſolutione loquitur Auic. loc. ſupra cita. ibi & exercitium eſt uehementis iuuaminis & ſimiliter uociferatio uehemens in aure & clamores bucinarum & quandoq; ponitur in au*

re caput embubæ, ut ad ipsam peruenire faciat uaporem deco ctionum resoluentium & confert succus rutæ cum melle & castoreo &c. Obseruentur quæcunq; dicta sunt in capite de dolore auris.

Conferentia & acuentia auditum.

Confert & acuit auditum uapor siue fumus aceti, succus aristologiæ cum melle. succus foliorum capparorum uel oleum decoctionis eius radicis, Castoreum cucumeris asinini succus, acetum decoctionis hellebori nigri flos æris qui ex eo albus est tritus & insuflatus delet antiquam surditatem, Auice. oleum decoctionis seminis laureolæ, Mercurialis cum uino, instilata serpentaria, suffumigium sulphuris, radix brioniæ & uitis albe oleum laterinum albuchasis, oleum cucumeris syluestris amygdalarum amararum de been, oleum laurinũ, Sotira Nicolai iniecta auditum reddit, theriaca magna pillulæ aggregatiuæ, hieralogodion, & fel & urina capræ cum galbano.

De pronosticis surditatis.

Hip. aphor. 4. aphor. 28. Quibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant, & quibus surditas superuenientibus deiectionibus, cessat. B. intellige cessare surditatẽ ex deiectionibus, præsertim si a febribus uel bile ad cerebrum mota ipsa fieret, nam in cæteris casibus locum non haberet Aph.

Paul. lib. 3. cap. cita. Quæ ab origene, uel a prima natali die, sed longissimæ et absolutæ surditates constituuntur, nullo remedio eliduntur, Quæ uero non absolutæ. sed diurnæ sunt, ipsæ etiam curam recipiunt, aut certe difficillimam &c. i. quæ ab origene fiunt surditates arte curari non possunt, siquidem neruus auditorius meatum forte non habet, unde species soni hauriat, uel si habet, locum forte non occupat quem iure possidere deberet aut uehemens adeo inest obstructio ex

carne oborta, ut minime curationem admittat. Vide de his Mesuen. Hip. aphor. 4. aphor. 60. Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens aut aluus turbata sol uit.

De Parotidibus.

Parotides sunt abscessus post aures de genere inflammationum, quæ accidunt in carnibus glandulosis sicuti in emunctorijs.

Loci consentientes de parotidibus.

Paul. lib. 3. Parotis est glandularum sub ipsis auribus passio, Gale. 3. de comp. med. per loc. cap. 2. Parotides ex genere inflammationum sunt, fiuntq; glandulis circa aures affectis, itidem ait Aet. ser. 6. cap. 89. Auicen. quarta tertij, cap. 24. Hæc apostemata sunt ex genere apostematum accidentium in carnibus mollibus & proprie glandulosis & nominantur nascentia auris &c.

De causis parotidum.

Parotides uel a parte uel a toto fieri possunt, a parte obstructis in capite humoribus, a toto corpore, si qua fuerit cri sis in febribus, hoc autem contingit ob eam quæ est in febribus caliditatem, relata multitudine ad caput, Fiunt interdum a materia sanguinea aut biliosa, Interdum a pituitosa aut me lancholica aut uenenosa iuxta semitam epidimie &c.

Loci de causis parotidum.

Paul. lib. 3. cap. 23. Parotis fit a materia morbi illic emanante, modo a capite humoribus in eo obstructis, modo a reliquo corpore in febribus crisim expertis oritur &c. Quod in febribus ob earũ caliditatem fiant abscessus, lege. 4. apho. Gal. com. 31. ibi laßitudinem habentibus in febribus &c. Auic. loc. cit. cap. 23. Et hæc apostemata omnino fiunt a materia san guinea aut cholerica, & quandoque melancholica aut phleg matica & quandoque ex his mixta. Vide latius in hoc Ar-

cul. & reliquos practicantes &c.

Alex.lib.1.cap.34. Parotidum igitur aliæ originem ad copiosum sanguinem referunt, Aliæ ad tenuem calidum & biliosum humorem, Aliæ ad gelidum crassumq; succum &c.

De indicijs parotidum.

Si fierent a sanguine, rubor loci, dolor, febris sequens, caliditas, grauitas manifeste indicant, Si abile herysipelas, dolor punctorius, uel momordicans, febris succedens, color pallidus, pauca grauitas aderit, Si a pituita in compreßione aderit inundatio, color albus, uel rubedo ad albedinem decliuis dolor non intensus, nec sequitur febris nisi dum pus conficitur, adest etiam grauitas. Si a melancholia durities, nullus ferè dolor & color liuidus ostendunt.

Loci de indicijs parotidum.

Auic. loc. cit. Significant quod est sanguineum rubedo & grauitas & expulsio eius apud compreßionem et constrictio in meatibus, et significant cholericum ex sanguine subtili, dolor mordiccatiuus fistulosus .i. corrosiuus sine grauitate multa &c. Alexa. loc. cit. loquitur etiam ipse de his indicijs, ibi, Quæ feruentis humoris plenitati adscribuntur dolores intentißimos pariunt, quæ uero tenui subtiliq; humori herysipelaceas inflammationes referunt, nullaq; grauitate, neq; dolore locum excrutiant &c. de alijs indicijs lege latius hunc locum.

De cura parotidum.

Cura eisdem et præsidijs, quibus alios abscessus curare solemus perficitur præter quod nec styptica neque repellentia in morbi principio conueniunt, uerum sanguine exuberante, prius sectionem uenæ moliemur, qua peracta considerandum num parotides in tumorem attollantur, an adhuc altius delitescant, si in tumorem erumpant, tunc leniëtibus mollientibusq; ac digerentibus medicamentis utemur, qualia sunt quæ ex

farina hordacea ex ſemine lini fœnigræci, althea camomilla lapatho et inſulſa axungia parantur. Si uero altius deliteſcant tunc natura cum attractorijs preſidijs ueluti cum cucurbitula et fotuum crebro uſu, adiuuanda erit. Si uero abſceſſus ad ſuppurationem ſe conferat, pus mouentibus utemur: deinde ſciſſa cute pus excerni cogemus, quod ſi dolores interim agrum moleſtent, his dolores mittigabimus quæ moderate humectant ac calefaciunt &c.

Loci de cura parotidum.

Auice. quarta tertij, cap.25. Oportet ergo ne intendas ad curam eius inquantum exigitur ad curam apoſtematum adhibendo ſtyptica & apocruſtica in principio, deinde compoſitionem regiminis, deinde reſolutionem puram. Imo oportet ut incipias et proprie quando accidit in febribus cum dolore capitis et adiuues ad extrahendum materiam ad apoſtema cũ omni ingenio & cum uentoſis &c. Gale.3. de compoſ. med. per loc cap.2. Non utimur in parotidibus ut in alijs partibus inflãmatis, in principio repellentibus, ſed uice uerſa attractorijs, ut affligentem humorẽ ex profundo ad cutem attrahentes, naturæ opem feramus &c. Vide latius Aet. ſer.6. cap.89. Paul. lib.3 ca. cit. Si igitur alte adhuc deliteſcens parotis in tumorem non attollitur, natura debet adiuuari præſidijs quæ coactas ſordes ex trahant, uel etiam cucurbitula adglutinata uel crebro fotuum uſu. Sin inflammatione tentata in tumorẽ erumpat, ijs quæ leniunt et cõcoquunt utemur cataplaſmatis, at ſi ſanguis exuperare uideatur prius ſectione uenæ ipſum euacuabis, deinde medicamentis utere quæ puri mouẽdo ſunt & ubi abſceſſus ad ſuppurationem ſpectarit cute deſciſſa pus excernetur uel acri medicamẽto erumpetur &c. Vide Alex. tral. longe fuſius de ſingulis his tumoribus diſſerentem.

De mittigando dolore lege Auice. ibi, ſi fuerit initium eius

cum dolore uehementi, sis contentus uaporatione &c.

De pronosticis parotidum.

Auic. loc. cit Et fortasse consequitur quandoq; ex uehementia doloris eius ut interficiat, & apostematum quæ fiunt sub origine auris, illud est magis incolume quod est secundum semitam bonæ crisis. Illud uero quod est a crisi cum qua non est signum maturationis, aut præcedit bona crisis est malũ &c. B. ratio est quia quæcunq; ante materiæ concoctionem a natura fiunt crises, malæ sunt, quæ uero cocta materia, bonæ, nam satius est naturam uincere quam uinci. Paul. loc. cit. si in altũ recurrat colluuies, periculum haud mediocre subsequuturum est &c. lege etiam de his fusius Arcul. & Sauonarolam.

De narium affectionibus & primo de polypode & ozena.

Tres inueniuntur narium propemodum similes affectus, Sarcoma quod inde scriptione polypi ponitur, Ozena & Polypus, Sarcoma est præter naturale incrementum carnis in naribus, Ozena uero est ulceratio profunda in naribus tetri odoris atq; halitum emittens, Polypus uero est quoddam sarcoma simile polypis piscibus, nam sicuti illi multas habẽt propagines mollesq; sunt atque augentur, ita hic quoque affectus, Differt tamen sarcoma a polypo magnitudine tantum & opificio &c.

Loci consentientes de polypede & ozena.

Gale. 3. de compos. med. per loc. cap. 3. Et Paul. lib. 3. cap. 24. Polypus tumor est præter naturam in naribus ortus, polypedis carni similis iuxta substantiæ proprietatem, Ozena uero ulcus est putridum ex humorum acrium illuuiæ creatum. Gale. lib. finit. med. differentiã inter polypum & sarcoma enarrat. Auic. nullum agit de polypo caput, nisi illud sit in quo de hemorrhoidibus & alharnabeth agit, ubi carnes esse in naso

additas

additas asserit, nec de ozena sermonem facit, nisi forte in capite ulcerum nasi contineatur. Vide *latius* Gale. 3. de compos. med. per loc. cap. 3. *ibi ex genere tumorum præter naturam polypodes in naribus generantur &c.*

De causis polypedum & ozenæ.

Ozenæ cæterorumq; ulcerum ac tumorum causæ esse possunt multiplices, sicuti a uulnere ab abscessu, ab humorũ acrium influxu, a uaporibus acutis paulatine rodentibus donec ulcera pululant. Causæ etiam esse possunt quæcunque hæc omnia irritare possunt, similiter polypodes fiunt ex humoribus craßis a cerebro ad nares influentibus, uel ex ipsarum nariũ nutrimento, a facultate nutritoria & auctrice, in carnem mutato &c.

Loci de causis polypedum & ozenæ.

Gale. 3. *de compos. med. per loc. cap. 3. Manifestum est affectionem hanc polypodis ex craßis & uiscosis humoribus generari, & ozenæ ex humorum acrium & putrescibilium influxu generantur, ita ut si acres solum sint ægre curabilia ulcera producere consueuerunt, non tamen graueolentia.* Auic. *quarta tertij, de ulcer. in naso cap. 3.* Quandoq; *generantur ulcera in naso ex uaporibus acutis aut malis aut chatarrhis acutis &c.* De *his legito acuratius* Alexan. *lib 1. cap. 35.* Et Paul. *ibi, ozena est ulcus ex humorum acrium illuuiæ creatum &c.*

De polypodis & ozenæ cura.

His *ambobus curandi scopus idem est, ut primum corpus euacuetur,* Materiaq; *per reuulsionem ac deriuationem ad huc fluens intercipiatur, caputq; firmetur ac corroboretur, quo corroborato ad narium curationem progrediendum, ita ut in ozenis affecta pars tum per repellentia tum discutientia pharmaca resicetur, sed in polypo partim adstringant partim siccent ac extenuent, partim discutiant ac cõdensent,*

si igitur totius corporis humorum copiæ indicia adsint, Euacuatio prius aut per sanguinis mißionem, aut purgatione per hieram perficietur, deinde loco indantur remedia. Cura ozenæ erit prout de ulceribus aurium dictum est. Polypodis uero cura fiet si cum filo tenui ligetur & in radice sua incidatur, & ubi æger manualem abominatur operationem procurandum est, ut acribus medicamentis polypes extyrpetur sicut cum puluere corticum granatorum arsenico ære usto, nitro cantaridibus &c.

Loci de cura polypodis & ozenæ.

Gale.3.de compos. med. per loc. cap.3. Ceterũ curatio utrisq; his communis ozenæ & polypodi, ut primum caput siccetur firmetur et corroboretur, quum palam sit, ob uitiatorum humorum redundantiam, defluxum ex eo prouenire, quo roborato ad naris curationem progredieris, scopo in ozenis proposito, ut affecta pars permixte facultatis pharmacatum repellentia tum discutientia reficetur, Repellunt austera & acerba quæ adstringentia dicuntur, Discutiunt uero calida et sicca facultate prædita, similiter in polypode mixta materia medicamentaria, opus est ut partim astringat partim seccet & attenuet partim discutiat condenset &c. Paul. lib.3. ca.24. itidem ait ibi, quum totius corporis humorum copiæ suspitio fuerit, hæc prius aut sanguinis dimißione aut purgatione ex hiera euacuetur &c. Auice. & Mes. Curationem polypodis manualem docent, per incisionem & cauterium cum ferro ignito, aut acri medicamine, quos si lubeat, leges. Arcul. recitat ung. de quo inquit modernos se profiteri omne polypũ et carcinoma curare, & est medicina fortis, cuius operatio durat tribus diebus, sed circunstantes partes cum defensiuis & succis frigidis defendatur cuius descriptio hæc est. ℞ cantaridarum p.i. arsenici sublimati p.5. uel plus & minus prout

fortius aut imbecillius operari desideras et cum oxymelle simplici aut sapone nigro fiat unguentum, caue tamen membra principalia, nam tota uis in arsenico reponitur &c.

Polypum & ozenas curantia.

Faciunt ad remotionem polypi, puluis antimonij, arsenici, aristologiæ, calcanti, ciclaminis, dragonteæ, æris usti, floris æris, cum melle uel succo serpentariæ, succus mali granati, uidelicet granorum eius acetosorum cũ oßibus suis cum melle coctus ad spißitudinem, hermodactilus cum ære usto. Faciunt etiam ad ulcera narium, aloes, aristologia auri pigmentum, ciperus, ciclamen, licium, plantago, sicla. sumach bleta &c.

De polypi & ozenæ pronosticis.

Auice. quinta tertij, cap. 2. Carnes additæ si sunt molles albæ et nõ sit in eis dolor sunt facilis curationis, quæ uero sunt rubeæ aut fuscæ uehementis doloris cum sanie fœtida, sunt difficilis curæ. B. *Molles quia pituitosæ facile curationem admittunt, sed liuidæ difficulter quum cancri propemodum naturam sapiant. Mesu. cap. de polyp. nar. Polypus qui fit in naribus durus niger & non tractabilis et mollis & putridus et fœtidus fortaßis non sanatur, sed qui elongatur et pendet habens radicem gracilem non nimis profundatam curatur per incisionem &c.*

De dolore dentium.

Manifestum est quid dolor sit dentium, sed locus doloris adeo latet ut uix a medico diuinari poßit, qua de re triplex erit doloris locus aut in substantia ipsius dentis, aut in neruo ad radicem dentis prostrato, aut in gingiuarum substantia inflammationem patiente &c.

Loci consentientes de dolore dentium.

Gale. 5. de compos. med. per loc. cap. 8. Ex dentium affectionibus aliquæ euidenter apparent, ueluti quum perforati de-

nigrati aut detriti sunt, aut frigida nec calida ferunt, sed ab utrisq; aut ab altero solo dolor eis contingit, aliquæ non manifeste apparent, ueluti quum circa corpus dentis in profundo obortus sentitur &c. lege de his Paul. lib. 3. cap. 26. et Auic. settima tertij, cap. 4.

De causis doloris dentium.

Causa doloris dentium aut est mala intẽperies aut soluta continuitas, si mala intemperies uel nuda erit uel cũ materia, quæ si fuerit multa partes extendens dolorem excitabit, si uero pauca tenuis & acris tunc ulcus inde orietur & per consequens dolor, at si erit intemperies nuda absq; materia, tunc erit uel flatuosa, uel nimis calida & frigida &c.

Loci consentientes de causis doloris dentium.

Auice. septima tertij, cap. 4. Causæ doloris dentium sunt aut malitia complexionis pura cum frigore & calore, aut est cum materia aut uentositate, si cum materia, uel hæc est multa uel pauca crassa uel acuta, aut materia apostemans dentem, uel erodẽs, uel uermẽnasci faciens et tunc uel a capite, uel a stomacho, uel a toto ut in febribus materia descendit &c.

Gale. 5. de compos. med. per loc. cap. 8. perforantur dentes ex acrium ac rodentium humorum in fluxu uelut ulcera in cute citra externam causam similiter dentes liuidi siue denigrati ex humorum uitiatorum in fluxu fiunt &c.

De signis doloris dentium.

Dentes esse affectos cognoscimus ex sua nigridine uel corrosione, sed si in suo permanserint colore inquirendum est, num malus color in gingiua uideatur, aut si tumida, aut quid erosionis uel putrefactionis in se habeat, nam tunc ex sedens non dolet, sed ex mala affectione in gingiua, uerum si nihil horũ adfuerit coniecturandum est affectionem esse in neruo, præsertim si dolor in profundo sentiatur, cognosces etiam

hæc si gingiuam gingiuæ uel dentem denti comparaueris, ita etiam mala intemperies siue calida siue frigida per colorem cognoscitur, ut si pallida rubea alba, item ex applicitis iuuantibus ac nocentibus &c.

Loci consentientes de signis doloris dentium.

Gale. 5. de comp. med per loc. cap. 8. Si dentes liuidi per omnem suam substantiam facti appareant, nihil mirum est ipsos quid inflammationi simile pati &c.

Auice. septima tertij, cap. 5. Omnia ferè recitat quæ à me nuper relata sunt, uide insuper Arcul. 9. almans. & Mesu. cap. proprio.

De cura doloris dentium.

Cura duplex est uniuersalis & particularis, Vniuersalis in se continet euacuationem reuulsionem & fluxus cohibitionem, Euacuatio fit uel per sectionem uenæ aut uentris solutionem, præsertim ubi abscessus aliquis aut sanguinis copia in causa fuerit, secetur igitur primum uena cephalica, deinde quæ sub lingua latet, Reuulsio fiat cum cucurbitulis & extremarum partium frictionibus &c. Fluxus cohibetur per pillulas alchaiber nominatas. Cura particularis duplex regularis & coacta, Regularis erit in materia calida, ut primum destillationes reppellantur cum frigidis sicut rosa mirto camphora &c. deinde repellentibus discutientia comisceantur, & in fine resoluentia & maturantia prout ad inflammationes pluries dictum est, adhibeantur. Cura coacta consistit in auferendo sensum, quo ablato dolor sedatur, Si uero inflammatio fuerit in neruo dentis, tunc dens eradicandus erit, Si uero præ mollitie dens erosus sit, reddere oportet eum duriorem per austera & acerba medicamina, Si liuidi & nigri per resiccantia pharmaca.

Loci consentientes de cura doloris dentium.

Gale.5.de compos. med.per loc.cap.8.Erosiones dentium, siue cauernæ, per exiccationæm influentis humoris uitiosi sanantur, qui si paucus fuerit ex localibus auxilijs exiccantibus medella sufficit, si multus influens humor, uniuersi capitis rationem habere conuenit, sed si caput a reliquo corpore afficiatur, totius corporis cura gerenda est, Porrò erosos dentes qui præ mollitie perpeßi sunt reddere oportet duriores per austera & acerba medicamenta, Simili etiam cura indigent liuidi & denigrati cum perforatis per resiccantia pharmaca &c. Auicē. septima tertij, cap.6. Inquirendum an per se uel per consensum fiat dolor, si per consensum, incipe ab euacuatione membri consentientis cum phlebotomia & uentris solutione cum hiera aut scamonio si uero per se cum scarificatione & similibus, deinde si materia calida cum frigidis, si frigida cum calidis, si sicca cum humectantibus & dolorem lenientibus, si fuerit in causa siccitas confert ut fricetur dens cū butyro & adipe anatis &c. Mesu. Intentio in cura duplex est uniuersalis & particularis, uniuersalis habet tres res prima est euacuatio &c. Vide eum fusius uide etiam Arcul.9.almans. cap. proprio, & alios practicantes &c.

Obseruatio in cura doloris dentium.

Gal.5.de compos.med.per loc.cap.9.In dolore dentium citra gingiuarum, inflammationem, siue in proprio dentium corpore, siue in neruo dolor fiat uehementißimis opus est medicamentis, siue quis uelit repellere, siue discutere doloris causam, siue humor sit siue uentus, & propterea, omnia acerrimo aceto præparentur &c.

Nocentia dentibus.

Nocent dentibus, brasica, dactili, gumæ, granata dulcia, lac, nix porrum raphanus.

Curantia dolores dentium.

Ad dolorem dentium ualent acetum., uinum decoctionis acetosæ, acorus aphodillus, allei dococtum cum pini ligno & olibano, alumẽ, amygdalarum folia in aceto cocta, assa, been, betonica, borax pulsationem dentis mirabiliter tollit chameleontis nigri decoctio, cappares, lac capræ, radix celidoniæ, cypressus, colocynthis, cornu cerui decoctum, radix curcumæ masticata hedera, galla, gith, gramen, lacca, malua, melissa, mezeron, morus, nasturcium, peucedanum, pinus, pyretrum, portulaca, rosmarinus, sandaraca, rosa, ruta, sumach, saxifragia hyssopus, asparagus oleum uermium terrestrium, myrtinum, de citro, de uitellis ouorum, oleum benedictum nic. & dentifricium democriti Auice. tra. 4. sum. 2. 5. Medicamen andromaci, Auicen. eodem in loco, Mitridatum Nic. Sotira Aui. prima quinti &c. Reseruant a dolore dentium succus ceparum sanguis testudinis marinæ fricatus &c.

De doloris dentium pronosticis.

Auic. tertia tertij, cap. 5. Si affectio fuerit in gingiua nunquam remouebitur dolor cum dentis extirpatione, si uero in neruo fuerit, nec per remotionẽ dentis interdum remouetur & interdum iuuat. B. q. dentis eradicatio minime utilis sit, omnibus notum est, at si in neruo fuerit, exẽpto dente facile curatur, quum materia quæ prius cum dente erat retenta, exitum habeat, non iuuat interdum quum materia sit crassa & neruo nimis adhereat &c. Hip. 4. aphor. aphor. 53. Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, ijs fortes fiunt febres. Lege etiam pronost. 1. Tex. 24. ibi si quis strideat dentibus non consuetus a pueritia ita facere malum.

Autho. erronei dissentientes circa dolores dentium.

1 *Adserere, dentes per se dolorem posse pati cum zoar primo theisir.*

2 *Adserere, dolores dentiũ magis affici a calido quã a frigido.*

3 Adserere,dentes ab alijs oßibus non differre.
4 Adserere,in dentibus non posse apostema spurium fieri.

Confutatio dissentientium circa dolores dentium.

Ad primum Arist. 1. & 3. De anima,pillis, oßibus,ungui bus nullus est sensus quum sint naturæ terreæ, propter quod etiam plantæ nullum habent sensum, sed dentes sunt ossa per Auic. prima primi,cap.de anoth.oßium,& secundo,de gene ratione animalium cap.6. igitur dolorem non patiuntur,nec obstat dictum Gal.3.de sympt.cau.nec,Arist problem. 2. & 3. cap.6. problem.22.ubi abetur q dentes celeriter & dolent et sentiunt frigus & sic patiuntur,Nam hoc non per se sed potius per accidens euenit.

Ad secundum, Hip.aph.5.aph.18.Frigidum inimicum oßi bus dentibus neruis cerebro,spinali medullæ,calidũ uero utile,ubi Gal. Quæcunq; partes sunt natura frigidiores & penitus exangues citius ac magis a frigido offenduntur quam a ca lido &c.

Ad tertium,Arist.2. de generatione animalium ca.6.et. 2. de anima inquit q ossa non crescunt, ibi,omnium natura con stantium impositus est finis magnitudinis & augmenti,sed dentes crescunt,ut patet experientia,igitur ab alijs oßibus dif ferunt,alioqui in contritione & contactu, nisi crescerent om nino contriti perderentur.

Ad quartum. Respondet Serapio. 2. de dentibus,ibi,si den tes in suo toto corpore uiriditatem accipiunt,tunc nõ miran dum si consequatur eos quod simile sit apostemati,uel dic pos se apostemari per uiam congestionis.i. ex superfluitate nutri menti, non per uiam rheumatis sicut alia apostemata lege cõ cil.differen. 96.

De gingiuarum affectionibus.

Accidunt gingiuis inflammationes ulcera serpentia,Paru

lis & epulis inflammatio est calidi sanguinis influxus, Parulis est alicuius partis inflammatio, quæ nisi discussa fuerit in suppurationem uertitur, Epulis est carnis excrescentia quæ ab inflammatione contracta ad itimos molares dentes pertinet, nonnunquam cum febre & dolore &c.

Loci consentientes de gingiuarum affectionibus.

Gal. 6. de comp. med. p loc. cap. 1. inflãmatio est calidi sanguinis influxus &c. Aet. ser. 8. ca. 24. Parulis est inflãmatio alicuius partis gingiuarum cum tumore, quæ ubi non dissolui tur, suppuratur, Epulis uero est excrescentia carnis ab inflam matione consequuta iuxta interiorem dentem molarem aliquando cum febre & uehementi dolore internarum mandi bularum, ut neq; os æger aperire liceat, contingens &c. lege de his etiam Paul.

De causis gingiuarum affectuum.

Causa uel est extriseca uel intrinseca, si exrinseca tũc erit uel pluuiosa constitutio calida & humida, uel cæteræ dispositiones ad humorũ putredinem paratæ Si intrinseca, uel a par te ortũ habet, uel a toto, a parte sicuti a capite uel a stomacho, a toto sicuti in febribus uaporibus. s. ad gingiuas peruenientibus ex quibus ulcera & inflammationes oriuntur, eo q̃ in has oris partes tamquam tenues & debiles facillime imprimantur &c.

Loci consentientes de causis affectuum gingiuarum.

Auic. ottaua tertij, cap. 1. Gingiuæ accidunt apostemata cau sa materiei descendentis ad ipsam secundum plurimum ex ca pite & quandoq; ex communitate stomaci et quandoquæ ac cidunt inprincipio hydropisis ex malitia formæ ob id quod ex uaporibus corruptis ad eam eleuatur &c.

De signis affectionum gingiuarum.

Cognoscitur humor putridus per colorem & tactum, Nã

cognitio nostra quæ per uisum quandoq; decipitur, ex tactu interdum certior fit, Ex tactu.n. omnes qualitates percipimus ut durum molle calidum frigidum, interdum inflammationes et ulcera per se manifesta sunt, et plerunquæ cum febre fiunt.

Loci consentientes de signis affectionũ gingiuarum.

Auic. loc. cit. & significatur genus materiei per colorem & tactum, & quandoque sunt, ex eis manifesta recentia uelocia ad suscipiendam curam &c.

De cura affectionum gingiuarum.

Vbi totum corpus apparuerit, aut multitudinem humorũ refertum, aut eorum malitia uitiatum, primum antequam ad topica peruenias, per sectionem uenæ per purgationem ac inediam curabis, quũ uero ad topica accesseris, duo scopi erunt consyderandi, alter ab ipsius affectionis indicatione, alter a particulæ quæ curatur natura. In ipsa affectione conuenit ut in principio id quod influit repellatur, Repellentia sunt quæ adstringendi uim habent, post principium usquæ ad morbi finem pharmaco opus est repellente & discutiente, sed primo tempore adstringens præcellat, in fine uero discutiens inter medio tempore æquales utriusq; partes sint, si uero quid induratum de inflammatione relinquatur non sunt adstringentia cum discussorijs miscenda, sed ita curandum ut concoctoria præcedant ad discussoria, in particulæ natura consyderetur, superficiem oris esse cute totum corpus ambiente molliorem ac rariorem, qua de re non fortibus auxilijs indiget &c. Cura parulidis fiet per discussoria antequam suppuretur, sicuti per collutiones ex decocto.s.lini, sed epulidis inflammatio cũ discussorijs ac siccis deprimentibus auferetur &c.

Loci consentientes de cura affectionum gingiuarum,

Gal. 6. de compos. med. per loc. cap. 1. Eandem et methodũ enarrat quam nuper retulimus, sed longe satis fusiorem. Act.

ser. 8. cap. 24. & 25. Parulis dissoluenda est antequam suppu= retur per collutiones quales sunt succus ptisanæ decoctum se= minis lini, deinde siccis deprimenda est carnis eminentia, Si= militer epulis inflammatio cum dissoluentibus et siccis depri mentibus curanda est, quod si suppurentur incidantur et ulcus per collutiones curetur. Habes remedia epulidis ex Gal. 5. de compos. med. per loc. cap. 9. & a Paul. lib. 3. cap. 26.

Auic. ottaua tertij, cap. 2. loquens de inflammatione inquit, si materia est superfluitas calida tunc administra euacuationē & phlebotomiā, et cura in principio cum collutionibus oris infrigidantibus & sit in eis stypticitas sicut aqua myrti & fo liorum frigidorum stypticorum & decoctio balaustiarū glan dium & succus portulacæ arnaglossæ &c. Lege de his Gal. fu sius in loco nuper citato &c.

Obseruationes de repellentibus & discutientibus.

Gal. 5. de compos. med. per loc. cap. 9. Inflāmationes repel= lentibus circa asperitatem & discutientibus sine asperitate in digent, hoc idem refert etiā Aet. ser. 8. cap. 20. Gal. 6. de comp. med. per loc. cap. 1. Quum gingiuarum caro sit mollis et rara idcirco fortibus auxilijs non indiget, Vitentur insuauia ob eius sensum, Item uenenosa, ne ob duos meatus subiacentes, aliquid in uentrem, uel pulmonem influat &c.

De linguæ batracho.

Ranunculus græce βάτραχος *dictus est tumorū uenarū quæ potissimum sub lingua cōtinentur, sunt inter auicinianos qui morbum appellent glandulam, crescit ac si noua lingua oriretur, unde sunt qui uelint carnem additam esse lingue ba= trachum alij apostema pituitosum.*

Loci de linguæ batracho.

Paul. lib. 3. cap. 26. Batrachus tumor est ad inflammatio= nis similitudinem, sub lingua erumpens maxime in pueris, Iti

dem adſerit Aet.ſer.8.cap.37. De batrachi cauſa.

Si tumor fuerit pituitoſus omnino ab humiditate uiſcoſa a capite deſcendente fiet, ſi uero caro addita tunc fiet ſicuti et alia caro &c.

Loci conſentientes de batrachi cauſis.

Auic.ſeſta tertij,cap.17.Et cauſa eius eſt humiditas uiſcoſa &c. Vide ipſum fuſius. De batrachi indicijs.

Cognoſcitur quia ſimilis eſt ranæ, in colore,quum ſuperficiei & uenarum linguæ tumor ſit &c.

Loci conſentientes de batrachi indicijs.

Auice. loc.cit. eſt ſimilis glandulæ duræ exiſtentis ſub lingua,cuius color eſt ſimilis colori cõpoſito ex colore ſuperficiei linguæ & uenarum quæ ſunt in ea & eſt ſimilis ranæ &c. De batrachi curatione.

Conſyderandum in primis eſt num in puerulis an in perfectæ etatis hominibus cura fieri debeat, nam ſi in puerulis tunc collutiones tantum conueniunt ſi uero inmaturis hominibus tunc primum ſectio uenæ ſub lingua & ſi ranunculus magnus fuerit,oportet ut ſcindatur & extrahatur,uerum in primis experiundæ ſunt medicinæ corroſiuæ inciſiuæ ac reſolutiuæ,deinde ſi nihil profeceris,nil erit quod ab operatione manus te excuſet,medicinæ igitur in principio parantur ex ſale ammoniaco & gallis & diu fricetur locus,deinde,flore æris dragaganto & ſimilibus uti poteris &c.

Loci conſentientes de batrachi curatione.

Aet.ſer.8. cap.37. In cura hoc diſcriminis eſt ut aliter in pueris ac imperfectæ ætatis hominibus medendum ſit, ſi quidem ijs ſectio uenæ ſub lingua illis uero collutiones tantum conueniunt,lege de his Paul.lib.3.ca.cit.

Auic.ſexta tertij,cap.18. Eperiantur in ipſa medicinæ corroſiuæ inciſiuæ reſolutiuæ in quibus eſt ſuperflua exiccatio

ut sal ammoniacus & fricatio cum flore æris & dragant & administrentur phlebotomiæ sub lingua & medicinæ fortis alcola, si autem non ualuerint, non erit excusatio ab operatione manus &c.

De aphthis .i. oris ulceribus.

Quas græci ἄφθας dicunt Auiciniani alcola, nos pustulas in superficie oris appellamus &c.

Loci consentientes de aphthis.

Gal. 6. de comp. med. per loc. cap. 4. Aphthæ sunt ulcerationes in superficie oris obortæ habentes quidpiam caliditatis igneæ &c. Aet. ser. 8. cap. 39. idem refert.

Auice. sexta tertij, cap. 23 agit de his sub nomine alcola & ulceribus malignis &c. Vide Hippocra. 3. aphoris. aphor. 24. ibi, In etatibus talia cōtingūt paruis & nuper natis puerulis, oris ulcera quæ aphthæ uocantur &c.

De causis aphtharum, i. oris ulcerum.

Fiunt aut a lacte nutricis uitiato, aut ex humorum uitiosorum ad os influxu aut ab acredine eorum quæ bibuntur ac comeduntur &c.

Loci consentientes de causis aphtharum.

Gale. 6. de comps. med. per loc. cap. 4. fiunt ut plurimum pueris lactentibus quum uitiosum fuerit nutricis lac, aut non probe ipsum concoxeris infans &c.

Auice, sexta tertij, cap. 23. Non accidunt eis nisi propter malitiam lactis, aut malitiam digestionis eius in stomachis ipsorum & quandoq; accidit ex humore omni.

Aet. loc. cit. Fiunt etiam in his qui ad perfectam ætatem peruenerunt tum propter uitiosorum humorū ad os defluxū tum propter acredimen eorum quæ bibuntur ac comeduntur &c. lege aphor. 3. Gale. comm. 24. ibi, causa harum nil aliud est quam mollities instrumentorum quæ neque tactum neque

lactis sustinent qualitatem & comm.32.eiusdem ubi inquit a substantiam tenuem habentibus & a mordacibus humoribus fieri &c.

De aphtharum indicijs.

Cognoscuntur ex tactu et uisu aphthæ, ex tactu dum calor & tumor excitantur, uisu cognoscuntur ob colorem, nam albus pituitam flauus bilem, rubeus sanguinem & niger atram bilem significat &c.

Loci consentientes de aphtharum indicijs.

Aet.ser.8.cap.39. Cognitio omnium facilis est ut pote uisui & tactui subiecta, ad tactum quia calidiores quam expediat loci sunt, tumoresq; excitantur, uisu uero cognoscuntur ob colorem, nam rubicundiores a sanguine &c.

Auice.sexta tertij, cap.23. Cognoscitur ex colore suo, albũ enim est phlegmaticum ex phlegmate salso in pluribus & citrinum est cholericum uehementis inflammationis quam alia & nigrum est melancholicum & rubeum clarum est sanguineum &c.

De cura aphtharum.

In primis curandum est ut humor ex quo ulcerationes fiunt statim euacuetur, deinde fiat uenæ sectio, nam in his ulceribus maxime conducit, quibus peractis, tunc si sub rubræ fuerint ulcerationes, uti oportet refrigerantibus & moderate adstringentibus a principio præsertim & in puerulis, Deinde his quæ citra mordacitatem discutiunt, si uero subflauæ fuerint, tunc similibus utendum sed frigidioribus, si nigræ discutientibus &c. In adultis uero efficatioribus remedijs utendum &c.

Loci consentientes de cura aphtharum.

Auic.loc.cit.cap.24. Oportet ut intendatur primo humori dominanti & facienti alcola et euacuetur ex corpore toto si est dominus, deinde phlebotometur ex uenis quæ sunt sub mẽto. Phlebotomia enim confert omnibus ægritudinibus oris calidis &c.

Gale. 6. de compo. med. per loc. cap. 4. Quæ in superficie tantum sunt, facile ex moderatæ adstringentibus curantur, quæ uero diuturna & depascentia sunt, fortioribus remedijs utendum Aet. ser. & loc. cit. Si subrubræ infantium ulceratio nes fuerint a principio cum his quæ mediocriter adstringunt & refrigerant, deinde his quæ citra mordacitatē discutiunt, si subflauæ ijsdem similiter utendum, uerū magis frigidis &c. Vide fusius.

Obseruatio in cura aphtharum.

Auic. sexta tertij, cap. 24. Et oportet ut alienet omnia olea usquæ ad oleum de oliuis &c.

Aphthis nocentia.

Nocent ori & palato quædam speties braßicæ & cappa rorum, lacticinia melongia nuces raphanus.

Aphthas curantia.

Ad ulcera oris prosunt absinthium, omphacium, alumen, butyrum, camomilla, camphora, acatia, aloes, berbena, lutum armenum, plantago, rosa, rubus, spodium, dragagantum cum amylo & aqua ros. dissolutum, granata mala, galla, oliua, mal ua, litium, lac, aphodillus &c.

De aphtharum pronosticis.

Auic. loc. cit. cholericum est uehementis inflammationis, sed omnibus malignius est melancholicum siue cum apostemate siue singulare sit. Et omne ulcus eueniens in superficie oris est uelox ad dilatandū. B. scito ulcera in temporibus pluuiosis & in febribus pestiferis multiplicari, quod uero, ulcus facile dilatetur, ut ait Auice: ex eo forte contingit, quod locus in quo ulcera fiunt caliditate non deficit, & cutis mollis & humida facilius ulceratur. Paul. lib. 1. cap. 10. Quod modo crustæ nigræscit, omnium perniciosißimum & lethale est &c.

Finis Secundi Libri.

IOANNIS BACCANELLII.
MEDICI REGIENSIS,
De Consensu Medicorum, in curandis morbis.

Liber Tertius.

De tonsillarum collumellæq; inflammationibus.



Onsillæ alias glandulæ ob quandã glandis similitudinem, a tole qui authore festo est faucium tumor, dictæ sunt, fiuntq; circa columellam ex utraq; parte infra fauces & Græce παρίσθμια & arabice amygdalæ uocantur. κιονὶς uero siue gurgulio, uel columella (quanquam gurgulio proprie pars sit gutturis a naribus ad pulmonem constans ex cartilagine et carne per quam spiritus meat ac remeat) accipitur tamen pro columella caruncula, quæ dum summa existit, gurgulio dicitur, dum uero columnæ instar propendit, columna uel columella, hæc dum superius angusta est & inferius rotunda, ob uuæ similitudinem uua et uuula dicitur dum uero gracilescit, uel ab influxu humido laxior euadit, tanquam loro similis pendens, lorum dicitur.

Loci consentientes de tonsillis & gurgulione.

Gal. aphor.3.comm.26. Tonsillæ sunt locorum ad isthmũ attinentium inflammationes. B. intellige per isthmum partẽ illam quæ os & gulam interiacet dicta per methaphoram. Aet. ser.8. cap.40. gurgulionem quidam collumellam appellant, uuæ uero nomine accipienda est quædam in eo affectio, quum uuæ acino simile summum gurgulionis apparet, lorum uero aliam affectionem uocant, quum ex suffitu, nimium ignĩ

tus

tus gracilescit & loro similis propendet &c.

Gale.6.de compos.med. per loc. cap.3. Columella carnosa quædam est particula in summo ore dependens, quæ duobus nominibus appellatur, a ueteribus græcis gargareon & cion. i.gurgulio et columna quanquã non cion, sed cionidem posteriores medici.i.columellam uocarint, nec dicenda uua est quũ sit hæc gurgulionis affectio &c.Gale.aphor.3.comm.26.Tonsille sunt non nunquam solius tunicæ uentri ac gulæ & faucibus totiq; ori communes inflammationes, nonnunquam uero & subiectorum ipsi musculorum &c.

De causis tonsillarum & gurgulionis.

Omnis inflammationis causa procatarctica est uel nimia meri potio, multaq; ciborum maxime acrium deuoratio, causa uero antecedens est humorum influxus, uel humores liquidi, quibus lingua larinxq; et aspera arteria humescere solent, ad malignum redacti, uel uapores ipsi a febrili calore concitati ac elati, causæ coniunctæ sunt humores ad actum inflammationem reducentes &c.

Loci consentientes de causis tonsillarum.

Gale.6.de compos.med.per loc.cap.3. Fiunt hæc quemadmodum dictum est de alijs inflammationibus ex humorum influxu &c. Aet.ser.8. cap.45. Tonsillarum inflammationes plerunquæ fiunt a nimia meri potione et a multa ac auidiore ciborum deuoratione maxime acrium & asperorum fiantq; ijs maxime qui plurimo abundãt sanguine uel pueris qui texturam habent teneram. Auic.nona tertij, cap.12. Illis quandoq; accidit catarrhus apostemans eas (nam de columella loquitur) ita ut prohibeat anhelitum & quandoq; mollificatur uua præter apostema & indiget eo quod adstringit &c. B. scias ꝙ arabes quatuor uuulæ morbos enumerãt et sunt apostema, ulcus, corrosio, & casus, apostema fieri potest, a quacunq; ma

teriæ ulcus, tantum a materia ulcerante, corrosio a multa & acri materia, casus a sanguine uel a pituita gurgulionem remolliente.

De columelle indiciis.

Cognoscitur facile per uisum si lingua deprimatur, uel si æger in radice linguæ aliquid insistere sentiat difficultas præter hæc deglutiendi adest, item dolor & interdum febris, cognoscuntur humores ex eorum coloribus, apostemata uero ulcera & corrosiones per se ex uisu manifestantur &c.

Loci consentientes de columellæ indicijs.

Gale. 6. de compos. med. per loc. cap. 3. Cognoscitur hoc si quis aperto plurimum ore toto linguam deprimat &c.

Aet. ser. 8. cap. 45. In tonsillarum inflammatione accidit difficultas transglutiendi, dolor et aliquãdo etiã febris &c. Vide in hoc Auice. qui tantam deglutiendi difficultatem interdum esse inquit, ut æger digitis suis eam cõprimere cogatur, donec transglutiat & hoc præsertim fit quum tonsillæ & columella plus iusto humiditatis recipiunt uel laxantur uel inflammationem experiuntur.

De cura tonsillarum & gurgulionis.

Si ex inflãmatione periculum immineat, primo euacuandum per sectionem uenæ cubiti, deinde reuellendum ac deriuandum cum cucurbitulis collo ac mento affixis & cum gargarismis, primo leuiter adstringentibus postea ex decocto furfur, passularum paratis quod si ad suppurationem uertantur tonsille, tunc fiant gargarismi ex decocto caricarum & aqua mulsa, si uero augescat morbus uenæ sub lingua seccentur, aluusq; subducatur, postquam pharmacis acribus multũ discusorijs utendum est, si uero quispiam sectionem gurgulionis moliatur, reuera præstantius est cauterio gurgulionem resecare quam ferro, si quidẽ nullo potiore remedio tota humiditas ad illam extremitatem defluxa exiccabitur quam caute

rio, ustionem siue incisionem faciendam denotant uuulæ attenuatio & si ab extremitate eius resudet ueluti pus & liuiditas eius partis appareat &c.

Loci consentiẽtes de cura tonsillarum & gurgulionis.

Gale. 6. de compos. med. per loc. cap. 3. Comuniter tum tonsillis tum columella inflammatis aut exulceratis in principio conuenit quies inedia & consequens dieta gargarismi simplices leuiter adstringentes, in uigore morbi aluus subducatur, gargarismi ex decocto ficuum aut ptisanæ succo in quo passulæ sint incoctæ, si uero tonsilæ ad suppurationem ueniunt, gargarismi fient ex decocto ficuum aut aqua mulsa calida, si amplius augescat malum et principium suffocationis suspectum sit, aluus forti clysteri uel glande subducatur, Vena cubiti secetur, cucurbitulæ cum scarificatione collo ac mento affigendæ, fomentis ac cataplasmatis frequentius & gargarismis utendum, quod si morbus ad nullum horum præsidiorum cedat, sed augeatur uenæ sub lingua secetur, aut iuxta angulos oculorum uel ea que in frõte est &c. De sectione gurgulionis loquitur Hippoc. pronost. 3. cap. 9. tex. 13. ibi, gurgulio cũ periculo secatur, aut uritur, & scarificatur quandiu rubidus fuerit & magnus, nam inflammatio ad hæc consequitur & sanguinis eruptio, sed hunc oportet alijs medicamentis extenuare, ubi uero seperatum fuerit quod sanè uuam uocant, extremũq; gurgulionis maius & liuidum fuerit superior uero pars tenuior, in hoc sane tempore tutũ est manus admolliri, præstat autem aluo prius euacuata manũ adhibere si tempus permittat et homo non suffocetur &c. Auice. nona tertij, cap. 15. Consyderetur uuæ subtiliatio & detumitio & proprie in inferiore parte eius, et si ingrossatur extremitas eius, & resudat ex ea sicut pus tunc est melior hora incidendi cum ferro aut medicinis cauterizantibus &c. B. Quoniã uocis plectrũ

est columella ut Gale. de usu partium, & in eius incisione sequitur quandoq; sanguinis profluuium, fitq; ex eius abscißione frigidior inspiratio, inde est ut thorace & pulmone refrigeratis quandoq; multi intereant, idcirco cautius procedendum arbitror, nedum partem sanare cupimus maius nocumentum inde sequatur. Habes etiam remedia per omnia morbi tempora ex Aeti. serm 8. cap. 45. & a Paulo lib. 3. cap. 26. Vide & alios practicantes &c.

De angina & strangulatione.

Angina quæ a græcis, συνάγχη, dicitur, est musculorum faucium interiorum inflammatio, qua fauces anguntur & strangulantur, anhelitum uel deglutionem impediens, Sicuti παρασυνάγχη, exterior, Hic morbus ab imperito medicorum uulgo deflexa uoce a synanchi, squinantia dicitur, dicitur tonsillæ etiam, quãquam plinius tonsillas ab angina seiungat, Strangulatio uero est subitus ob inspirationis defectum interitus, Angina quatuor habet differentias ut infra in Aet. uidebitur.

Loci consentientes de angina & strangulatione.

Gal. aphor. 4. commẽ. 34. Quum musculi gutturis anteriores una cum ambiente tunica inflammationem patientes uiam spiritus ualẽt intercludere medici talem dispositionem uocãt synanchẽ &c. Paul lib 3. cap. 27. Angina quæ συνάγχη a græcis dicitur, musculorum faucium interiorum est inflammatio sicuti parasynachi exteriorum. Auicã. nona tertij. cap. 8. Loquens de suffocationibus describit esse apostema in gutture anhelitum uel deglutionem uel utrũque impediens &c. Gal. aphor. 4 commẽ. 34. Strangulatio nil aliud est quã subitus interitus ob inspirationis deffectum, qui fit ex angustia alicuius instrumenti ex ijs qui seruiunt respirationi &c. De anginæ differentijs loquitur. Aet. ser. 8. cap. 47. Anginæ quatuor

differentiæ existunt, prima quum fauces inflammantur. Altera quum nec circa oris regionem, nec iuxta fauces nec forinsecus quicquam apparet, sed iuxta asperæ arteriæ extremum suffocatio ægrum angit, tertia, quum externa regio unà cum interna fuerit iuxta mentum inflammata, quarta, quum ceruicis uertebræ a suo loco excidunt, unde lingua a luxata uertebra ad suam radicem impulsa quandoq; ex suis proprijs locis excidit et difficultas respirandi magis infestat, unde aperto ore semper hiare atq; aerem attrahere æger cogitur &c. B. Præter has quatuor differentias a loco sumptas, sunt aliæ quatuor species ab humoribus sumptæ. s. a sanguine bile pituita atrabile quamuis raro hæc ultima ob sui crassitiem eueniat, Speciem uero, quæ ex luxatione ceruicis uerticuli contingit, caninam suffocationem uocat. Auicē. ad similitudinem canis qui aperto ore uehementer ex lassitudine anhelat. Vide Gale. 2. prorrhet. commē. 54. & aphor. 4. commē. 35. De alijs anginæ speciebus mentionem agit Hip. & Gal. 3. pronost. tex. 16. & ibi quid sint fauces euidenter exponit, Similiter apho. 4. commē. 34. Inter gulam & guttur spatium fauces nominat &c. Lege de speciebus anginæ. Gal. 4. de loc. aff. ca. 3. circa finem &c.

De anginæ causis.

Causæ procatarcticæ sunt ciborum facultas qualis est potus frigidæ, ebrietas nimia satietas frigiditas aeris et quæcunq; ex respiratione attrahuntur mala. Causæ antecedentes, sunt totius uel partis repletio, aut partium quæ circa fauces gutturisq; existūt, uel humores fluētes ut sanguis bilis pituita &c. Causæ coniunctæ sunt humores anginam actu facientes qui partim fluxi sunt partim fluunt, ex quibus binæ species pullulan, Altera. s. a glutinosa frigidaq; fluxione, Altera uero a calida et acri &c.

Loci consentientes de causis anginæ.

Aet. ser. 8. cap. 47. Anginæ causæ multæ sunt, frigiditas ma

gis quam ardor & plagæ & ex piscibus ossa ad tonsillas impacta & potus frigidæ & ebrietas, nimia satietas & quæ ex respiratione attrahuntur mala Auice. nona tertij, ca. 8 Et quandoq; causa est propter quosdam cibos &c. Et subdens causam antecedentem inquit q̄ nõ est semper repletio totius corporis, nec superabundat superfluitas nisi in membris uicinis gutturi & facit euenire apostema &c. Et subdit quandoq; accidunt ex sanguine uel ex cholera rubra, aut ex phlegmate, Raro uero ex melancholia. De causis coniunctis loquitur. Gale. 4. de Vic. rat. in mor. ac comm. 30. Ethip. eodem in loco, ibi, Synanchus. i. angina fit quum hyeme uereq; fluxio multa & uiscosa ad uenas iugulares defluxerit &c. Vnde Gal. fluxionum quæ a capite deferuntur, quædam sunt substantia tenues, Aliæ ex crasis uiscosisq; humoribus fiunt. Tenues penetratis latis uenis in angustioribus detinentur. Crassæ uero contrarium obtinent, ut in latis contineantur, strictas penetrare non ualentes quum igitur in faucium uenis tales impacti fuerint humores, pars in tumorem attolitur &c. scias q̄ quum nerui & ligamenta ad partes inflammatas extenduntur tunc uertæbræ uel intra uel ad latus, ob eorum copulam qua simul coniungũtur cito uertuntur. Et de his lege Gal. aphor. 4. comm. 35. et Aetiũ in præallegato loco &c. Vide etiam Gal. aphor. 3. comm. 22. ubi anginam fieri inquit ex biliosis humoribus qui ad fauces autumno decunbunt, et a pituitosioribus qui uere cum orthopnea accidunt &c.

De anginæ indicijs.

Indicia anginæ sunt, difficultas spirandi, febris, genarum rubor, deglutio inpedita, dolor circa guttur, tumorq; non extrinsecus apparẽs, interupta uox, Fluxionũ humoris indicia sumuntur a colore a dolore, & a sapore, cognoscuntur a colore, si rubidus flauus albus liuẽs humor fuerit, a dolore, si gra

nis tensiuus pulsatilis ut in sanguine, si ponctorius ac mordicans ut in bile, si paruus et obtusus ut in pituita &c. a sapore, si dulcis ut a sanguine, si amarus a bile, si salsus uel insipidus a pituita, si ponticus ab atrabile &c.

Loci consentientes de anginæ indicijs.

Paul. lib. 3. cap. 27. Anginæ notæ sunt, spiritus recta ceruice uix trahitur, nonnullis febricula oboritur, faciei rubor, æger ore coniuet cibũ potumq; deglutire non potest. Gal. 3. predict. comm. 16. quia inflammatione uexantur musculi in gutture, merito dolore afficiuntur &c. Hip. 4. de uict. in mor. ac. tex. 30. Præterita quæ intuenti apparent haud quaquã tumentia uidentur, tẽdinesq; ceruicis posteriores tendũtur uoxq; ἀπεῤῥωγε. i. abrupta est &c. Auice. ipse inquit q, uidetur loqui cũ naribus additq; exitus amborũ oculorum & egreßio lingue, lege fusius de signis quando extrinseci laborant musculi, quando ue intrinseci &c. De indicijs fluxionum humoris. Lege Auic. nona tertij, ca. 9. ibi, & signa eius q̃ est sanguinea &c. Similiter, ibi, et signa cholericæ et ibi signa phlegmatice sunt salsedo & sapor baurach &c. lege etiam Arcul.

De cura ipsius anginæ.

Curatio in remouenda antecedente causa triplicem scopũ exigit, Primo ut euacuetur, Secundo ut fluxio prohibeatur, Tertio ut reuellatur. Euacuatio fiet per sectionem uenæ usq; ad defectum animi, exclusiue, ni morbus inducias dederit, ualida maxime existente uirtute cum repletione copiosa, at ubi morbus moram fecerit partienda erit sectio uenæ, ita tamen ut nõ desinente morbo, primum a communi, deinde a cæphalica extraxeris. post hanc ad secandas sub lingua uenas te conferes, uerum si pauca fuerit repletio a cæphalica eiusdem lateris ad uenas sub lingua, incipies, deinceps si abundauerit bilis aluus soluenda erit cum bilem educentibus. Fluxio prohi-

beatur cum his quæ materiam incrassant, qualæ est diacodion et opiata. &c. Diuersio fiet per cucurbitulas frictiones enemata. Confert etiam diuersio per deriuationem. Curatio in remouēda causa coniuncta, siue phlegmone discutiatur, siue in pus conuertatur, tres etiam medendi scopos expostulat, Primus erit repercutiēs quæ repercusiua nisi facta euacuatione suspecta sunt, Secundus partim repellens partim discutiens esse debet maxime dum uiget morbus, Tertius discutiat tantum, & hoc a medio statu usq; ad morbi inclinationem, quod si ad suppurationem inflammatio uertatur, tunc aperientibus abstergentibus ac mondificantibus opus erit, at si patiens a dolore præmatur tunc anodinis ut gargarismis ex lacte caprino dolori ipso uacandū erit, Interim dieta sit tenuißima, sufficit. n. ut sumatur ptisana, uel panis in aqua decoctus et bibatur aqua &c.

Loci consentientes de cura anginæ.

Hip. 4. de Vic. in mor. ac tex. 30. sanguinem igitur ex brachijs detrahens mox uenas quæ sub lingua sunt secabis &c. Itidē adserit Paul. lib. 3. ca. 27. Auic. nona tertij, cap. 10. Oportet ut euacuetur in principio uniuscuiusq; materia faciens illud cum phlebotomia & solutione uentris & ut retrahatur materia adpartē diuersam saltem cum uentosis positis super loca longinqua opposita ei & ligatione extremitatum dolorosa &c. Lege in hoc Mes. & Paul. fusius. De cura causæ coniunctæ loquitur Mesu. cap. de synanch. ibi, distinguamus in administratione particularium operationum per tempora morbi, Nam in augmento sit magis uincens medicamen stypticū & prohibitiuum agitationis et discursionis rheumatis &c. Lege fusius nā præter has intentiones etiam remedia docet in omni tempore morbi oportuna Auic. Similiter loc. cit. ait, ibi incipiatur cum medicinis stypticis mixtis cum ijs quæ parum abstersionis habent et gargarizatio cum aceto est ex eis

quæ repellunt & prohibent attractionem humiditatis plurimæ, deinde fiat gradatio ad maturatiua &c. Et ca.2. Et quandoq; dolor sit fortior in principio rei, quare oportet ut stypticis admisceatur aliquid quod sedat dolorem sicut syrupus uiol. &c.

Paul. li.3. ca. 27. loquitur de uictu quum dicat cibus sit triduo aqua mulsa inde ptisanæ cremor cum dulci quadam potione, deinde & ouorum lutea &c.

Obseruationes de phlebotomia.

Mes. cap. de synan. sit principium nostrum a phlebotomia si morbus accidit ex plenitudine sanguinis, si uero cum sanguine abundet cholera præponimus euacuationē choleræ ad sanguinis detractionem, deinde facimus sequi phlebotomiam. Paul. lib,3. ca.27. Non uniuersim sed pluribus interpositis uicibus euacuetur, ne cumulata, uniuersimq; facta euacuatione, anima ipsis deficiente suffocationis periculum superueniat &c. Auic. nona tertij, cap.2. Idē adserit et Aet. ser.8. cap.47.

Obseruatio de gargarismatis.

Auic. loc. cit. Gargarismata postponantur, si illic est repletio & si fuerint gargarismata dolorosa sed administrentur post mundificationem &c. Mirum in modum laudantur etiā uentosæ super collum ad secundam uertebrā si deglutio fiat difficilis &c.

Obseruatio de repercussiuis.

Mesu. loc. cit. Repercußiua nisi facta euacuatione suspecta sunt, unde Gal.3. art. paruæ corpus, plenū existens repecußionem non recipit &c.

Obseruatio de uictu.

Auice. loc cit. Et prohibeatur nutrimentum, ut sit corpus eius utens sanguinis eius nutrimento, & conuertens ipsum a parte apostematis quare minorent cibum necessario aut uoluntarie &c.

Nocentia gutturi.

Nocent gutturi amylum, mustum, platanus, urtica, nux, pi

retrum, andachoca, &c.

Anginæ conferentia.

Anginæ conferentia, sunt acetum per se gargarizatum, omphacium, oxymel, agrimonium cũ uino, uinum granatorum, diamoron, rob nucũ, succus rubi, ebuli, anisum cum melle hyssopo & aceto, gargarisma, stercus canis ossa comedentis, uiola purpurea, hyssopus, Antirũ confectio hali. 27. antid. diaolibanum nic. diayrundinis. Auic. prima quinti, Philoniũ romanum Theodoricon magnum hali. 7. antid. Hiera archigenis &c.

De pronosticis anginæ.

Hip. aphor. 6. apho. 37. Ab angina habito si tumor fiat in collo bonum, foras. n. morbus deducitur, & similis sententia est. 7. aphor. phor. 50 Et ratio aphor. est quia satius est ex intimioribus & principalioribus membris morbos extrudi quam ediuerso. Hip. prædict. 3. tex. 16. Angina grauissima est ac celerrime interimit, quæcunq; nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit, sed plurimũ doloris infert, ac spirationis difficultatẽ, orthopneam dictã. Hæc. n. eodẽ die & 2. & 3. & 4. Strangulat, quecunq; uero dolorem alteri subsimilem infert, attollitur uero, ac ruborem in faucibus efficit admodum exitiosa sed paulo longior quã superior est. Paul. lib. 3. ca. 27. Pueris raro talis affectus accidit, nisi cum ceruicis uertebræ affectæ loco excidunt, uerũ illis ceu curã nõ recipiẽtibus ac deploratis manũ admoliri nõ oportet. B. Habes aph. 43. secũdæ sectionis strangulati ac dissoluti nondũ mortui nõ referuntur quibus spuma circa os fuerit, nam in ijs exitiale signum est spuma circa os uerum Gal. inquit nonnuli etiã strangulatorũ quibus circa os spuma uisa est relati sunt, unde etiã Auic. quum tamen quandoquæ accidat ut præfocatus spumet, deinde sanetur. Hip. aphor. 4. aphor. 34. Si a febre habito, tumore non existente in faucibus strangulatio repente superuenerit, lethale. B. Habes hanc met sententiam. 2. prorrhet. tex.

53.ubi inquit fauces dolētes &c. Ibiq; lib.huius author a Gal. damnatur. Et aphor.4.aphor.35.si a febre habito collum peruertitur & uix potest deuorare sine ullo tumore, lethale est. B. Vbi non uisitur tumoris uestigium dictum est inflamationē in gutture, uel in eius musculis esse, quare exitiale signum est, maxime quum febris adsit tanquam una ex causis mortem portendentibus unde Auic. Si cū præfocationibus uehemens febris fuerit tunc mors festinat quoniā febris facit ægrū magno anhelitu indigere &c. Et apor.5.aphor.10. Quicunq; ab angina liberantur, ijs ad pulmonem uertitur et in septem diebus pereunt si uero has effugerint, suppurantur, B. Dictum est ab Hip.2.aph. aph.19. Quod, acutorum morborum non sunt certæ prænuntiationes aut salutis aut mortis quia nonnunquam humor noxius ex uno loco ad alterum tranfertur, unde si angina ad pulmonem uertatur, uel interficit, uel in pus conuersa suppuratur, si ad cor omnino ægrum perdit, Aui. 9.tertij cap.9. quum autem facies sit uiridis & denigratur situs oculorum; tunc ipse moritur, Similiter quando minoratur pulsus & infrigidantur extrema & grossitudo linguæ & ipsius denigratio sunt ex signis malis &c.

Hip.prædict.3.tex.20. Securissima est angina, si rubor quā maxime foras uertatur Et prædict. primo fauces dolentes tenues cum quadam difficultate strangulantes uelociter exitium afferunt &c.

Authores erronei dissentientes circa Anginam.

1 Adserere ab inflammatione asperæ arteriæ strangulationem posse effici.

2 Adserere, in gutture nullum posse fieri tumorem absque dolore.

3 Adserere, in angina non conducere repercussiua, ne materia introcludatur.

4 *Adſerere, anginam pluries fieri à pituita quam ab alijs humoribus.*

5 *Adſerere, ſectionem uenæ in omni angina non conferre.*

Confutatio diſſentientium circa Anginam.

Ad primum Gale aph.4 commẽ.34. Aſperæ quidem arteriæ Inflammatio difficultatem ſpirandi aliquam efficere poteſt, ſtrangulationem uero non poteſt.

Ad ſecundum Gal. eodemet comen. quum tumorum triplicem differentiam enumeraſſet, poſtea infine comenti inquit poſſibile eſſe multitudine humiditatis pituitoſæ præcipue, madefaciente tunicam gutturis interiorem, aliquem fieri tumorem abſque dolore.

Ad tertium Reſpondet Auic.9.tertij cap.10. & gargarizatio cum aceto eſt ex eis quæ repellunt & prohibent attractionem humiditatis plurimæ, hæc tamen non conduceret ſi materia eſſet craſſa ac tenax, uide tamen de his ſupra in obſeruationibus &c.

Ad quartum Gordonius & Gilbertus anglicus & Gerardus de ſolo ſuper. 9. almans.cap. de ſquinantia dicunt quod apoſtema hoc fit ſecundum plurimum a ſanguine & raro a pituita, præterea quũ hæc inflamatio ſit & morbus per acutus a frigidis fieri nequit, igitur non pluries fit a pituita.

Ad quintum Auicẽ.9.tertij cap 10. oportet ut euacuetur in principio uniuſcuiuſq; materia faciens illum cum phlebotomia, præterea ſi non euacuatiua ſaltem reuulſiua, in omni anginæ ſpetie conueniet, habes etiam de hoc ſupra plures authoritates &c.

De deſtillatione grauedine & raucitate.

Deſtillatio a Græcis κατάρρους *dicta, nil aliud eſt quam ſuperabundatis humoris ex capite in partes ſubiectas fluctio, Differt a bronco qui raucedo & a coryza quæ grauedo a la=*

tinis dicitur, eo q catarrhus fauces, & palatum obtineat, Bronchos guttur ac arteriam Coriza uero nares tantum mol lestet, has speties destillationum Gerardus quidam his duo- bus uersibus explicuit.

Dum fluit ad pectus dicetur Rheuma catarrhus
Ad facuces bronchos ad nares dico corizam.

Loci consentientes de destillatione gra- uedine & raucitate.

Paulus lib 9. cap. 28. cōmunis est omnibus uitijs excremen tiæ humiditatis ex capite in subiectas partes descensus, si in nares defluat κορυζα, si per palatum ad nares καταρρος, Si in guttur & asperam arteriam ita ut membranam interiorē exasperet βρογχος & αρτηριακον a græcis dicitur, Si fluctio in pectus pulmonesq; decunbat tussis siue ut ipse inquit βηχες αὐτοις γινονται κακ. ηθεις &c. Gal. 6. de simpt. cau. cap. 4. De stillatio est per palati foramina multorum humorum de latio &c. Vide etiā Aet. Ser. 8 cap 51. & Gal. 2. pronost, cōmē. 49. ibi umorem de naribus secretum tenuem et incoctum omnes medici grauedinem nominare solent &c.

De causis destillationis grauedinis & raucedinis.

Causæ procatarcticæ sunt aer frigidus, mora sub radijs lu næ, Septentrionales uenti dum humiditates exprimunt, Simili ter aer calidus, uenti meridionales caput replentes & humi ditates liquefacientes, Item somnus coitus et omnia ad caput euaporantia ad ipsum replentia, sicut ebrietates & crapulæ exercitium & ira, Causæ antecedentes sunt uel per se uel per consensum, Per se sunt humores superflui in capite existētes, Intemperies calida frigida & humida, per consensum sunt aut a toto corpore ut in febribus humorem eliquantibus, aut membro particulari, ut a stomacho indigerendo debili & à reliquis mēbris, Causæ coniunctæ sunt humor actu fluens qui

ſepe eſt calidus ſubtilis interdum craſſus & frigidus &c.

Loci conſentientes de cauſis deſtillationis.

De cauſis procatarcticis lege comm.aphor.5.lib.3.ibi,Auſtri caput aggrauantes caliginoſi &c. Item aphor.12. &.13, eiuſdem lib.ibi, in comento inquibuſdam uero coacto in unũ & cumpræſſo quodammodo capite expræſſa materia inutilis ad loca capite inferiora deſcendit &c. Aet. Ser.8.cap 53. Deſtilationis & muci cauſa eſt cerebrum quod a frigore ad frigidam intemperiem perducitur &c. nam in hoc loco anumerat omnes alias procatarcticas cauſas a me ſuperius deſcriptas,Gal.6.de ſympt.cau.cap.4.Deſtillationis & grauedinis cerebrum ſtatim cauſa eſt ut pars quidem ſimilaris uel a frigore uel a ſolis ardore ad intemperiem redactum,ut Inſtrumentum uero quatenus a plenitudine infeſtatur, Lege latius Meſ. de cura catarrhi ibi Auſterarum facit ac replet caput &c. Lege ſimiliter Arcul comm.almans.cap.de catarrho,Itẽ Gor.Sauon. &c. De fluxionum cauſis lege Gal.2. de diff.feb. cap.2. Nam ibi, ex parte laborante binas cauſas intelliges, Alteram ex accenſa caliditate, Alteram a dolore excitato, Vnde minus plus ue attrahitur quod influit,Nã ſi uehemẽtior fuerit calor multum attrahit,ſi minus tunc debilius,Similiter & in dolore,Ex parte uero mittente, Nam ſi pars mittens minus ſuperfluitatibus abundet, parum aliquid attrahenti parti Immittit,Si uero plus materiæ inutilis habeat,tantũ ingerit amplius quanto plus a naturæ modo receſſerit &c.

De deſtillationum inditijs.

Id ſcias uelim ꝙ deſtillationum indicia ex capitis intemperie ſiue calida ſiue frigida ſumi poſſunt,Item a ſapore,odore, calore, & ab ipſius ſymptomatibus,ut gratia exempli,Si caput calidæ fuerit temperaturæ,facies rubeſcit uel flaua eſt, ſi uero frigidæ erit alba et pallida A ſapore,ut ſi quod influit

acris aut salsi, aut amari uel fetentis quidpiam habuerit, calidam censeto, Si insipidi uel dulcis frigidum Acolore ut quod rubescit, uel flauet, calidum, quod albescit uel liuet frigidum Asymptomatibus, ut si adsit ardor punctio siue mordacitas, calidum, Si nullius sensus particeps cum grauitate & nariũ obstrictione, frigidum. Relinquo ea etiam inditia quæ sumi possunt ab his quæ iuuant & nocent sed ad differentiam quæ est inter tenuẽ et crassam destillationem nunc transeo, Tenuis igitur cognoscetur ex eo dum expuitur, ꝗ labilis sit et fluens, at, e, conuerso crassa inglobum uertitur & in se permanens non fluit, Si quid uero in medio crassum et incircũiancetibus partibus tenue fuerit, tunc Iudica destilationem omnino esse tenuẽ, quum hæ partes ad crassitiem nondum deuenerint. Signa ꝗ destillatio sit a toto sunt quia in febriũ augmento augetur & in earum remissione remittitur, Similiter de particularium partium consensu intelligendum est, Signa per essentiam in capite sunt si diu perseuerauerit destillatio, nec adsit aliarum partium morbus de quo suspicari possit &c.

Loci consentientes de indicijs destillationum.

Paulus lib. 3. cap. 28. Qui ex æstu grauedinem uel destillationem concipiunt ijs particulæ incalescunt, acris tenuisq; humor tum per nares tum per os descendit facies rubescit & nasus, Qui ex frigore, ijs frons & caput undiq; distenditur meatusq; & moides dicti clauduntur &c. lege de his Auice. & Arcul. Mes. & Razem fusius & inuenies plura quæ tuo arbitrio huc traduces &c.

De cura destillationum.

Sex in catarrho requirunt medendi intentiones Prima regiminis regula. 2. erit catarrhi alteratio siue digestio. 3. euacuatio. 4. Diuersio 5. catarrhi interdum fluentis retẽtio. 6. accidẽtium correctio ac capitis roboratio regimen erit in catarrho

calido si calida omnia uitentur et ea quæ etiã cerebrum debi=
litare posunt in frigido, Somnus lõgus & meridianus et supi
ne dormire in frigido malus est, Digestio siue humoris præ=
paratio in calido cum frigidis incrasantibus sicut cum syrupo
uiol. de Iuiubis de papauere mirtino cum aquis farfaræ endi
uiæ aqua ordei et similibus parabitur. In catarrho frigido si
crassa fuerit materia cum calidis attenuantibus sicut cum sy=
rupo de glycyriza de hyssopo de praßio oxymelle simp. &
comm. posito, cum aquis cap. uen. saluiæ Decocto pecto=
rali calido, euacuatio in calido fiet cum fructuum decocto
caßia mana rheubarbaro & cum pillulis Aureis Agregati=
uis de hiera simplici, Infrigido cum pillullis de hiera cum
agarico polypodio Turbit pillulis chochijs &c. uitetur se=
ctio uenæ si poßibile fuerit si minus: fiat a uena communi.
Diuersio siue reuulsio fiet per caput purgia, Masticatoria &
cauterizantia, uel per fricationes lotiones, iuncturarum liga=
tiones cucurbitulas & hirudinum applicationes, Caputpur=
gia fiunt per liquores per nares attractos ut puta in calido
cum aqua uiollacea uel hordei &c. Infrigida cum aqua maio
ranæ cum succo blitis, Decocto nigellæ ireos uel cyclaminis,
Cauteria fiant incomissura coronali uel inhumeris, Retentio
catarrhi quæ fieri non debet nisi maxima urgente neceßitate
pluribus medijs pficietur primo cũ stypticis ut cũ boloarme
nio spica olibano secũdo cũ his quæ a proprietate incrassant
ut cum Iuleb uiolaceo Zucharo uiolaceo penidijs, diadraga
gãto loch de papauere, Diacodione liquido pilulis bechichijs,
tertio cũ gargarismis ex aqua rosacea aceto sandaraca &c.
uel cum pillulis de cynaglos. Remotio symptomatum erit, per
ea quæ malam capitis intemperiem siue calidam siue frigidã
remouere possunt, Roborabitur deinceps caput in causa fri=
gida cum confectione pliris arcoticon nic. cum diamusco, in
causa

causa calida cum electuarijs frigidis &c.

Loci consentients de cura destillationum.

Mesu.cap.decat.commune est sex res, prima ponit studiũ in uita patientis.2.adæquat materiam.3. abscindit eam.4.diuertit.5.abscindit fluxum eius.6.corrigit accidentia & de his singulatim agit ut latius uideri potest.Hercul & Marcus catinarius de his etiam fusius per tractant, Videant in sua praxi qui optant rem medulius introspicere,De Reuulsione euacuatione & deriuatione loquitur Gal.4.Meth.cap.6.ibi Destillationem fluere incipientem ad contraria trahendam esse dicimus, fixam uero in laborante particula euacuandam,Similiter meth.5.cap.2. Quæ uero in oculis aure palato fluxiones accidunt eorum aduicina deriuatio est per nares &c. Hinc etiam elice quot modis fiat reuulsio, Lege etiam Aet. Ser.8. cap.53.ibi expedit fontem malorum exscindere sanato uidelicet capite &c. Obseruationes in cura.

Gal.3. de loc. aff.cap.5. Dicit exemplificans de grauedine & destilatione ꝙ qualitas et quantitas excrementorum atque causarum,quæ præcesserunt contemplatio & capitis dispositio siue calida ut in ustione,siue frigida in refrigeratione, primum a te consyderentur,quæ nisi discrete cognoueris,idoneam dispositioni curationem haud quaquam inuenies.

Obseruationes in phlebotomia.

Mesu.in cur. cat. phlebotomiam non nisi intribus casibus fieri poße adserit.primus si destilatio calida fuerit cum multa sanguinis copia in corpore calido, secundus si calida descendens in aliqua principali parte figatur ut in oculis pulmone diaphragmate, tertius si cum febre & maxime continua fuerit destillatio, ita ut in uenis putrescere humores existimentur,in cæteris uero nequaquam.

Obseruationes de gargarismatis.

Mesu. suspecta sunt gargarismata in quatuor casibus. pri. Si est suspitio catarrhi ad pectus et pulmonem fluentis. i. in paratis ad phtisim & asthma. 2. si sit de genere subtiliũ acutorum & mordicantium, eo q; facile cum gargarismis concitatur. 3. in præfocationibus quæ fiunt cito. i. in paratis ad suffocationes. 4. si sit uehementis multitudinis.

Obseruationes in diuersionibus.

Marcus catin. in cur. cat. inquit nota q; caputpurgia et sternutatoria non debent a principio fieri, Sed factis euacuationibus, quia per ista fit motus & agitatio &c.

Mesu. Securius est regimen diuersiuum quam abscißiuum & licet regimen diuersiuum dilatet materiam & multiplicet, tamen multiplicatam conuertit ad partem commumem non timorosa &c.

Obseruationes in abscisione catharrhi.

Mesu. Et sunt ex stolidis qui ante digestionem & mundificationem communem, administrant abscindentia catarrhi, et sunt causa cumulationis & multiplicationis ipsius, Fiant igitur post mundificationem & sedationem agitationis uehemẽtis, In aliquibus tamẽ casibus in principio fieri potest, primo si ad partes nobiles reperet, aut catarrhus esset præfocatiuus &c.

Catharrho conferentia.

Conferunt catarrho Auellanæ assatæ cum piperæ sumptæ Betonica, bolus Armenius, cinamomum gramẽ, lac caprinũ, grana lauri, Manna, Myrrha, Vitella ouorum sorbilia, fumus sandaracæ, laudani, et aspalti uapor, suffumigium utriusq; storacis retinet catarrhum, item suffumigium uernicis, sebesten & hissopus, Acharistum nic. confectio de iacur Mes. Phylonium romanum Auic. loch de papauere Pilulæ pro catarrho mes. 10. antid. Pilulæ de papauære mes. Rob de nucibus Mes. 5. antid. Rob de papauere hali. 19. antid. syrup. de papauere etc.

De pronosticis destillationum.

Hip. aphor. 2. aphor. 40. *Raucedines & grauedines in ualde senibus concoctionem non admittunt.* B. *quia frigiditas illa ex senili ætate acquisita, reprimi non potest, imo & in quibusdã iuuenibus difficulter concoquuntur.* Hip. *prædict.* 2. *tex.* 49. *Grauedines & sternutamenta per omnes morbos qui in pulmone fatigent præire & subsequi malum est &c.* B. *Ratio est quia, si grauedines sint signa, indicant pulmonem malis humoribus repleri, si uero sint causæ sunt etiam malæ ex eo q, ab alijs affectionibus prauis comittantur. Lege etiam pro his aphor.* 12. & 14. & 31. *libri tertij aphoris. & plura intelliges de pronosticis &c.*

Authores dissentientes circa destillationes.

1 *Adserere, sternutamenta indestillatione esse salubria.*

2 *Adserere, cum Artemide medico plumbea lamina prouocetremula pectori esse applicanda.*

3 *Adserere, Destillationes tantũ uocari quæ ex capite per asperam arteriam ad pulmonem feruntur.*

Confutatio dissentientium circa destillationes.

Ad primum Gal. *prædict.* 2. *comm.* 49. *sternutamentum sequitur grauedines magna ex parte, sed sane concutit thoracẽ & uitiat pulmonẽ, igitur indestillatione non est salubre, quia ex suo motu efficit, ut materia a capite ad subiectum pulmonem descendat, uel signum est in salubre ostendens per consensum etiam affici cerebrum ut ibi*, Gal. *Ad secundum* Hip. 5. *aphor.* 24. *aphor. frigida qualis est nix & glaties pectori inimica tusses mouent & destillationes &c. Sed plumbea lamina sunt huiusmodi igitur pectori non applicanda, Ad tertiũ* Gal. *aphor.* 3. *comm.* 12. *non quas communi uocabulo destillationes consueuimus nominare, quæ scilicet fiant ex capite ad pulmonem per asperam arteriam, sed omnes fluxiones, quæ*

feruntur per uenas a capite ad partes inferiores &c. s. uocamus destillationes &c.

De tussis definitione.

Tussis βηξ *græce dicta, est quodã aggregatum ex duobus motibus. s. dilatatione & constrictione impetuosa pulmonis & pectoris, ad expellendum nociua, a uirtute expulsoria naturali pulmonis facta, cum adiutorio diaphragmatis,* Nam *tussis ita pectori inest, sicuti cerebro sternutamentum ut per eam nocumentum a pulmone expellatur & a membris quæ per pulmonis consensum patiuntur &c.*

Loci de tussis definitione.

Gal. 5. de sympt. cau. cap. 4. Tussis nil aliud est quam uehementissima efflatio, qua plurimus spiritus celerrime foras erumpens impetu suo extrahit exploditq; excrementa meatuum ipsius obstruentia &c. Auic. fen. 10. T. 3. cap. 1. Tussis est ex motibus quibus expellit natura nocumentum ex membro aliquo & hoc membrum est pulmo & membra que ei continuantur. Vide de his latius Gal. loc. cit. cap. 3. et. 4. de sympt. cau. Similiter de loco læsionis uide cap. 6. eiusdem quinti lib. &c. Vide etiam Arcul.

De causis tussis.

Causæ procatarcticæ sunt sicut dictum est in destillationũ causis, causæ antecedentes uel per se sunt uel per consensum, per se ut mala intemperies cum materia, uel sine materia calida frigida sicca humida, aut solutio continui uelut in ulcere pulmonis inphtisi, per consensum uel a toto ut in febribus aut a partibus, ut a cerebro destillante, uel a pectore ut pleuritide et orthopnea, aut diaphragmate ulcerato, uel in abscẽsum conuerso, aut a stomacho, splene, hepate, quum abscessum patiuntur, nam facta diaphragmatis compræssione, siue a tumore, siue ab alio quopiam fit tussis, Materiæ in pulmone quandoq; imbibuntur, interdum inherent obstruunt & resolutis partibus subtilibus in petram condensantur, Causæ tussis siccæ sunt

uel mala complexio, uel materia in pulmone contenta, quia uel nimis crassa expulsioni inepta, uel apostemata pulmonis, uel materia in uenis pulmonis contenta sua acuitate uel multitudine stimulãs, uel imbecillitas facultatis expulsoriæ &c.

Loci consentientes de causis tussis.

Aet. Ser. 8. cap. 54. Causæ tussis sunt uariæ Nam humor a capite ad asperam arteriam destillans tussim efficit Asperitas insuper intrinsecæ pelliculæ arteriæ asperæ, cibi & potus præter labentes tussim promouent. Lumbrici stomachũ infestantes etiã tussiculas paruas excitant, Similiter & acris humor stomachum perturbans & intemperies frigida instrumentorum respirationis tussim irritant: Vide de his fusius Auic. 10.3.t.3.cap.1. ibi causæ primitiuæ tussis sunt &c. Nam fusissime has pertractat, Vide insuper Gal. 5. de sympt. causis cap. 4. & ibi intelliges quomodo intemperies tussim excitet, & a mala intemperie dolor fiat contra plures qui de mente Gale. hoc non posse fieri certo affirmant.

De signis tussis.

Signa malæ complexionis calidæ cognoscitur ex præcedẽtibus causis calidis & læditur ex similibus & iuuatur a contrarijs, caliditas etiam sentitur ab ægro, uehementia sitis magnitudo anhelitus & pulsus, rubor faciei cum tussi sicca, Signa complexionis frigidæ, sumuntur ex causis frigidis præcedentibus, iuuatur a contrarijs &c. Signa tussis ex sanguine sunt rubedo faciei, uenarum tensio, sapor in ore dulcis & interdum sanguis excreatur, Signa bilis sunt flauities uultus, sapor in ore amarus, sitis, & quod expuitur citrinum est, & ut plurimum tussis sicca est, Signa pituitæ sunt, pallor faciei & albedo, Sapor insipidus aut salsus cum humiditate superflua, pauca sitis, circa fauces uiscosa pituita, comotio uomitus &c.

Signa atræbilis sunt, fuscus color, sapor ponticus, tardus euentus, longa duratio, Signa subtilitatis & crassitiei extenuitate fluxuq; materiæ, & quia subito accidit &, e, conuerso, materia uiscosa tarda influxu &c.

Signa siccitatis sunt, quia sedatur ex sorbitione Amyli, multiplicatq; quum fames & sitis adest, & apud somnum alleuiatur, Similiter dum comeditur & bibitur, Signa per consensum est antecessio læsionis uentriculi uel hepatis, tussis adest sicca, est insuper minus continua & minus laboriosa quam quæ est per essentiam Signa aparatis, ulceris & similium cognoscuntur ex relatis in pleuritide peripneumonia et phtisi.

Loci consentientes de signis tussis.

Aet. ser. 8. cap. 54. Tussis quæ cum titilatione partium ab utraq; palati parte contingit, palam ostendit destillationem a capite ad asperam arteriam & ad pulmonem deferri, quod si nihil expuatur tenuem fluxum indicat &c.

Aui. 10. 3. T. 3 cap. 1. de his pertractat signis ibi, signa intus si frigida est additio ex frigore &c. lege hunc locum fusius et habebis omnia quæ a me nuper relata sunt, lege etiam Arcul.

De cura tussis.

Dictum est in capite destillationis, fluxum humoris esse diuertendum, & quod iam fluxum est, euacuandum, Nunc etiam dicimus in tussis cura duplicem scopum requiri, Alterum in præparanda materia, alterum in abstergendo & præparatam educendo, Tenuis igitur, & acris destillatio per infrigidantia & incrassantia et fluxum intercipientia curatur, sicut cum syrupo de papauere, uiolaceo iuiubino cū decocto hordei iuiubarum sebesten, uel cum diacodione tempore somni uel pilulis bechichijs. Si uero fuerit frigida crassa ac tenax, tunc cū calidis extenuantibus ac dissecantibus digeratur, ut cum syrupo de glycyriza de hissopo oxymellite. syrup. de

praßio oximellite scillitico cum decocto caricarum passula rum. cap. uen. hordei &c. cũ loch de pino, de scilla, cum iure galli decrepiti &c. Euacuatur deinceps subtilis materia cum caßia electuario de sebesten addicta pectorali decoctione, uel cum pilulis Aureis Aggregatiuis &c. Frigida cum pilulis cochijs elephanginis. T. de ag. &c. Quod uero superest in pulmone exiccetur tum bibendo, cum labendo ac euaporando de quibus satis pertractauit Mesu.

Loci consentientes de cura tussis.

Aet. ser. 8. cap. 54. Medemur tußi a tenui fluxu factæ per antidotũ ex papaueris cap. inspissantes, aut per alterius pharmaci dolorem leuantis, Quæ autem a crasso aut uiscoso fit humore per extenuantia & discindentia, Instrumẽtorum respirationis frigiditati per calefacientia medemur. Quæ ab asperitate per lenientia et mordacitatem arcentia sanantur, qualia sunt ex arteriacis compositionibus simpliciora &c. Gal. de compos. med. per loc. cap. 2. & 3. non diuerso a nobis sermone hæc dilucidius pertractat ubi habet insuper multas ad tußim cofectiones &c. Lege etiam Auic. 10. 3. tra. 9. cap. de cura tußis & Arcul. & Mesu. Vide etiã quecun dq; icta sunt de destillatione, nam huc referenda sunt.

Obseruationes in cura per exiccantia.

Arcul. 9. almans. cap. de cur. tußis, Multas conditiones, obseruari in his iubet, primo & non nisi reiteratis euacuationibus exhibeantur. 2. q non adsit febris notatu digna. 3. ut uirtus constet. 4. ut incipiatur a minima quãtitate &c. Vide eũ fusius.

Nocentia & conferentia tussi.

Nocent tußi, Acetum, succus ebuli præsertim tußi recenter factæ, nam antiquæ prodest, Mel, non spumatum, Nuces, &c. Conferunt tußi Amylum cum zucharo & oleo Amygdalino, semen bombicis, Bdellium, Radix chamaleontæ, cinnamomũ,

cochleæ, Adiantum, hissopus, dragagantum, Enula, faba fænugræcũ cum melle, phistici, furfur triticeum cum aqua hordei decoctum & colatum infrig. et sic. tußi, galbanum, Gentiana, Granata dulcia, iuiubæ, lac asinæ uel capræ decoctum glycyrizæ in uino, Malua, Manna, mastix, mulsa, oua cum melle, papauer, passulæ, peucedanum, grana pini, pulmo asini, praßiũ, Rosmarinus, Sebesten, s. lini, serpentaria, sulphur, Tea storax ptisana terebintina cum melle, uiolæ, zedoaria, urtica, radix ireos, composita sunt, diacodion mes. diapapauer mes. in tußi catarrhali, diasulphur serap. diacodion compositum serap. diaolibanum, diapenidion diadragantum, diairis, diacalamẽtum, diatrion pipereon, diahissopũ diazingiberis. el'm adip. Auic. sexto tra. electuarium gabadi hali, loch de pino de papauere mes. de alleis Auice. & Mes. in quinta antid in cur. tußis humidæ, loch de semine lini Auic quinta quinti, oleum amygdalarum dul. uiolaceum sisami cucurbitæ, Pillulæ procatarrho Mes. 10. antid. bichichiæ mes. ad tußim Auice. syr. uiolaceus, myrtinus, acetosus Mes. Iuiubinus de praßio de hissopo, de cannis depauere, alteraniabim &c. Athanasia magna syr. de liquiritia, de calamento, theriaca maior, trocisci de stella, Aui. octaua quinti, de berberis de papauere, de arsenico &c. Alleum coctum & baccæ lauri &c.

De pronosticis ipsius tussis.

Auice. decima tertij, loc. cit. Et tußis frequens plerunque perducit ad sputum sanguinis Arcul. 9. almans. de cur. tus. Si diuturna sit & frequens in prægnantibus abortum facit expuitur sanguis fractis in pectore uenis.

Hippoc. aphor. 6. aphor. 46. Qui gibbi ex anhelitu aut tußi efficiuntur, ante pubertatem intereunt, lege etiam apho. 54. lib. 4 quibus ut plurimum tusses siccæ leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt &c. Vide etiam Hippoc. in cap. de

destillatione aphor. supra recitatos.

Authores dissentientes circa tussim.

1 *Adserere, tusses a nuda intemperie fieri non posse.*

2 *Adserere, tußim siccam a nulla alia causa fieri posse quam a mala intemperie sine materia.*

3 *Adserere, tußim plerunq; fieri causa tantum calida et sicca ut Gerardus.*

4 *Adserere, pilulas bechichias conferre in omni sicca tußi.*

Confutatio dissentientium circa tussim.

Ad primum Gal. 5. de sympt. cau. cap. 4. tußim inquit fieri, refrigeratis tantum respirationis instrumentis, ita ut affecti nihil inter tußiendum expuant, itidem ait Aet. ut supra de causis dictum est. Ad secundũ Gal. 2. prædict. comm. 42. inquit q; si humor crassus & uiscosus uel adeo tenuis sit ut expelli nequeat, siccam tußim efficit, Vnde modice crassus facile se reatur. Et aphor. 4. comm. 54. Sicce tusses sunt in quibus nihil expuitur, fiunt etiam aliquando ob intemperiem instrumentorum quæ seruiunt respirationi, aliquando in faucium asperitate, uel a pauco & tenui humore destillante, Igitur sicca tußis etiam a materiali causa effici potest. Ad tertium Gal. aphor. 3. comm. 23. ob hanc igitur ipsam frigiditatem. tusses hyeme maxime fiunt &c. Similiter. 9. 12. eiusdem lib. caput prius repletũ in calida et humida constitutione, frigus autem superueniens ueluti manus quædam extrinseca capiens ac præmens, quandam uti spongiam, cerebri illam, quæ in ipso continetur, humiditatem, Vnde fiunt tusses & grauedines &c. igitur a causa frigida & humida plerunq; et magis quã a calida & sicca fieri potest. Ad quartum dicimus pilulas bichichias conferre tantum in causa calida & sicca ut testatur Mesu. Sed tußis sicca ab alia causa fieri potest ut mostratum est, qua de re in omni sicca tußi conferre non poterunt &c.

De Asthmate dispnia & orthopnea.

Asthma est affectus qui respirandi difficultatem cum magno conamine persefert. Hæc spirationis difficultas dũ modica est δυσπνοια *græce dicitur, at quum uehementior fit, et spirare æger sine anhelitu et sono non potest, tunc* ασθμα *uocatur, si uero accidat inspirando ut non nisi recta ceruice spiritus trahatur, tunc* ορθοπνοία *nominatur, quos igitur græci uocãt* ασθματικοὺς *latini anhelosos siue suspiriosos dicũt.*

Loci consentiẽtes de asthmate dispnia & orthopnea.

Auic. decima tertij, cap. 4. asthma est ægritudo pulmonis cum qua patiens non inuenit excusationem ab anhelitu frequenti sicuti est anhelitus quo laborat præfocatus & festinatus. Gal. ahporis. 6. comm. 46. Multæ sunt spirandi difficultates, sed solam illam Hippoc. consueuit asthma nominare in qua contingit satis crebrum anhelitum fieri, uocant το ἀσθμαίνειν*. i. anhelare id qđ fit in cursibus et uehementioribus exercitijs &c. Vide de his Gal. 7. de cõpos. med. per loc. cap. 6. ibi, qui citra febrẽ dense respirant &c. B. Nota q̃ asthma interdum sumitur pro difficultate spiritus sine febre et apostemate, interdum pro constrictione nõ facta a causis materialibus, interdum pro malitia spirandi a materia crassa inherẽte facta, & sic in hoc loco a Gal. accipitur &c. Gale. 4. de uic. in mor. ac. comm. 21. sicca orthopnea ea est spirandi difficultas quæ sine sputis uel tussi usque adeo uehemens est ut inclinari citra suffocationem, qui ita afficitur, non possit.*

De causis harum affectionum.

Causæ procatarcticæ sunt caliditas uel frigiditas aeris casus pcussio nimius corporis motus fumus argenti uiui, odor retum pectus constringentium &c.

Causæ antecedentes per se ut a mala intemperie frigida coarctãte uel obstruente, uel a materia, ut plurimum pituito-

sa in pulmone uel eius bronchijs infarcta. Per consensum fit uel a toto ut in febribus & hydrope, aut ab aliqua parte sicut ab occipite neruis uertebris colli, a pectore diaphragmate hepate stomacho splene, ab occipite inquã spiritibus ad pectoris musculos transire non ualentibus, a neruis motum diaphragmatis impedictibus, a colli uertebris & pectoris quum extra sedem diuertuntur, a pectore sicut ab eius angustia abscessu paruitate ulcere & colluuie, a diaphragmate hepate splene ob eorum abscessus & ulcera, interdum fit etiam ab exiccatione pulmonis &c. Causæ coniunctæ sunt ipsi humores infarcti in arterijs & uenis pulmonis morbum facientes & similia.

Loci consentientes de causis.

Aui. decima tertij, cap. 40. Et quãdoq; accidit propter multitudinem uaporis, quando coarctatur in pulmone & propter uẽtositatem coarctatam in membris anhelitus et quãdoq; causa generationis in ipso est frigiditas eius. Vide de his latius apud Mes. cap. proprio.

Gale. 7. de comp. med. per loc. cap. 6. loquens de causis antecedẽtibus inquit manifestum est coarctationem locorum præter naturam intrinsecus adesse, cuius etiam sensum ægri manifeste perceptant, coarctatio uero fit quum aut crassorum & tenuium humorum multitudo pulmonis brõchijs fuerit infarcta, aut tumor abscessui similis in ipso constiterit &c. Auice. loc. cit. Et quandoq; fit propter nocumentũ in ipso pulmone et in eis quæ ipsi continuantur propter inuiscationem humorum crassorum in arterijs & ramis eorum & quandoq; in cana pulmonis & eius raritate et in locis uacuis. Et istæ materiæ effusæ sunt ad ipsum ex capite. Et quandoq; isti humores nocent sua qualitate quantitate et multitudine et quandoq; fit & raro ab exiccatione pulmonis, & quandoq; fit propter communitatem membrorum uicinorum comprimentiũ mẽ=

bra anhelitus &c. Vide de his Gal. 4. de uic. in mor. ac. cōm. 21. & 3. aphor. comm. 26. & 4. aphor. comm. 50. ibi. n. a quibus causis spirandi difficultas fiat aperte intelliges, lege etiā. 4. de loc. aff. cap. 7,

De indicijs asthmatis orthopneæq;.

Frequēs adest anhelatio nec spirare possunt nisi recta ceruice, pallescit eorum facies. Si ab intemperie absq; materia fiat, adest pectoris lenitas absq; sensibili grauitate, tußis sine sputo, calida ex caloris sensu & ex anhelitu & pulsu magno frequenti cognoscitur, frigida ex frigore in partiqus spiritualibus percepto, & ex anhelitu pulsu paruo ac tardo, sicca ex asperitate ex siti & a causis exiccantibus. Humida ex causis contrarijs, uel intemperies omnes cognoscuntur ab his quæ iuuant & nocent, nam calidis frigida prorsunt, frigidis calida, humores cognoscuntur ex sapore odore craßitie ac tenuitate, locus læsus cognoscitur quoniam si in pulmone est læsio tunc adest grauitas screatus tußis laboriosa et difficilis anhelitus, si in aspera arteria, sonus adest in respirando, screatus facilis, si in bronchijs, screatus fieri non potest nisi cum multa tußi, si fiat a peripneumonia signa suo capiti ascribentur, si fiat asthma a toto per consensum sicuti in febribus, ex eo inde cognoscetur q; ad earum augmentum augetur & in recessu minuitur, si per consensum ex partibus facile etiam cognosces ex earum morbis superuenientibus &c.

Loci consentientes de indicijs asthmatis.

Auicen. decima tertij, ca. de sig. asthmatis. Si humores uel humiditates fuerint causa asthmatis, tunc aderit constrictio in principio anhelitus cum excreatione oscitatione et retentione humoris permanentis et grauitas cum sputo &c. Vide hunc locum fusius, nam de singulis signis hic pertractatur. Vide insuper Arcul. Sauo. Gordo. &c.

De cura asthmatis & orthopneæq;.

Primus in curando scopus,(dummodo totius corporis repletio appareat)sit sectio uenæ.2. sit humoris præparatio ita ut tenuis incrassetur,tenax & uiscosus attenuetur cum syrupis im capite catarrhi memoratis.3.sit euacuatio prout oportuna fuerit in humore peccante.4.sit humoris cum cucurbitulis & frictionibus ad partem oppositam reuulsio.5.residuũ exiccat.6.sit regimen ex his quæ dilatant anhelitum,uitentur acria acetosa styptica, tolleretur famis & potus,uitetur insuper somnus meridianus ac diuturnus &c.

Loci consentiẽtes de cura asthmatis & orthopneæ.

Paul.lib.3.cap.29. Hæc cura sit ut per abstergentia extenuantiaq; medicamina glutinosus humor et crassus abscindatur, quod si necessitas urgeat etiam uena ante omnia incidatur, et quantum uires patiuntur, sanguis detrahatur &c. Gal.7.de cõpos.med.per loc.ca.6.Cæterum curatio ambarum affectionum aliquid commune habet & aliquid cuiq; proprium,cõmune utrisq; est,ut redundantia humoris affectiones generantis consumatur & expendatur, proprium uero,ut si a crassis uiscosisq; humoribus fiant per attenuantia et extergentia consumantur &c. Consule in his & alijs non solum Auicen.sed Mesu.ipse.n.singula declarat. Vide & Arcul. & alios practicantes.

Obseruationes in præparatione humorum.

Paul.loc.cit.duo notat alterum ut quum crassitiem et tenacitatem humorum secamus & attenuamus humiditatem cum pharmacis adhibeamus quo facilius efferantur unde largiorem potum anhelosis commendat,alterum ne uehementer calidis uel frigidis in hac affectione utamur,quia tenaces et crassi humores a uehementi calore uiscosiores redduntur & sic difficulter auelli possunt, frigidis necrascescant ac cogantur

&c. Vide similiter Aet.ser.8.cap.57.

Auic.loc cit. Vitandæ sunt medicinæ multum incisiuæ, ibi, & non sis contentus &c. Secundo, Miscendæ sunt medicinæ hepaticæ sicut eupatorium, cū pectoralibus præsertim si crassities hepatis asthmati adiungatur. Tertio, quum morbus sit natura longus medicinæ sæpius permutentur, non ex eodem genere in aliud, sed in eodem consimili facultate mutatæ permaneant ut uoluit quarta primi cap.1.ibi, immo in una medicatione medicinam permuta &c. Quarto in ægritudinibus cronicis inter pollationes fiant, Quinto si causa coniuncta et antecedens aduersentur, attendatur illi quæ magis infestat De obseruationibus aliarum intentionum lege Mesuen.

Conferentia asthmati & orthopneæ.

Conferunt asthmati et orthopneæ acetū scilliticum, amygdalæ amaræ ammoniacum, cum melle, assa fætida in ouo sorbili, bolus armenius, calamentum, cappares salliti, decoctum centaurij ma. dauci, diptami, enulæ, caricarum adianti gentianæ, iuniperi granorum lauri, marubij, origani pastinacæ, oxymel scilliticum, peucedanum in ouo sorbili pix humida cum melle, sulphur in ouo sorbili uel fumus eius in ore per embotum scilla thymus, hissopus cum ruta ficubus & melle allium coctum betonica gentiana, ius galli antiqui galbanum, fænugræcum cum melle, urtica cū melle, baccæ lauri, myrrha, uiolæ zucharū, composita sunt. T. de agarico, alipta muscata nic. præsertim in pueris, diapapauer, diaprasium loc de pino mes loch. de scilla serap. loch. de papauere hali, quadrumeron conf. nic. rosata magna nic syrupus de hissopo, de prasio de calamento de iuiubis de liquiritia theodoricon magnum hali. 6. antidota teriaca magna nic. hiera logodion, hiera archigenis, Phylonium romanum &c.

De pronosticis asthmatis.

Hippoc.apho.4.apho.50.Difficultates ſpirãdi in febre intermittente,lethale;Vide etiam aphor.46.lib.6.

Auice loc.cit. hæc ægritudo cum accidit decrepitis nõ forſitam ſanatur, nequæ maturatur, quum ipſa in iuuenibus ut plurimum ſit difficilis et eſt ægritudo longa habens cum hoc paroxyſmos acutos iuxta ſimilitudinem paroxyſmorum epilepſiæ & ſpaſmi,& multotiens mutatur ad peripneumoniam &c.

Authores diſſentientes circa difficultates ſpirandi.

1 *Adſerere,aſthma uerum non eſſe morbum pulmonis.*
2 *Adſerere,orthopneam non poſſe fieri abſq; febre.*
3 *Adſerere,apnæam non dari poſſe in animali uiuente.*
4 *Adſerere, pulmonem eſſe propriũ anhelitus inſtrumentũ.*
5 *Adſerere,anhelitum eſſe motum tantum naturalem. & non uoluntarium.*
6 *Adſerere, ſpirandi difficultatem indicare tantũmodo læſionem membrorum ſpiritualium.*
7 *Adſerere,uinum inſpirandi difficultate nõ eſſe exhibendũ.*
8 *Adſerere, pharmaca non ualde ſoluentia in aſthmate conuenire.*

Cõfutatio diſſentientiũ circa difficultates ſpirationis.

Ad primum Razes quarto, cõm.cap.1. Aſthma eſt ueraciter, quod in canalibus pulmonis habet humiditates multas uiſcoſas prohibentes ex ipſarum uiſcoſitate ne aer trahatur quantitate oportuna et Auic. aſthma eſt ægritudo pulmonis, igitur erit uerus morbus pulmonis. Ad ſecundum Gal.aph 6. comm.46.nõ nulli ſimiliter aſthma nominant,nõ nulli orthopneam, quando abſq; febre ægroti iugiter anhelitum habent difficilem,ex quibus uerbis cognoſcitur orthopneam abſque febre fieri,Ad tertium Gal.de loc.aff.cap.7.in fine,Nam impoßibile uidetur ut animal omni ſpiratione exacte priuatũ,

in uita seruari poßit, quãuis animalia quæ in cauernis latent thoracem mouere minime uideãtur, quare aut exiguam fieri spirationẽ, ut sensum effugiat, aut huiuscemodi animalia tunc spirationem omnino non indigere, sed eam spirationem quæ per uniuersum corpus fit, sufficere, quippe hanc, cor ipsum per arterias efficit, ex quibus apparet ut apnæa dari poßit uiuente ètiam animali. Ad quartum Conciliator differentia. 99. Sciendũ q instrumentũ proprium anhelitus est diaphragma, pulmo uero coadiuuatiuum se habens ut ad seccantem sera &c. probat etiam alia potiori ratione ex eo quod insensibilis sit pulmo tum quia tot musculos in pectore frustra natura procreasset. Ad quintum. Auic. 10. 3. tenet q anhelitus completur duobus motibus inter quos sunt duæ moræ &c. ita ut componatur ex motu uoluntario & naturali, Itidem confirmat Gal. de usu partium &c. Ad sextum Hip. prædictionum. 1. tex. 27. & Gal. in eodem. comm. At uero inquit rara spiratio hoc est multo tempore interposita, si magna est indicat delirium, si parua extinctionem natiui caloris, igitur aliam a thorace etiam læsionem indicat &c. Ad septimum Razes. 4. comm. Vinum tenue et subtile facit ad asthmatis paßionẽ, si in potu accipiatur multa quantitas, hoc tamen intellige in resolutione materiæ, uel ubi uinũ sit cibus et potus. Ad octauum, Paul. lib. 3. cap. 29. ex antidotis hiera & purgatio continens, ex ualidißimis medicamentis petita, item Auic. utitur helleboro & collocyntide præterea probatur etiam ratione, nam materiæ quæ sunt a uijs ductuum remotæ, educi non possunt nisi per pharmaca uehementia, sed in asthmate ita sunt, igitur non nisi per ualidißima pharmaca educi poterunt & per consequens uehementi indigent pharmaco &c.

De peripneumonia.

Peripneumonia nil aliud est quam pulmonis inflammatio

cum

cum febre acuta & spirandi difficultate, & est duplex uera & spuria, uera cum a sanguine, spuria quum ab alijs humoribus oriatur, unde nõ immerito Mesuas alioquin oculatus a cõciliatore reprehenditur differentia.100. dum inquit ueram fieri ex pituita & esse minus mortalem &c.

Loci consentientes de peripneumonia.

Paul.lib.3.ca.30.ἡ περιπνευμονία, φλεγμονὴ τοῦ πνεύμονος ἐστιν similiter Aet. ser.8.cap.66.peripneumonia est pulmonis inflãmatio cũ febre acuta, itidem Auice. decima tertij, tr.1. 4.ca.10 peripneumonia est apostema calidum in pulmone, lege Gal.2.meth. & in lib.de finit.med. Item in lib. de part.art. med.cap.4.ibi peripneumonia tantum dicitur quum a sola inflammatione pulmo afficitur, &c.

Mesu. cap. de peripneu. ex ea quedam est uera quedam nõ uera &c. Vide eum tu latius, uide etiam conciliatorem loc. cit. lege etiam de his Hippoc. & Gal. prædict.1. tex.29. Item Arcul. & Gord. & cæteros practicantes &c.

De causis peripneumoniæ.

Causæ antecedentes sunt angina pleuritis catharrhus, uel alia materia ab aliqua corporis parte ad pulmonẽ transmissa. Causæ coniunctæ sunt humores ibi coarctati & putrefacti, sicuti est sanguis bilis pituita, fieri enim potest ferè ab omni humore.

Loci consentientes de causis peripneumoniæ.

Halyabbas in sua praxi, et hoc apostema aliquando fit ex materia sanguinea aut ex cholera quæ ad pulmonẽ incurrit nõnunquam a catarrho a capite descendentes, interdum pleuritide iugulatione &c. nam pulmo imbecillis ea facile suscipit, quæ ab alijs membris repurgantur. Paul.lib.3.cap.30.idem sentit, ibi, Inflammatio fit ut plurimum a ualentibus in eam partem destillationibus aut angina aut suspirio aut pleuriti-

de &c. De causis uero cõiunctis loquitur Auic. decima tertij, cap. 10. ibi & peripneumonia fit ab omni humore sed ut plurimum fit a phlegmate, quoniã in membro raro non continetur humor subtilis &c. B. intellige Aui. uelle peripneumoniã a sanguine et a pituita frequenter fieri, raro ex bile, rarissime ex atrabile, unde Auic. plura capita facit de hac re, quem legere poteris, Gale. aphor. 7. comm. 12. causas peripneumoniæ etiam tetigit, quem fusius uidebis.

De indicijs peripneumoniæ.

Indicia communia omni inflammationi sunt rubor tensio dolor, Propria sunt febris acuta grauitas absq; dolore, nisi pelliculæ ipsius thoracis sint inflammatæ quoniam tunc dolor percipitur, spirandi adest difficultas, rubescunt malæ & facies, nasus fit simus, uenæ temporum eleuantur, appetitus deiectus est, linguæ adest siccitas, tussis sicca præcipue in morbi principio, respiratio calida est sputum biliosum spumosum et quandoq; cruentum, uigiliæ adsunt quæ delirium & suporẽ inducunt, extremitates frigidæ, ungues liuidi incuruantur, & hi plerumq; in. 4. uel. 7 die pereunt, si uero ad salutem tendat morbus, sanguinis ex naribus profluuium sequitur & quedã excremetitia per sedem excernuntur &c.

De locis consentientibus de indicijs peripneumoniæ.

Gal. 4. de loc. aff. cap. 8. Quando cum spirãdi difficultate, cui & angustia & grauitas coniuncta est acuta quoq; febris inciderit, is affectus inflammatio pulmonis est, quod si fuerit intollerabile incendium, angustiæ uero & grauitatis sensus minor, erysipelas ipsum uexare censendũ est, Et. 2. de loc. aff. cap. 7. Signa inflammationum communia sunt, ut partes inflãmatæ rubescant tendantur remitantur intumescant et doleãt. Et. 2. de loc. aff. cap 9. cognoscitur pulmonis inflãmatio, quia tanta inducitur spirandi difficultas, tantaq; angustia, ut soffo-

cari laborantes uideantur ac recti sedere conantur, calida ad est respiratio, quò circa ubi plurimum perflant, iuuari uideantur, in tußiendo modo hoc modo alio colore infectum expuitur, ut rubrum flauum rufum spumosum nigrum & liuidum, grauitatis sensus adest, dolorq; ab imo ad pectus et ad spinam et febris acuta adest &c. Lege de his fusius Aet. ser. 8. cap. 66. Vide similiter Auic. decima tertij, cap. 2. ipse enim addit q; dolor ascendit ad iugulum & pulsatio est usq; ad spatulam & furculam & mamillas saltem apud tußim, et quando dormit superlatus præfocatur, & lingua primo rubescit, deinde nigrescit, & quod adest inflatio oculorum grauitas palpebrarum, pulsus undosus lenis & diuersus, & ibi reddit rationē horum omnium. Vide insuper Hipp. 2. pronost tex. 60. Vide etiam Arculanum & Razem. 9. alman. ibi, cum alicui superuenerit febris & in aeris attractione tantam patitur constrictionem, ut se præfocari putet &c.

De cura peripneumoniæ.

Primus in medendo scopus erit reuulsio ut inflammationis augmentum prohibeatur, quæ fieri potest cum sectione uenæ cum cucurbitulis cum impositione enematum &c. Secundus est humoris digestio, unde si fuerit a sanguine uel a bile conueniunt syrupus uiolaceus iuiubinus cum aqua hordeacea uel zucharacea, uel syrupus mirtinus de papauere cum decocto pec. si uero fuerit a pituita conueniunt syrupi de glyzyrhiza, de hissopo, oxymel simp. miscendo secum syr. uiol. cum decoctis pectori conducentibus &c. Tertius est euacuatio quæ fieri potest cum mana casia rheubarbaro. Troc. de uiol. de agarico cum elō de sebesten &c. Quartus est sputi prouocatio et completur cū his quæ in ore lambuntur, ut patet in cura pleuritidis &c. uide ibi plura

Loci consentientes de cura peripneumoniæ.

Gale. meth.13.cap.4. Quum aliqua particula phlegmone urgeri cœperit uidendum est an propter calorem aliquẽ, qui in illa præter naturam ortus sit an propter dolorem uel ipsius uel propinquæ alicuius partis hanc contraxerit quo s. adempta causa phlegmone non amplius increscat, post hæc consydera num uicina particula sanguinem largius ad partẽ phlegmone obsessam, transmittat, Deinde si corpus succorũ æqualiter auctorũ redundantia laboret, Si igitur corpus fuerit pletoricum, uel malo succo redundet, cogimur sanguinem mittere, et membrum, ne quid transmittat corrigere &c. Aet. ser. 8 cap. 66 si nil obstiterit, uena in cubito seccanda & si uires ualidæ fuerint ex utroq; brachio sanguis extrahatur &c. Vide latius Auic loc. cit. & Arcul. & Marcum Catin. & Sauonarolam & Gordoni.

Obseruatio in sectione uenæ.

Arcul. 9. alman. Reiteratio sanguinis fieri non debet nisi plethori cum fit corpus, uel membrum influens sit hepar, uel aliqua euacuatio solita puta menstruorum hæmorrhoidarũ repressa sit, aut si quam putaremus ad membra principalia materiã defluere, in alijs enim periculosa et suspecta est &c. *Auice. decima tertij, cap. 1.* Comendat plus sectionem uenæ quã uentris solutionem quia in ipsa inquit non est timor sicut in solutione, quum interdum non soluat interdum superflua sit, prohibet etiam narcotica quoniã sputum & maturationem prohibent &c.

Obseruationes in topicis.

Platearius nunquam utendum est repercußiuis sed diaphoreticis & resolutiuis, Præterea caueant aquæ calidæ in fusionem super caput, quia liquefacit humiditates, et superfluitates ad pectus descendere cogit &c. *Auic. loc. cit.* unum aduertit q; in topicis exterius applicitis maior esse debet in penetrando uis quam in pleuritide, nam in penitiori loco affectio collo-

cata est, unde ad cataplasmata fomenta et linimenta addatur aliquid quod sit tenuium partium, & nota q debent applicari tam retro supra spondiles quam ante ex directo partis inflammatæ &c.

Conferentia peripneumoniæ.

Conferunt peripneumoniæ, althea, amylum, aqua mellis, butyrum cum melle. bolus armenius, capillus uen. semina cucurbitæ citruli melonum, crocus, decoctio hissopi, faba fressa in cibis, farina hordei caricæ cum fænugræco decoctæ, succus gentianæ, iuleb uiol. iuiubinũ iuleb alkemes mes. in cur. pleurit. Glyzirhiza, origanum cum melle penidij, pix cum amygdalis & zucharo, porrum cum melle, mucilago psylij. Ruta cum anetho sicco cocta, uiola, hypericõ, iris, hissopus cum ruta ficubus & melle. Composita *sunt oleum de amygdalis, oleum narcisi, de cucurbita uiolaceum, syrupus de cucurbita, uiolaceus, de uino granatorum dulcium, iuiubinus, unguentum uiolaceum, zucharum uiolaceũ, confectio catafici haly. 6. an. tid.* Dialthea, *æsypum, diapapauer, diadragagantum, diaolibanum nic.* Phylonium *nic. cum melle, loch de papauere mes. rosata magna nic. sotyra nic.*

De pronosticis peripneumoniæ.

Hippoc. *aphor. 5. aphor. 10.* Q*uicunq; ab angina liberantur, ijs ad pulmonem uertitur & in. 7. diebus pereunt, si uero has effugerint, suppurantur,* Et *aphoris. 6. aphor. 16. a morbo laterali, uel pulmonia habito, aluui profluuim aduenien malum,* Et *aphoris. 7. aphoris. 2. a morbo laterali inflammatio pulmonis malum,* B. Nota *peripneumoniam fieri a pleuritide, sed non, e, conuerso, quia si mitis fuerit inflãmatio, omnis humor noxius per sputum ex purgatur, si sit pernitiosa, antequam costæ patiantur, strangulat,* Et *aphor. 7. aphor. 12. a pulmonis inflammatione phrenitis malum.* Et *secundo pronost.*

cap.69. qui purulenti ex pulmonia sunt &c. Vide tu Galeni commentum, item secundo pronost. tex. 64. ibi quibus abscessus &c. Et tex 67 eiusdem libri, Auice. peripneumonia quæ a colera rubea fit, secūdum plurimum sua acuitate interficit cum sit uicina cordi & appositio cum infrigidantibus non peruenit ad locum &c. Mesu. & dixit Gal. q peripneumonia est difficilis curæ quam pleuresis & magis promptior ad interficiendum eo q solutio continui in pulmone raro est susceptibilis curæ uel quia uirtus cordis non tantum patitur immo deficit ab inflammatione eius &c. Arcul. peripneumonia longa & diuturna perducit tandem ad nocumentum hepatis ita ut erret eius digestiua & tumescunt pedes & crura interdum etiam uenter. Auic. decima tertij, cap.2. Et Hip. dixit pro quando accidunt exituræ apud mamillas uel ea quæ sequitur ad eas & aperiuntur pustullæ euadunt, & similiter quando accidunt exituræ in crure sunt signa laudabilia &c.

Authores dissentientes circa peripneumoniam.

1 Adserere, peripneumoniam fieri non posse a pituita per uiam influxus.

2 Adserere, peripneumoniam pituitosam esse biliosa deteriorem.

3 Adserere, in peripneumonia ex alijs morbis facta conferre sectionem uenæ.

Confutatio dissentientium circa peripneumoniam.

Gale. 2. de loc. aff. cap. 9. Respondet primo. Quippe iam ostendimus omnem inflammationem ex affluente fieri sanguine, quapropter si biliosus fuerit sanguis flauum aut pallidum erit sputum, si pituitosus & spumans candidum &c. ex quibus inferri potest hanc etiam inflammationem pulmonis a pituitoso sanguine gigni posse &c. Ad secundum, respondet Mes. & omnes auctores q deterior est biliosa quum mor

bus sit acutior sæua inducens accidētia &c. Ad tertium, Paul. lib. 3. cap. 30. Vitabimus sanguinis detractionem dum ex alijs morbis peripneumonia depēdeat et si in statum morbus fuerit &c.

De sputo sanguinis.

Sputum sanguinis nil aliud est quam quædam sanguinis reiectatio per os undecunq; proueniens, hic consydera potius locum a quo sanguis emanat, quam ipsam definitionem ut monet Gal.

De causis sputi sanguinis.

Causæ eius primitiuæ sunt percußio casus uociferatio acuitas uocis, uomitus laboriosus, cibi acuti calidi, timor & angustia sanguinem acuens. sangui suga gutturi inherens, frigus constringens caliditas dissoluens &c. Causæ antecedentes sunt multitudo materiei & ciborum aut retentio mēstruorum aut sanguis ex hemorrhoidibus, aut abscißio membri, aut acuitas humoris aut uehementia motus aut flatuosus spiritus &c. Causæ coniunctæ, sunt quia si proueniat a uenis erit aut incisio, aut perforatio aut apertio, aut erosio, aut ualida abstersio, si uero non prouenerit a uenis, tunc erit uel uulnus uel ulcus quod a corrosione uel putrefactione uel ab abscesu sanguineo fiet &c.

Loci consentientes de causis sputi sanguinis.

Auice. decima tertij, cap. 4. Causa primitiua fit expercussione aut casu super pectus aut super hepar, aut a reincisiua, aut a tußi frequenti aut a uociferatione, aut ab acuitate uocis sine gradatione, aut a rixa, aut a uomitu laborioso et proprie in præparatis aut a sumptione solutiuorum acutorum aut ciborum calidorum aut a timore & angustia sanguinem acuente &c. Gale. 4. de loc. aff. cap. 8. Voco præcedentes causas aut cum aliquis ex alto uel in ludo uel in certamine ceciderit, aut ubi lapis uel lignum thoracem offenderit aut ira cum exclamatione acuta uehementiq; uoce ut cytharedis tragædisq; ac-

cidit uasa diruperint, uide locum hunc fusius. De causis ante cedentibus & coniunctis loquitur etiam Gal. 4. de loc. aff. ca. 5. Sanguis reijcitur uel rupto uel eroso uase aliquo, uel ore alicuius uenæ patefacto rumpitur uas uel ob sanguinis abundātiam, aut ob frigus a uicinis partibus contractum aut ob innatam intemperiem, quandoq; ruptionis causa est, aut uehemēs motus aut humorum abundantia qui una per se uel una cum crudo & frigido & flatuoso spiritu uenas extendunt &c. Lege hancmet sententiam cap. 8. eiusdem similiter. 6. de symptom. cau. cap. 2. ad medium. Vide etiam Auic. decima tertij, tract. 3. cap. 4. Similiter lege omnes practicantes.

De signis sputi sanguinis.

Quoniam locum cognoscere ex quo sanguis emanat necessariū est, ne inter stolidos quos redarguit Gal. cōputemur, diligenter aduertendum, q; si a capite sanguis fluat q; capitis uel dolor, uel aliud nocumentum præcessit, si proueniat ab arterijs magno cum impetu exiet, eritq; tenuior rubeus cum claritate, uixq; cohibetur. Si a pectore præcessit dolor tussis & grauitas, si a pulmone habes Hip. aphor. 13. lib. 5. ibi quicunq; spumosum sanguinem expuunt, ijs epulmone eductio, fit cum tussi multa, extenuatio corporis alteratio in genis &c. Nota etiam q; spumosus sanguis de mente Auice. prouenire potest etiam a cana pulmonis. Si sanguis prouenerit a rupto uase, in primis erit multus, deinde paucus cum aliquali dolore. Si ab eroso uase accidunt affatim sanguinis uacuationes præceduntq; exigua sputa, atq; acres ex capite in pulmonem destillationes eritq; tenuis. Sāguis ex apertione orificiorum, in principio est paucus deinde augetur & est sine dolore, sanguis ab Apostematibus corrosionibus & ulceribus cognoscitur ex præcessione eorum et Interdum expuitur sanies &c. Sanguis proueniens ex naribus facile cognoscitur, tum ex rubore fa-

tiei tum quia dum exprimitur nasus adhuc fluit, Vel rem breuius sic habe sanguis ab ore prouueniens per quatuor modos cognoscitur, aut expuitur tantum & est ex partibus oris, aut exit cum screatu & est ex colatorio uel uuula palato et partibus eorum, aut exit cum uomitu et prouenit uel a meri, uel a stomacho aut ab hepate et finibus eorum, aut exit cũ tussi, & tunc uel est ex pectore uel pulmone, aut cana, aut lacerto uocali aut epigloti &c.

Loci consentientes de signis sputi sanguinis.

Gal. 4. de loc. aff. cap. 5. Cognoscitur sanguis qui a gula & uentriculo reijcitur ex ipso uomitu, Si ex spiritualibus partibus ex ipsa tussi, Si ex faucibus & gurgulione ex screatu, Si ex ore ex simplici expuitione, Cognosces ex erosa uel exesa uena, si nulla præcendente causa existente, sanguis plurimus inter tussiendũ reijciatur, Cognosces a pulmone educi, ubi fuerit sanguis spumosus, Cognosces a partibus pectoris emanare si illic dolor adfuerit, nam in thorace multi adsunt nerui quibus dolores percipi possunt, Cognoscitur a primaria thoracis affectione fieri, si neq; multum neq; rubrum, sed nigricantem grumosumq; sanguinem conijeceris &c. Vide etiam ca. 8. huius lib. Item Paul. æginetam cap. 31. lib. 3. Item Aet. ser. 8. cap. 59. Et Auic. 10. 3 tra. 3. cap. 4. & ibi, adunguem omnia intelliges: Vide etiam Mesu. cap. de exitu sanguinis ab ore, similiter Arcul. & alios practicantes.

De cura sputi sanguinis.

Primus scopus in medendo erit, sex res non naturales ad frigidum & siccum ordinare ut sanguis cohibeatur & frigefiat, Cibi igitur sint uiscosi glutinosiq; stiptici & frigidi quales sunt ptisana hordeacea, uel ex amylo confecta, aut pisces uiscosi, carnes crassæ pingues, & Animalium extremitates, Cõueniunt etiam caseus recens portulaca lentes miliũ Alica

ac coriza, Bibatur aqua calibeata, uitetur exercitiū loquutio &c. Secundus erit reuulsio quæ fieri potest per phlebotomiam multoties repetitam, quæ pro singula uice sit modica, Hinc ualet ligare extrema, Menstrua & hemorrhoides euocare, cucurbitulas natibus affigere &c. Tertius est malam sanguinis qualitatem temperare, reprimendo eius aquositatem, uel (ut ita dicam) biliositatem, Si enim fuerit aquositas illa pituitosa præparetur cū rhodomelle & syrupo rosaceo, deinde euacuetur cum myrobalanis chebulis & rheub. At si sanguis fuerit biliosus digeratur cum syrup. rosaceo de. s. acetosæ, de granatis, de omphacio, de citonijs mirtino, de portulaca, cum aquis plantaginis portulacæ &c. deinceps euacuetur cum Myrobalanis citrinis & rheu. cum caßia. Quartus est sanguinis cohibitio, quæ primum & statim fienda erit, ne forte adeo uires ægrotantis prosternat ut difficultas sit in reuocando, primum conuenit portulaca lapis hematites corallus cornu ceruinum ustum, terra sigillata, Bolus armenius. s. mirti, flores et cort. granatorum Gumi arab. &c. Sextus est ut si sanguis in pectore uel uentriculo coaguletur, statim dissoluatur cum oxymelle simpl. & composito cum aquis hissopi scabiosæ aliqui exhibent Theriacam & coagulos leporis &c.

Loci consentientes de cura sputi sanguinis.

Auice. 10. 3. tra. 3. cap. 6. loquitur de sex rebus supra naturalibus dicens & cibi conuenientes eis. sunt omne conglutinatiuum & opilatiuum, & omne consolidatiuum & omne infrigidatiuum sanguinis prohibens feruorem eius & custodiātur ab omnibus causis mouentibus sanguinem ut sunt cibi calefacientes saltus clamor rixa coitus loquutio plurima &c. Vide de his latius Mesuem.

De Reuulsione loquitur Paul. lib. 3. cap. 31. Quibus destillatio cruentum sputum concitat, uena protinus debet incidi et

pro uirium modo sanguis detrahi. Auic. loc. cita. cura est ut succuratur cum phlebotomia basilicæ in qua existimatur esse resolutio singularis &c. & fricentur eius extremitates & ligentur incipiendo a superioribus ad inferiora &c. Vide de his latius Marcũ cat. Arcul. Gor. et reliquos practicãtes &c.

Item Mesuem ibi, secundam rem complent administrationes phlebotomiæ cum iterationibus &c. De Rectificatione sanguinis loquitur Auic. loc. cit. ibi & sumant in potu medicinas frigidas conglutinatiuas &c. Vide de his uberius Mes. & Arcul. De constrictione sanguinis loquitur Gal. 7. de compo. med. per. loc. cap. 4. Curamus apertionem osculi alicuius uasis per obturationem & rupturam per eius conglutinationem, & uasorum erosionem per renutritionem erosorum, obturatur osculum dilatatũ per adstringentia, conglutinatur ruptũ per eadẽ & quæcunq; ipsis in compositione citra mordacitatem resiccantia & glutinosi quid habentia miscent, ut lemnia terra, Renutriuntur corrosa per cibos boni succi & pharmaca carnem gignentia &c. Vide fusius Gale. 5 meth. cap. 5. 6. & 7. Item Aet. ser. 8. cap. 63. & Auice. ibi & confert tribuere ei in potu trociscos de charabe &c. Vide de his iuxta Arcul. Mar. cat. Sauon. Guielmum plac. Gordonium & reliquos practicantes &c.

Obseruationes de euacuatione.

Mesu. cap. de flu. sang. ab ore, Si fuerit acuitas & inflammatio & ebullitio in sanguine propter mixtionem choleræ acutæ in ipso, oportet ut euacuetur cholera prius deinde phlebotometur, Hoc enim est secundum canonem artis demum sequatur infrigidatio &c.

Obseruationes in adstringentibus.

Gale. 7. de comp. med. per loc. cap. 4. Conueniunt adstringentia ijs qui non tussiunt simplicia, Sed illis qui ex pulmone,

aut thorace, aut arteria sanguinem reiectant, miscenda sunt adstringentibus calida & tenuium partium existentia ut per totum corpus destributio fiat, ubi uero circa stomachum, aut aluum affectio hæc cõtingat, huiuscemodi pharmacorũ mixtura opus non est &c. Razes. 15. cont. In ruptura uenæ pectoris & phtisicis noli prohibere screatum perseuerante adhuc catarrhi descensu ad pectus uel pulmonem &c.

Cohibentia sputum sanguinis.

Cohibent screatum sanguinis, Aloes, Amylum, Balaustiæ, Barba hyrcina Betonica, bolus armenius, cinis cancri, cortices castaneorum, cauda equina centaurium maius, Nux cupreßi, cydonia & eorum flores, coagulum leporis & hædi, colla piscium, corallus, corigiola, Coriandrum, cornu cerui ustum cum dragaganto, Radix draconteæ, Hematites, Gumi arabicum & Amygdalarum, Cortex glandium, flores granatorum, Hyoscyamus, charabe, lachryma lentisci, litium lutũ sigillatum, Mastix, fructus Myrti, Mumia cum mastice, Oenanthæ, omphacium, cortex rad. oliuæ, cortex olibani, Albumen oui, pix portulaca, plantago, psylium, Rheubarbarum, Rosa, succus rubij salix, sandaraca, sanguis draconis, symphitum, synopida in ouo cortex suberis. sumach, spina alba, spodium cum succo plantaginis stercus apri, Terra samia, Triticum, Vernix, Virga pastoris, hypocistis. Compos. sunt. Trocisci hemathicorum mes. in cap. sputi sang. T. de charabe de terra sigillata, de papauere, de stella Auic. Triphera saracenica nic. Theriaca maior Auic. Sotira confectio, Confectio mirabilis Mes. in cu. tußis hum. Medicamen Andromaci Auic. Phylonium persicum Diaolibanum nic. loch de papauere Hali, Dia papauer Mes. Diasulphur Serap. Aqua aluminosa, calibeata, Athanasia magna Auic. 1. 5. &c.

De pronosticis sputi sanguinis.

Hip.aphor.4.aphor.25. Sanguis quidem supra qualiscunq; fuerit, malus infra autem bonus. B. Si immoderantia sanguinis adsit siue inferne uel superne exeat, semper malum est; Immoderata n. nullo modo naturæ quadrant &c. Et aph.4. aphor.47. Excretiones in febribus non inter mittentibus liuidæ cruentæ fœtide omnes malæ, Et aph.4. aph.27. Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacunq; ex parte &c. Et apho.5. apho.3. ubi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens, malum, B. Intellige nisi a plenitudine proficiscatur, alioqui ad ualetudinem confert, Verũ si ex euacuatione alius morbus sequatur, necessario pronosticum erit malum. Nam hip.aphor.7.apho.9. A profluuio sanguinis desipientia & conuulsio malum. Et apho.6.aphor.10. caput dolẽti & circundolẽti pus uel aqua uel sanguis efluens per nares aut os aut aures morbũ soluit, Et aphor.7. aph.15. A sanguinis sputo puris sputum malum, B. Hoc intellige de sputo maligno quod ex pulmone educitur, alioqui sensus aphor. non esset semper uerus. Et aph.7.aph.37. Quicunq; euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare, si uero cum febre, malum curare uero acerbis et refrigerantibus. Gal.7. de compos.med. per loc. cap.4. In reiectatione sanguinis, primum periculum est, ne immoderata euacuatio fiat &c. Auic.10.3. tra.3 cap.4. Et ille cui accidit sputum sanguinis est præparatus ut aduenìat ei ulcus pulmonis, Et ille qui est a pectore nõ est tantum timoris quantum in eo ꝙ est ex pulmone, Et multoties quidem est sputum sanguinis causa sanitatis apostematis in hepate aut splene &c. Lege & aph.3.aph.29. ibi, Iuuenibus autem sanguinis sputiones tabes febres acutæ &c.

Authores dissentientes circa sputum sanguinis.

1 Adserere, sputũ sanguinis cum tussi semper a spiritualibus

membris prouenire.

2 Adſerere, ſpumoſum ſanguinem ſemper eſſe indicium affe cti pulmonis.

3 Adſerere, Aperitiua in ſputo ſanguinis a retẽtione mẽſtruo rum facto conferre.

4 Adſerere, omnem ſanguinis reiectationem per ſuperrio= ra ſemper eſſe malum.

Confutatio diſſentientium circa ſputum ſanguinis.

Ad primum Gal. 4. de loc. aff. cap. 5. Nos uero ſanguinem quid a cerebro ad gurgulionis partes internas ut ad fauces affatim deſcẽdat, tuſsiendo educi ſæpe numero conſpeximus, quippe gutturi ſubito irruẽs tuſsim mouere poteſt, ex quibus reprehendit medicos qui eruptionem periculoſiſsimam tan= quam pulmone affecto credebant. Ad ſecundum Auic. cap. de ſig. ſpu. ſangui. Et quãdoq; eſt ſpumoſus ſanguis ex cana pul monis proueniens, & paulo poſt Et ſpuma cum dolore pe= ctoris ſignificat locum ægritudinis, unde non ſemper erit a pulmone ſpuma &c. Ad tertium Auice. 10. 3. de cur. ſpu. ſang. Caueant a cibis calidis & omnibus calefacientibus, ſed ape ritiua ſunt calida igitur non conferunt, Præterea hip. aph. 7. aph. 37. cura cum acerbis & refrigerantibus, non calidis & prouocantibus, ſed in hoc caſu fac ut monet Gal. 5. meth. ubi per ſectionem uenæ mẽſtrua prouocat, et non aperitiuis. Nec ſtyptica cum aperitiuis admiſcenda ſunt quum alterum ab al tero facile in operatione impediatur. Ad quartum Gal. apho. 4. comm. 25. inquit eam quæ ſupra fit per os ſolam excretio= nem nõ eſſe ſemper malam illa quæ fit per nares omiſſa quæ etiam non eſt mala, quoniam hip. aph. 7. aph. 37. Quicunq; euomunt ſanguinem ſi ſine febre quidem ſalutare &c. igitur non ſemper erit mala &c.

De purulentis & tabe ſiue phtiſi.

Empiema est puris collectio in media inter thoracem & pulmonem regione, Tabes uero quæ a græcis φθίσις *dicitur, est pulmonis uel thoracis ulceratio cum febre debili ac tußicula corpus consumens Nam a uerbo* φθίνειν, *quod est diminui dicta est, ex ulcere.n.corpus consumitur diminuitur ac colliquatur, Hæc differt ab hectica, quum omnis phthisicus sit hecticus et non, e, contra, præterea hectica tam ab ulcere, quã a non ulcerato pulmone oritur, Marasmus etiã ipse consumptionem corporis importat quæ a febre acuta dependet, Tabis tres sunt species, una quum corpus non alitur, ita ut summa macies oriatur a græcis* ἀτροφία *dicta, Altera ubi malus corporis habitus est in quo ferè omnia alimenta corrumpuntur & hanc græci* καχεξίαν *uocant Tertia est quæ a græcis dicta est* φθίσις, *Et fit quum a capite in pulmonem catarrhus descendit et frequens tußis oritur, Interdum tamen a medicis pro uno & eodem morbo accipiuntur.*

Loci consentientes de empiemate & phtisi.

Paul.lib.3.ca.32. ἐμπύημα κατὰ τὰ κενὰ τοῦ θώρακος ἤτοι κατὰ τὸν ὑπεζωκότα συνίσταται *.i.si uerbum uerbo reddideris Empiema in uacuis thoracis regionibus uel in membrana costas subcingente colligitur.*

Gal.lib.de Tum. præter naturam, cap.3. ἐμπύους *hoc est purulentos dicunt quibus pus in media inter thoracem et pulmonem regiones fuerit collectũ, Similis sensus habet 5.meth. cap.8.& apho.6.comm.27. &.4. de loc.aff.cap 5.Aet.ser.8. cap.67. phthisis proprie est ulceratio pulmonis ad sanguinis spuitiones consequens, Gal.aph.7. comm.16. quam proprie phthoen nominant græci, hanc hip. phthisim appellat quæ pulmonis ulcera insanabilia consequitur & totius corporis cum febre parua extenuationem, Vide etiam hanc definitionem in lib.defin.med.&.5.de loc.aff.cap.3. Vide etiam Mesu.*

ibi phthisis est detrimentum desiccationis et consumptionis
cadens in corpus ex calore febrium habitudinalium & ulce-
re pulmonis.

De causis empiematis & phtisis.

Empiema fit uel a sanguinis eruptione, uel ab ulcere, aut
ab inflammatione absessa & rupta, aut a catarrho a capite
ad pectus fluente. Causæ primitiuæ phthisis sunt aer, motus uio
lenti corporei, Regio borealis frigida & sicca, cibi & potus
salsi & acres ac caput replentes, casus percußio autumnus
pluuiosus & temperies ægri frigida & sicca &c. Causæ ante
cedentes sunt destillatio acris mordicans ac corrodens, aut
præcedens peripneumonia iam putrefacta & ulcerata, aut
pleuritis rupta, aut putrefactio & corrosio precedens in sub
stantia pulmonis, aut aliqua causarum sputi sanguinis uenam
aperiens &c. Causa coniuncta est ipsa materia producens
phthisim ad actum &c.

Loci consentientes de causis empiematis & phtisis.

Paul. lib. 3. cap. 32. purulenta screatio fit uel propter sangui
nis eruptionem, aut ab ulcere in pulmone aut ab inflamma-
tione abscessa & rupta, aut a destillatione a capite fluente ad
pulmonem, &c. De causis primitiuis plura habes ex auic. 10.
3. cap. 15. ibi, & causa extrinseca est sicut casus & percußio
aut multiplicatur quum estati boreali siccæ succedit Autũnus
pluuiosus &c. Vide de his Arcul. fusius, De causis Anteceden
tibus loquitur Mes. cap. de phthisi, ibi, ulceratio huiuscemodi
causam habet, aut ex præcedenti catarrho acuto ulceratiuo in
stillante in pulmonem, quandoq; ex præcedenti pleuritide aut
peripneumonia &c. lege eum fusius, Lege etiam Auice. 10. 3.
tra. 4. cap. 19. ibi, causæ ulcerum pulmonis sunt catharrhus
mordicatiuus &c. Vide etiam Gal. 4. de loc. aff. cap. 8. fusius
de his causis pertractantem & alios practicantes &c.

De signis empiematis & phtisis.

Signa ab exeuntibus sunt sputum saniei cum signis suis, urina est naturalis uerum interdum oleaginea, Interdum habet furfures quæ omnia humidi consumptionẽ significat in processu morbi lienteria aut diarhea superuenit, & sudor in fine digestionis, Signa a qualitate mutata sunt febris continua uniformis, genæ liuescunt pedes tumescunt carnes consumuntur, ungues curuantur, pallidi apparent Signa ab actione læsa, male dormiunt, pulsus minutus frequens uniformis diuersus in fine, hanelitus naturalis sed in fine ob uirium imbecillitatem diuersus Appetitus deiectus & quod sursum uergit fœdi est odoris &c.

Loci consentientes de signis.

Hip. prædict.2.tex.60. Cognoscuntur purulenti principio si febris nõ dimittit, Sed interdiu tenuior, noctu uehementior, Si copia sudoris elicitur, ac tußiendi cupiditas adsit, nec quidquam tamen dignum comentatione expuunt, si, oculi caui redduntur maxillæ ruborem contrahunt, ungues manuum curuãtur, digiti potißimum sumi calescunt, In pedibus tumores cõsistunt, neq; cibum appetunt & pustulæ circa corpus erumpunt, &c. B. causas horum signorum habes in comm. Gal. Lege de his Paul. lib.3. cap.32. ibi phthisis confirmata &c. Lege etiam Gal.2. de morb. cau. cap.7. & fusius.1. de diff. feb cap.9. Lege etiam Aet. & Paul. ibi, pus collectum attestantur grauitas pectoris, tußis ualida siccaq; &c. De signis præparatorum ad phthisim loquitur Gal. & Hip. aphor.5. aphor.9. ibi tabes fiunt &c. Et Auic.10.3 tra.4 cap.20. ibi isti sunt alati habentes pectus strictum &c. ubi infert ꝙ collum gracile & longũ præseferunt & humeros admodum alarum et scapulas quasi a pectore semotas habent si macilenti sint, et carnẽ cũ humorum acrium influxu, mollem habeant ad phthisim inclinati sunt, Vide de his fusius Arcul. & Gal. de diff feb.1. cap.9 Cognosce etiam ex Gal. & Hip. pronost.2 tex.62. quatuor eru=

ptionis ſuppurationis ſigna, quæ ſunt dolor, ſpirandi difficul tas, tuſſedo, & ſcreatio quæ ſi continentur & uehementer infeſtent, celerem ſignificant eruptionem, ſi minus diuturniorẽ &c.

De cura phtiſis & empiematis.

In primis an phthiſis curari poßit lege conciliatorem differentia. 193. Si curanda erit unica erit intentio, ut uidelicet cauſam tam conſeruatricẽ quam productricem amoueamus, que ſi fuerit a ſanguine per ſectionem uenæ reiteratam. Si a bile per cholagoga, ſi a phlegmate per ea quæ pituitam educunt, quamquam ſciam Auice. a Raze in hoc differre ut ipſe ſolutiua ad cauſam remouendam exhibeat, quæ a Raze ratione phthiſis factæ interdicuntur, Si uero fiat phthiſis a pleuritide cura erit in capite pleuritidis nota, Si ab empiemate tũc puris concoctio adiuuetur, deinde euacuetur, Nam ſupuratio, ſi rũpatur, uel deorſum tendet et tũc expurganda erit ꝑ aluũ inteſtina ac ueſicã, ſi ſurſum uerſus pulmonem, tunc per aſperam arteriam elicita tußi educetur, Verum ſi neutra harum uia a natura tentetur, ſupereſt tantum ut locus in quo ſanies conſiſtit, ita aperiatur, ut extrudi poßit, Si phthiſis proueniat ab ulcere tunc cura erit ut in primis ulcus abſtergatur cum hydromelle, aqua hordeacea, cum cicerũ, ac zachari aqua uel cum decocto hiſſopi &c. deinde fluxus deſtillationum prohibeatur cum his quæ pulmonem roborant, ſicut eſt ſyrup. mirtinus, puluis pulmonũ uulpis &c. 3. reſiduum permanẽs exiccetur cum melle & galbano, deinde ulcus conſolidetur cum bolo armenio Aliqui exhibent lac quod abſtergendi & conglutinandi uires habet, ſunt qui exhibent aquam hordeaceam cum cancris fluuialibus coctam & præcipue confert &c.

Loci conſentientes de cura phtiſis & empiematis.

Meſu. cap. de phth. primam rẽ complent quæ abſcindunt nocumenta catharri & ſi cauſa eius fuerit ex empiemate pe-

ripneumonia et pleuritide cura eorum dicta est secundum rē complent euacuaciones causas abscidētes, unde si cognoueris ex plenitudine sanguinis phebotomamus ex basilica si cholerам abundare euacua Auic. cap. de empie. Cunq; eruperit sanies & existimas q pauca sit, ut mundificetur cum sputo ad. 40. dies, tunc oportet ut administrentur post eam abstersiua lauatiua mundificatiua dādo ea in potu quum incipit expui, id, quod erumpitur & cum dacocto hissopi rad lilij. syrup. de Melle &c. Paul. lib. 3. cap. 32. puris concoctio primum adiuuāda est fomentis cataplasmatis, promouet etiam rupturam uomicæ sani lateris incubitus, mulsæ sorbitio & succus ptisanæ cum melle, Valentius decoctum hissopi & thymi cum melle &c. Vide latius de his Gal. 5. meth. cap. 8. et Aet ser. 8. cap. 65. et decura ulcerum. 5. meth. cap. 1. Et Auic. de cura ulcerum partium pectoris & inuenies quæcunq; a me dicta sunt &c.

Obseruationes in cura.

Gal. 5. meth. cap. 8. In ulcere pulmonis primum fac, ne, magno æger utatur respiratu, sed super agat silentium, Præterea statim a ruptura uasis facta curam incipias quo cruentum adhuc uulnus priusquam phlegmonem excitet glutines.

Mesu. cap. cit. Quando consolidatio & conglutinatio uulneris quæritur, tunc cibaria sint desiccatiua nō eleuata in gradu multæ exiccationis & sint conglutinantia ut sunt extremitates porcorum & hædorum &c. Et paulo infra prohibeatur eis omnis lubricitas uentris et constipatio uiscerum Nam lubricitas uehemens resoluit uirtutem &c.

Conferentia tabidis.

Conferunt tabidis, ius adipis capræ bibitum, Amylū, Barba hirci cum aqua hordei, Betonica, lutū armenium, Butyrū, decoctio cancrorum, dragag.ıntum, fænugræcum, Gumi albotim, peucedanum, pix humida plantago portulaca, Confectio

dicta mirabilis mes. in cur. tus. hu. loch de pino de papauere, Troc. de papauere hali, Phthisicis cōferunt radix acori cū ptisana, et Betonica, Berbenaca, Cācri cū aqua hordei, decoctio .s. citoniorū, cocleæ, cum uino, Iecur apri uel lupi .s. lini lutū armenum, Marubiū, Porrum, pulmo cerui, plantago, saluia, stercus uacarū, Cōfectio de satirion Mes. confe. dicta mirab. confect. de Iacur mes. in cur. pht. diadragagātū, Diapenidion, diarhodon, diapapauer nic. Phylonium rom. loch. de spodio Auic. loch album Mes. in cur. tus. hu. syrup. de papauere, uiolaceus de hissopo, de psylio mes. Triasandali nic. Troc. de cāph. Mes. de citonijs serapio de arsenico & zacharum ros. nouū.

De pronosticis phtisis & empiematis.

Aet. ser. 8. cap. 65. quoniam rumpuntur suppurationes uel sursum uel deorsum. Quæ sursum in uacuum thoracis locum funduntur periculosiores sunt. B. nota q, supuratio multis modis terminatur, aut statim sua multitudine suffocat, aut a colluuie pulmo putrefit, unde phthisis, aut sputo ex purgante liberat, aut per uiam magnæ uenæ ad uesicam cum urina crassa extruditur, aut per uiam secessus per intestina euacuatur, aut per tumorē in cute pectoris enatum & ruptum educitur qui modi ferre omnes præter primos optimi reputātur Hip. aph. 5. apho. 11. Qui a tabe molestantur, si sputum quod ex tussiunt graue olet iniectum carbonibus & capilli a capite defluunt, lethale B. capilli defluunt uel ob maximum alimenti defectū, uel ob humorum pernitiosam corruptionem & est pessimū signum.

Hip. aph. 5. aphor. 12. Quibuscunq; tabe laborantibus capilli a capite defluunt ijs alui profluuio superueniēte moriuntur, Et apho. 5. apho. 14. A tabe habito profluuium aluui superueniens lethale, et aph. 6. aph. 27. Quicūq; suppurati aut aquam intercutem patientes uruntur, aut secantur, si pus aut aqua

uniuersim effluxerit, omnes moriuntur. B. Vide etiam apho. 10. & .13. & .22. & .29. lib.3. circa hanc materiam item.8. lib. 4. Et apho.7. apho.16. *a puris sputo phthisis & fluxus, quum uero sputum retinetur, moriuntur*. Aet. ser. 8. cap. 67. *Difficilli me curantur ulcera pulmonis eo q. citra tußim non repurgan tur & a tußi mutuo ulcus corrumpitur*, Præterea *pharmaco= rum uires ad ulcus pertingere non ualent priusquam in uen= tre permutantur, præterea pulmo per spirationes semper mo uetur & tußiendo lancinatur*, Itidem *si curentur ita ut fistulo sæ et callosæ cicatrices relinquantur, progressu temporis fri= cantur et leui ex occasione recidiuantur*. B. Vide de his fusius Gal. 5. meth. cap. 8. & .7. de compos. med per loc. Intellige tamē tu ut Gal. q. *ulcera in superficie pulmonis facta curari possunt sed antiqua & a phlegmone facta difficulter, uel plane nun= quam sanari possunt*. *Vlcera uero pectoris facilius curantur tum quia carnosum est pectus tū quia paruo motu indiget, tū quia substantiam ita mollem & ad erosionem pronam non habet ut pulmo*, Vide de his latius Gal loc. cit. et. 4. de loc. aff. cap. 5. *ibi ulcera in pulmone &c.*

Hip. aph 5. aph. 15. *Quicunq; ex morbo laterali suppuran tur, si in. 40. diebus purgantur a die qua fit ruptio liberantur si minus ad taben transeunt*. Et pronost. 2. tex. 63. *superfunt, quos febris eodem die dimisserit ac cibum citius appetunt & a siti liberati sunt & uenter exigua et consistentia deijcit, & pus album leue & con color est et sine labore ac tußi ualida reijcitur, Qui uero contrariū habent, pereunt &c*. Et. 2 pro= nost. tex. 52. *Quicunq; dolor circa thoracem & pulmonem non desinit, adhibitis oportunis auxilis in suppurationem uerti sciendum est*. Vide textus alios sequentes ad pronosticū etiam maxime spectantes.

Gale. 5. meth. cap. 8. *Si phlegmone semel inuaserit exigua*

glutinandi est eius spes in longius tamen protrahere potest tempus &c. B. ratio est quia in pulmone nec sanies nec pus elui potest, quod in phlegmone soluta prima est intentio, nec uulnus glutinari, quum in perpetuo motu ob respirationem pulmo sit.

Authores dissentientes circa empiema & phtisim.

1 *Adserere, omne empiema esse per incisionem uel ustionem curandum.*

2 *Adserere, cum Erasistrato nihil ex thoracis spatio in pulmonem posse recipi.*

3 *Adserere, phthisim fieri posse a siccitate per se.*

4 *Adserere, humiditatem per se posse pulmonem ulcerare.*

5 *Adserere, phthisim ex ulcere pulmonis antiquo esse curabilem.*

6 *Adserere, lac nullo modo competere phthisicis.*

7 *Adserere, zacharum rosaceum recens nullo modo conferre phthisicis.*

8 *Adserere, abstergentia ex purgantiaq; solum in phthisi cõuenire.*

Confutatio dissentiẽtium circa empiema & phtisim.

Ad primum Gal. apho. 6. comm. 27. ustione tantum indigen qui plurimum habent puris adeo ut desperent per sputiones posse expurgare, sed omne empiema tale nõ est, igitur nec per incisionem curandum &c. Ad secundum respondet Gal. 5. de loc. aff cap. 3. ibi, ij namq; uel ex thoracis spatio in pulmonem quidpiam recipi impoßibile esse sibi persuadentes &c. & ibi docet modum & uiam qua fit hic transitus, Similiter &. 5. meth cap 8. Ad 3. Gal. aph. 3. comm. 16. Morbi tabitudines nominati ad has duas sequuntur constitutiones & ad frigidißimam ex qua nonnulla ex uasis quæ sunt in respirationis instrumentis dirumpuntur, & ad alteram quæ coniunctã

habet cum caliditate humiditatem, quarum occasione caput repletum mittit ad pulmonem fluxiones, a sicca uero constitutione, omnia alia magis quam tabitudines consequuntur et sic a siccitate nullo modo phthisis oritur. Ad quartum Conciliator differentia.193. in eius appenditio inquit q̃ humiditas per se nõ causat phthisim nisi fuerit cũiuncta humido catharrhali uel caliditati uel frigiditati.

Ad.5.Gal.5.meth.cap.8. ulcera pulmonis non modo adcurandum sunt difficiliora, sed quibusdam etiam impoßibilis eius cura uidetur, & hoc ratione & experientia, Ratione quoniam pulmo est semper in motu, sed quæ sunt sanãda quite indigent, Experientia, quia neminem eorum ita affectorum sanatũ uiderim, Item.4 de loc.aff.cap.8.multos ex hoc morbo defecisse, imo inquit quapropter omnes perire necesse est.

Ad.6.Gal.5. meth. cap.12. Veteres uero etiam mulierẽ lactantem, ijs qui phthoe consumeretur adstare uoluerunt, quorum sententiæ ipsæ quoq; accedo &c. ubi lac sumopere comendat, Itidem adserit septimo meth.capi.sexto, Præterea id quod est facilis assumptionis, optimæ digestionis et bonæ nutritionis, item optime humectans consolidans & abstergens confert phthisicis, sed lac habet has cõditiones ut refert Aui. igitur est dandum phthisicis, quare si ab alijs uitetur, idcirco fit, quia in febre putrida non competit &c. Ad septimum Auic.decima tertij, tra.4.cap.6. Vnum de maxime conferentibus phthisicis est zucharum rosaceum et ex eis quæ multotiẽs sum expertus in corporibus et regionibus diuersis est ut utatur pane cum zucharo ros.& si angustetur anhelitus detur in potu syrupus de hissopo & si inflammatur dentur trocisci de camphora &c. Mesu. ex rebus mirabilis iuuamẽti ad consolidationes & sanationes ulcerum pulmonis est zucharum ros.recens & supra quod non præterijt annus &c.

Ad octauũ, Cõciliator diferen. 194 Medici plerunq; errant circa phthisis curationem, eo q, uolentes purgare saniem tantum abstersiuis eam ex purgantibus utuntur, ut sanguinis sputum denuo inducunt &c. ibiq; notat, zucharum ros. non nisi præcedentibus mundificatiuis esse exhibendum &c.

De pleuritide.

Pleuritis duplex uera & mendosa, uera est subcingentis costas pectoris membranæ cum suis musculis inflammatio cum dolore pungitiuo & acutißima febre, mendosa, uero est inflãmatio in paniculis pectoris extrinsecis. Intrinsecus enim in pectore tres continentur membranæ quarum quædam a Græcis dicuntur ὑποζωκότες. i. subcingentes latine, arabice pleuræ, quæ uero recte per medium thoracis ad iugulum feruntur, διαφράττοντες. i. intersipientes, barbare mediastinũ dicitur, deinde diaphragma &c.

Loci consentientes de pleuritide.

Gal. 5. de loc. aff. cap 3. Inflammationes quæ in subcingẽtes costas membrana, ac musculis illi continuis fiunt, morbum quem lateralem uocant efficere solent, hæc met sententia est iuxta Gal. de part. art. med cap 4. & de constit. art med. cap. 15. & aphor. 6. comm. 33. ibi qui acidum ructum &c. Mesu. Pleuresis quædam uera quædam non uera, uera est apostema cadens in paniculis & lacertis &c. Non uera quæ fit in lacerto & uelamine extrinsecis &c. Vide de his Auice. decima tertij, ca de pleuritide. Item Alex. et Aet. ser. 8. cap. 68. ibi, Pleuritis exquisita & propria est inflammatio membranæ extrinsecus latera succingentis dolorem pungitiuum uehementer inferens, cum acutißima febre &c.

De causis pleuritidis.

Causæ primitiuæ sunt casus percußio pectoris, denudareq; se post laborem in aere frigido, uenti septentrionales, aquæ

frigidæ potus & similia. Causæ antecedentes, sunt humorum influxus, uel eorum superabundantia, uel retentio superfluitatum exire consuetarum. Causæ coniunctæ sunt sæpius sanguis et bilis inflammationem actu producentes, raro pituita, rarißime melancholia, quia quod est densius raro ad hæc mēbra penetrat &c.

Loci consentientes de causis pleuritidis.

Gale. lib. de constit. art. med. cap. 5. Inflammatio ex humorum influxu suboritur quia hæ partes non æque ut cutis sunt densæ & compactæ sed rare potius. Et aphoris. 6. comm. 33. idem adserit, ibi quum unaquæq; inflāmatio ex alicuius humoris &c.

Auic. decima tertij, cap. de pleu. Et materia huius apostematis ut plurimū est cholera aut sanguis cholericus, quoniā in membris tunicosis, non penetrat nisi subtilis sanguis cholericus uel purus &c.

Mesu. cap. de pleu. Commune est intrinsecis ac extrinsecis paniculis ab omni materia apostemari, uerum a sanguine & cholera frequētius, a phlegmate et cholera nigra rarius &c. & hæc de causis antecedentibus & coniunctis. De causis uero primitiuis lege Arcul. Gord. Sauona. & Auic. ibi, & quandoq; facit pleuresim, multitudo potus aquæ frigidæ & frigus additum, & facit euenire caliditas uehemens & potus uini puri &c.

De indicijs pleuritidis.

Signa pleuritidis inseperabilia sunt, febris acuta, dolor punctorius, modo ad iugulum, modo ad præcordia tendens, spiratio frequens et exigua, pulsus serinus ac durus, tußis magna interdum cum screatu interdum absq; sputis, quorum signorum si unum deficiat, uera pleuritis esse non potest. Signa materiæ inflammationem efficientis, sumūt ex colore sputi, unde si rubeus fuerit, sanguinolēta erit inflammatio, si flauus

biliosa, si spumosus pituitosa, si niger, bilis assata. Signa pleuritidem ab inflammatione hepatis intersti guentia, sunt, quia loco pulsu dolore colore & tussi differunt. Loco, quia infra costas in dextra tantum partem sentitur durities uel tumor. Pulsu quia in inflãmatione hepatis undosus est. Dolore, quia nõ acutus sed grauis. Colore, quia facies male colorata. Tussi, quia adest sine screatu spirationeq; maiori, cõtra uero in pleuritide. Signa quibus differt peripneumonia a pleuritide sunt, quia in peripneumonia pulsus est undosus, & genarum mala rubent ac si fuco deliniarẽtur. Signa quibus differat a phrenitide sunt quia pleuritis sine alienatione præsertim dum incipit prouenire solet, contra uero phrænitis cum alienatione incipit & cum anhelitus constrictione desinit &c.

Loci consentientes de indicijs pleuritidis.

Gale. 5. de loc. aff. cap. 3. huius signa inseperabilia sunt, febris acuta, dolor perinde ac si locus intendatur uel pungatur, spiratio frequens & exigua, pulsus paruus arteriam duram & quodammodo intensam demostrans, Tussis magna cum sputis coloratis nonnunquam sine his &c. Orib. aphoris. 1. commen. 16. ibi accessiones &c. Signa inquit pleuriticorum sunt quatuor. s. tussis, respiratio difficilis, febris, & dolor acutus, quorum unum si deficiat pleuritis esse nõ potest. B. habentur hæc met signa ab Hippoc. 4. de uic. in mor. acu. tex. 72. & lege causam horum signorum ex ipso Gale. in commen. Gale. de constit. art. med. cap. 15. ex colore sputi quis humor peccet, nobis demostrauit, ibi, si sputum colore rubro inficitur, tunc sanguinolentum erit, si flauo, biliosum, at si spumosa excreentur, pituitosum, si niger fuerit screatus, tunc iudicandum an fluctio siue biliosa siue sanguinolenta assetur &c. Lege etiam fusius. 5. de loc. aff. cap. 3. et aphor. 6. comm. 33. ibi quæ a flauis ac rufis sputis fit ex biliosis humoribus &c. De alijs signis

quibus ab aliјs morbis interstinguatur pleuritis, fusius habes iuxta Paul. lib. 3. cap. 33. & a Gale. 5. de loc. aff. cap. 3. De signis pleuritidis mendosæ fit mentio a Gal. ibidem. 5. de loc, aff. ibi, sunt & aliј laterum dolores cum febre & exigua respiratione &c. Et sunt hæc grauitas lateris sine tußi, nullum redditur sputum, dolor extrinsecus est tumor deinde extra apparet &c. Signa concoctionis pleuritidis habentur ex Galeno in comm. 12. lib. primi aphoris. ibi, acceßiones et constitutiones morbi indicant &c. Lege Galenum etiam secundo de loc. aff. cap. 9. ibi, quod si tußiēdo nihil expuat, fieri potest ut nihilo minus pleuriticus sit ille &c.

De cura ipsius pleuritidis.

Cognoscas id in primis licet, an notha uel uera sit pleuritis, si notha tunc cura tentatiua utitor cum fotu tum humido tum sicco, quale est decoctum camomillæ anethi mellilloti. s. lini fenugræci &c. uel sacculum ex sale milio furfure &c. & cum his quæ potius uentrem leniunt quam ualide soluant si uera fuerit pleuritis, uel ad resolutionem, uel suppuratione͂, uel ad alium morbum transmutabitur. Si ad resolutionem, tunc in primis id quod influit reuellendum cum sectione uenæ cum leuibus clysteriјs cum cucurbitulis cruribus applicitis, cum fricatione partium inferiorum, Secunda intentio erit materiæ præparatio, quæ si fuerit sanguinea uel biliosa præparabitur cum syrupo uiolaceo, iuiubino, cum aquis uiolarũ, hordei, citruli, melonis indi, cucurbitæ &c. uel cum decocto rerum pect. frig. Verũ in materia biliosa requiritur id quod plus infrigidet et humectat quam abstergat, in sanguinea plus abstergat quam humectet, in pituitosa plus abstergat quam infrigidet quale est decoctum hissopi & syrupus de liquiritia hydromel & oxymel. Tertia intentio est euacuatio a loco in quo sit inflammatio & perficitur cum sectione uenæ ex eode͂

latere patiente, uel solutione uentris, ubi materia ad has partes declinet, nã quo natura uergit eo ducere oportet per loca conferentia & hæc fiet tutius per casiam mannam rheobarbarum. T. de agarico de uiolis &c. Quarta intentio erit sputi euocatio ac facilis eductio & pficitur cum iuleb syrupus iam dictis, uel aliquo eclegmate, uel inunctione ex oleo uiolaceo amygdalino dulci etc. Quinta intẽtio est residui resolutio quæ fiet cũ topicis in modũ emplastri et fomenti cum camomilla &c. Si uero ad suppurationẽ uertatur Prima intentio erit puris concoctio quæ fiet cum emplastris ac unctionibus mollietibus sicut cũ oleo amygd. dul. butyro, adipe galinæ &c. Secunda intentio est rupturæ uomicæ promotio, quæ fiet cum ualida tußi et cum his quæ dilatãt pectus qualis est mulsæ sorbitio, incubitus eiusdem lateris cũ ualido corporis motu &c. Tertia intẽtio est abstersio cum aqua sacchari uel hydromelle cum iure cicerum. Quarta intententio erit conglutinatio & perficitur cũ boloarmeno & cum similibus &c. At si ad alium morbũ transmutetur, cura eiusdem morbi curabitur &c.

Loci consentientes de cura pleuritidis.

Hippocra. 2. de uic. in mor. ac. tex. 1. lateris dolorem siue is per exordia fuerit siue postea exortus sit, tentare calidis fomentis dissoluere non abs re existit &c. et hæc de cura nothæ tentatiua, ubi laudat fomenta ex aqua calida & quæ ex sale milio parantur. Auic. de cur. pleu. plura habet ibi, uerũ humida cum non iuuant non nocent &c. De cura ueræ pleuritidis loquitur deinde Hippocra. 4. de uic. in mor. ac. tex. 73. ibi, si dolor sursum uel ad clauiculam, uel ad mamam uel brachiũ ascẽderit. Venam brachij internam seccare oportet qua parte dolor afficit, sanguinemq; auferre pro corporis habitu ãni tẽpore ætate immo si dolor acutus fuerit usq; ad animi deffectum detrahes, postea clysterẽ exhibebis, si uero sub thorace

dolor fuerit pleuritico uentrem sub purgabis. Lege etiam secundo de uic. in mor.ac.tex.10.11 ubi non ad animi usque defectum uenã secare iubet, sed eo usq; extrahere, donec rubidior multo, aut pro rubido liuidus fluxerit &c. Quo nam latere secanda sit uena, dubitauit primus Gentilis, deinde omnes neoterici quãquam meo iudicio efficatiores sint eorum rationes, qui a parte læsa dicunt extrahi, quam qui ab opposita, Pro his Lege Manardum lib.12. epistolarum ad Iacobũ pharusium plures rationes adducentem. Galenus secundo de uic. in mor.ac. comm.11. tutius est per uenæ sectionem euacuare, quam per purgantis medicamenti administrationem etiam si ad hypochondriorum regionem dolor finiatur, immo per uenæ sectionem nullum impendet periculum, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur, maxime quum morbus hic acutus sit cum febre uehemẽtißima. Quod etiam diuersio ad hanc intentionem spectet lege Auicen. ibi, oportet ut prohibeas materiam euenientem cum euacuatione et attractione &c. De secunda intentione loquitur Mesu. ibi, Mondificationem corporis oportet ut præcedant præparatiuæ ad materiei digestionẽ necessaria, et si materia fuerit cholerica requiritur infrigidatio maior cum humectatione non spoliata a uirtute abstersionis &c. Si materia erit sanguinea requiritur uirtus infrigidationis minor & abstersionis maior, si phlegmatica requiritur minor infrigidatio & maior abstersio. De tertia intentione loquitur Auic. decima tertij, de cur. pleu. ibi, dicamus igitur q̃ cura est phlebotomia si sanguis fuerit uincens, & si est humor alius euacua non cum eis quæ sunt sicut mirobalani &c. Paul. lib.3. cap.33. Recentiores omnibus uenam incidunt, ueriti ut opinor turbationem quã purgatio solet accersire &c.

De quarta intentione plura habes ex Mesue ibi, quintum

rem complent administrationes medicinarum ſputum facili tantium, quæ fiunt cum humectantibus et lenificantibus procedēdo ad res temperatæ abſterſionis &c. Auice. loc. cit. oportet ut ſi tua magnifica intentio ad hoc ut ſputum facile ſit & ex eis quæ multiplicant ſputum eſt dormire ſuper latus infirmum &c. De alijs intentionibus curatiuis habes etiam plura ex Auice. loc. cit. ibi, & ex eis quæ ſunt ſolicitudo attendēda eſt ut ſuccuras maturationi ægritudinis, et ſi ſanies fiat oportet ut ſuccuras cum mundificatione &c. lege de his uberius Mes. Marc. Cat. Arcul. Gordonium & cæteros practicantes.

Obſeruationes circa curam tentatiuam.

Meſu. cap. de pleu. Et canon eſt debere ab humidis & debilioribus incipere & quanto compactior & ſiccior fuerit materia, tanto tardius ad fortiora prorumpere, ne reſoluatur quod eſt ſubtile & cadat durities in reſiduo. Cauendum inſuper ne uapor ex euaporatorijs ad nares ægri aſcendat, diſſolutionem enim & triſtitiam & anhelitus constrictionē generat &c.

Hippocra. ſecundo de uic. in mor. ac. tex. 9. Verum ſi fomētis dolor non placetur, non diutius calefacito ſiccat enim id pulmones atque ad ſuppurationem excitat &c.

Obſeruationes in phlebotomia.

Auicen. decima tertij, cap. de pleu. Cumq; phlebotomas et euacuas & non ſedantur accidentia tunc ſcias ꝙ prohibitio collectionis quā quæris difficilis eſt non igitur reiteres phlebotomiam ut non congelletur materia, quæ habitura eſt collectionem et poſt hæc diſpoſitio debilitatis uirtutis, non eſt quæ tollerare poſſit phlebotomiam & ſolutionem, ſed neceſſariū eſt tunc uti clyſterijs &c. Meſu. oportet phlebotomiam preponi ſolutiuis, niſi uentris fuerit conſtipatio, tunc enim præcipimus lenire prius naturam &c.

Obſeruationes in ſoluente pharmaco.

Auic. decima tertij, cap. 1. in ſolutiuo eſt timor magnus, ipſum nanq; interdum mouet & quandoq; non ſoluit, et quãdoq; ſuperfluit, uide de his Gal. 2. de uic. in morb. ac comm. 2. deinde inquit auic. nec ſoluatur uenter cum pharmaco laborioſo, ſed leniente, & uitentur ſtyptica ſicuti myrobalani.

Conferentia pleuritidi.

Conferunt dolori lateris et pleuritidi, amygdalæ anethũ, berbena, betonica, bdelium, braſica, galbanum, gentiana, malua capillus uen. uiole, hordeum, paſſulæ iuiubæ, peucedanum, ſaluia, uerbaſcũ, urtica, iris illirica, colatura furfuris cocti in aqua hordacea, althea, alchana, camomilla, caricæ, hiſſopus, penidij, zucharum uiolatum & quecunq; dicta ſunt ſuperius in capite peripneumoniæ.

De pronoſticis pleuritidis.

Hipp. aphor. 3. apho. 23. Hieme uero morbi laterales &c. Et aphor. 6. aphor. 33. qui acidum eructant, non ual de morbo laterali corripiuntur & aphor. 6. aphor. 16. a morbo laterali uel pulmonia habito alui profluuium adueniens malum. B. Intellige de fluxu a natura non regulato, nam qui a uirtute regulante fit etiam in principio bonum, niſi ullum aliud accidens fuerit quod uirtutem proſternat, unde Auic. & fluxus in principio apparens bonum eſt ſignũ &c. Et aph. 5. aph. 8. quicunq; morbo laterali laborantes in. 14. diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem uertuntur, Et apho. 15. eiuſdem, quicunq; ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in. 14. diebus purgantur, a die qua fit eruptio liberantur ſi minus ad tabem trãſeunt Auic. decima tertij, cap. de pleu. quæ eſt propinqua cordi & parti ſiniſtræ eſt deterior, ſed ad hoc ut maturetur conuenientior, & quæ eſt remotior a parte ſiniſtra eſt ſalubrior, ſed ex parte reſolutionis & maturationis magis inobediens

& paulo post, & apparitio fluxus sanginis narium est ex signis bonis ultimis in pleuresi, B. adde tu ꝙ non tantum a naribus sed ab hemorrhoidibus et matrice prouenien sanguis in casu laudatur, Gal. 10. methe. cap. 5 si pulmonis uel membranæ quæ costis subtenditur, uel uentriculi uel iocineris phlegmone sit, quæ has partes occupet, non modo his qui imbecilles sunt uiribus, sed etiam quibus ualentiores sunt mortifera esse solet Hip 3. prorrhet. tex. 5. dolor lateris ex sputis biliosis, si absq; ratione euanerit in furorē aguntur. B. facto scilicet bilis ad cerebrum transitu, Auic. decima tertij, tra. 4. cap. 1. Et quando accidit prægnantibus est pernitiosum, & accidens decrepitis ob debilitatem uirium in spuendo interficit. B. Nam. solet hominem interimere uel ex eius uehementia symptomatū, uel ex præfocatione. Primo modo prægnantes moriuntur. Secundo decrepiti non ualentes materiam extrudere.

Hip. lib. de aere & aqua, qui habent uentrem natura humidum, minime morbo laterali atq; alijs morborum generibus corripiuntur. B. hic locus citatur a Gal. aphor. 6. comm. 33. & ratio est quia abundante bile aut pituita salsa & acri irritatur aluus ad deiectionem, in qua plures humores excerni solent &c.

Authores dissentientes circa pleuritidem.

1 *Adserere, pleuritidem posse fieri absq; febre, anaxionis exemplo.*

2 *Adserere, profluuium alui in omni pleuritide esse, signum periculosissimum.*

3 *Adserere, pleuritidem plerunq; fieri a tenui pituita.*

4 *Adserere, repercussiua in pleuritide iam facta conferre.*

5 *Adserere, pleuritidē dextri lateris deteriorem quā sinistri.*

Confutatio dissentientium circa pleuritidem.

Impugnat primum Gal. aph. 1. comm. 12. ibi, In morbo laterali,

rali acuta quidem febris una cum ſpirandi difficultate & tuſsi & dolore lateris pungente ſigna paſsionis ſignificatiua nominantur. Et. 5. de loc. aff. cap. 3 uocat hæc ſigna inſeparabilia, igitur abſq; febre fieri non poteſt.

Ad ſecundum, Gal. aph. 6. cõm. 16. In mediocri uero morbo laterali profluuium alui ſuperueniens poteſt prodeſſe ratione euacuationis & magis quum ſigna cõcoctionis apparuerint ineſſe paſsionibus, neq; adeſt timor, ſed morbus eſt citra periculum.

Ad tertium, Gal. aphor. 6. comm. 33. Pulmo in omni parte rarus ac laxus promptius eſt omnes ſuſcipere humores, mẽbrana autem ſubcingens plus bilioſo ob hanc igitur cauſam, quibus pituita natura ſuperabundat, raro a morbo laterali corripiuntur, &c. ubi habes non plerunq; a pituita fieri.

Ad 4. Gal. 2. meth. cap. 17. Partius ad pectus eſt adſtringentibus utendum quando talia, humores, qui phlegmonem excitant, in pulmones & cor nonnunquam reprimant, & paulo poſt, quippe foras trahere potiusquam reprimere in eo debemus itidem ait Auic. decima tertij, in ſer. comuni de cur. doloris, unde non mirum ſi Meſu. a Gord. hac de re deridatur, quũ in eo morbi principio principiante nullum opus medici ab infirmo petatur.

Ad quintum, reſpondet Conciliator diff. 100. Et tenet q̃ deterior ſit reſpectu ſitus materiæ item ratione nobilioris partis, item quia ſæuiora fiunt ſymptomata &c. Lege fuſius ubi de peripneumonia agit.

De cordiaca paſsione.

Sunt cordis paſsiones ſeinuicẽ conſequentes numero tres. Prima, eſt cordis imbecillitas, Secunda, eſt palpitatio. Tertia, eſt cardiaca ſyncopa, Nam facta imbecillitate cordis uehemẽti, agitatur uirtus, unde palpitatio ex qua deinceps ſyncopis

oritur, nec inter se differunt nisi secundum magis & minus, palpitatio est quædam dilatatio atq; contractio præter naturæ ordinem facta cardiaca uero syncopa est innati roboris labefactatio & languor siue præceps uirium lapsus.

Loci consentientes de cardiaca passione.

Mesu. de ægritud cor. Aegritudines cordis sunt, debilitas pulsus, tremor & syncopis, non aliter inter se differentes nisi sicut debiles & fortes, debilitas facta fortis, usq; adeo ut sit agitatiua uirtutis facit tremorem, tremor superueniens generat syncopim ultimitas in syncopi est extinctio & mors. B. nota q. arabes pro palpitatione cordis tremorem dicunt nescientes inter palpitationem & tremorem interstinguere, sed de his fusius dicemus in fine huius morbi.

Gal. lib. de tre. & palp. cap. 5. Palpitatio est quædam dilatatio atq; contractio præter naturæ ordinem. Et. 12. meth. cap. 5. syncope est præceps uirium lapsus.

Auic. decima tertij, cap. 6. Syncopa est destructio maioris partis plurium uirtutum motiuæ ex sensibilis propter debilitatem cordis & aggregationem totius ad ipsam &c.

De causis syncopæ.

Causæ syncopæ sunt uel extraneæ uel interaneæ extraneæ sunt ambiẽtis aeris malitia, uel res uenenatæ, uel animalium uenena, uel aliquis animi affectus, qualis est ingens dolor timor &c. uel plures motus uigiliæ respirationis probibitio &c. Causæ interaneæ uel primario affectu fiunt, uel per consensum totius & partis. Si primario affectu, erunt, uel mala intemperies cal. frig. sic. hu. uel mala compositio obstruens & spiritus præfocans, uel solutio continui, quæ si fuerit in superficie mors usq; ad diem secundum prolongatur, si ad uentriculos penetret statim interficit, uel erit aliqua inflammatio uel abscessus ex quibus breuiter aut aliqua mora facta mors

sequitur, Si per consensum totius corporis tūc uel erit febris acuta coliquans, uel uehemēs raritas corporis ex qua magna sudoris copia elicitur. Si per consensum partis uel erit ab ore uentriculi uel a mala hepatis dispositione, aut uteri strangulatu, aut a retentis menstruis, aut a uermibus aut ab immodica hemorrhoidarum euacuatione aut a medicamento fiet.

Loci consentientes de causis syncopæ.

Gal. 12. meth cap. 7. Occasiones quibus syncopæ succedunt sunt sex dolor uehemens, uigiliæ, immodica innanitio, interdum motus, & principiorum intemperies & cap. 5. eiusdem fit syncope ex ambientis aeris malitia, uel ex uenenatis facultatibus, uel ex animalium uenenis uel ex aliquo affectu animi & pluribus motibus, ex uigilijs, ex inmodica eius tenuitate ex continentium corporum raritudine, ex respiratu prohibito et ex nutrimenti defectu &c. De alijs uero causis loquitur. 5. de loc. aff. cap. 2. ibi affectus cordis si primario affectu fiāt, erunt aut malæ intemperies, aut uenenosus humor, aut erysypelas, aut inflammatio aut alius quipiam præter naturalis tumor &c. Lege de alijs a me recitatis totum hoc caput, & 12. meth. ibi, si per consensum ab ore stomachi &c. Vide etiam de his quæ per compatiendi rationem fiunt Mes. longo satis sermone pertractantem, et Auic. decima tertij, cap. 6. et Paul. lib. 2. cap. 38. Similiter uide Aet. & reliquos practicantes, nam Auic. tres causas ponit quarum, Prima est attractio, totius aut maioris partis spiritus ad cor. Secūda est præfocatio spiritus in corde spiraculum nō inuenientis. Tertia est paucitas spiritus in toto, ita ut non superfluat præter illum qui est in minera &c.

De signis syncopæ.

Signa ipsius syncopæ est animi deffectus, pulsus parui, extremorum frigus & sudor frigidus perrumpens. Signa pri-

marij affectus sunt quia nullam manifestã causam in alijs mẽ bris inuenitur, nec in ore stomachi, quũ nõ adsit nec uomitus nec, nausea, Signa malæ cõplexionis calidæ sine materia: sunt caliditas æstus, incendium, febris, pulsus frequens & uelox. Signa compl. frig sunt pulsus & anhelitus tardus rarus; Præcesseruntq; longa ægritudo, sanguinisq; euacuatio &c. adest somnolentia color pallidus, Signa siccæ comp sunt extenuatio corporis, nulla sentitur humiditas plus durus &c. Si sanguis uel bilis peccet, sentitur caliditas pulsus magnus plenus fortis. Si melancholia, adest timor tristitia solicitudo pulsus durus &c. Si pituita, abest sitis, cor percipitur ac si in aqua nataret, pulsus mollis &c. Signa opilationis sunt, diuersitas in pulsus percepta cum imbecillitate et paruitate &c. Signa per consensum sumuntur a membris communicantibus materiã, Nam si a cerebro tunc præcesßit dolor capitis uertigines, imaginationes falsæ Si ab hepate cognoscitur ex debilitate caliditate & grauitate in eo percepta cum suis alijs morbis. Si a pulmone cognoscitur ex difficultate spirandi ex tusßi & ex catharrho. Si a stomaco cognoscitur ex uomitu nausea, difficultate digerendi &c.

Loci consentientes de signis syncopæ.

Paul. lib. 3 cap. 34. Notæ ipsius sunt, resolutio animeq; defectus, pulsuum paruitas, extremorũ frigiditas & in sudorem prorumptio. At si cor incaluerit magnam crebramq; edi respirationem, si refrixerit exiguam & raram.

De signis primarij affectus & per consensum. Lege Auic. decima tertij, cap. 7. ibi, Et quãdo syncopis non habet causam manifestam & est cum tremore cordis frequente & non est quod est in ore stomachi causa faciens ipsam, tunc ea est cordialis confirmata, illa uero cum qua est nausea & conturbatio est stomachalis &c. Loci de alijs signis habentur fusius ab

ipso Auic cap. de signis tre. cordis similiter ab Arcul. Sauo. & Gor. & ab alijs.

De cura tremoris cordis ac syncopæ.

Primum regimen erit contrarium causæ efficienti tremorem siue palpitationem nam si fuerit causa calida, regimen erit frigidum cordiale, si frigida, calidum &c. Secunda, quæ occurit intentio erit digestio præsertim si ab aliquo humore fiat, in causa calida cum frigidis, ut cum syrupo uiol. de ribes, de suc. acetosæ de limonibus acetoso simp. cum aquis uiolarũ rosarum boraginis nenupharis &c. Tertia, erit euacuatio quæ peccante sanguine, (uirtute roborata) fiet per sectionem uenæ in parua quantitate, aut peccante bile per leuia pharmaca qualis est infusio rheubarbari in rebus cordial. cũ myrobalanis citrinis cum manna ac casia. Pituita uero superabundante cum diaphinicone electuario indo cum myrobalanis chebulis & agarico additis semper rebus cord. calidis, in melancholia peccante cum confectione hamech pillulis indis de lapide lazuli &c. Quarta, intentio est reuulsio qua reuellimus materias a corde & deducimus ad membra ignobilia cum fricationibus cucurbitulis, cum sectione uenæ saphenæ cum lotionibus & clysterijs &c. Quinta, est robur cordi addere remouendo intemperiem calidam cum frigidis, ut puta cum rosis camphora sandalis acetosa nenuphare & similibus in causa frigida cum calidis ut cum buglosa zedoaria mellisophilo cort. citri, musco ambra &c. aut cũ compositis ut puta cum zucharo boraginaceo buglosaceo, electuario de gemis diambra diamusco, hinc etiam parari possunt epithemata. unctiones. sacculi pulueres &c. Syncopis maxime si in paroxysmo fuerit tres in eius cura requirit intentiones. Quarum prima prohibet resolutionẽ spirituum qui remanserũt, ne omnino resoluantur & fit cum irroratione faciei cum

aqua rosacea acetoq; mixta, uel aqua frigida uel uino. Secūda; regenerat spiritus & uirtutem roborat, unde huc spectant, aromatica, & quæ cito reficiunt, qualia sunt uinum oua sorbilia, aqua carnis & similia. Tertia excitat uires & conuertit uapores & spiritus ad exteriora, cum fricatione extremitatum, cum prouocatione sternutationis, facta com acri aceto & heleboro albo &c.

Loci de cura syncopæ.

Auice. undecima tertij. tra. 2. cap. 4. de cura a causa calida inquit & stude ut sit aer infrigidatus ultima infrigidatione, ut sint rorationes et odoramēta aromatica camphorata &c. ubi comendat etiam res in cibo acetosas cum succis fructuum agresta & malis acetosis &c. Pro secunda intentione inquit da ei ad sorbendum syrupum de fructibus &c. Pro tertia intentione in materiali omni feratur auxilium cum euacuatiuis in sanguineo cum phlebotomia & extractione sanguinis ultima &c. lege eum fusius & plura inuenies a me dicta. Lege in super Arcul. Marc. Cati. Sauo. & Gord. et cæteros neotericos. De cura syncopis loquitur Gale. 12. meth cap. 5. Quum essentia uirium quibus regitur corpus tum in spiritu, tum in solidorū corporum temperamento consistat, hæc si integra sint seruari debent, si corrupta ad integrum reuocanda. Quæ igitur portio defluit hanc apponendo resarcimus, quod alterascit, in debitam temperiem per contrariam alterationem uindicemus &c. B. Habes curam illius syncopæ quæ per consensum oris uentriculi fieri solet ab ipso Gale. 12 meth. cap 3. præcipue si a crudis crassisq; humoribus fiat, si uero a flaua bile habes similiter curam cap 5. eiusdē lib. ibi, at quibus ex flaua bile quæ os uētriculi infestet, syncopa incidit &c. Lege Paul. agi. cap. 36. & 37. lib. 2. omnia ex Galeno satis belle recitantem &c.

Quot modis dicatur Medicina cordialis.

Auic in lib. de uiribus cordis septem modis dicitur Medicina cordialis, Primo quia reficit spiritus & nutrit ut uinum & de hoc etiam loquitur ipse secunda primi summa de pulsibus, & undecima tertij, in cura syncopis similiter aqua carnis oua & similia. Secundo quia illustrat spiritus ut margaritæ & siricum. Tertio quia congregat substantiam cordis & spiritus prohibendo resolutionem eorum ut charabe terra sigilata, bolus armena. Quarto quia amica est cordi quale est dulce & odoriferum. Quinto quia per uirtutem suam alterant & uiuificant roborando per qualitates manifestas qualia sunt simplicia temperata ut borago buglossum aurum. Sexto quia euacuant depurando humorem melancholicum a corpore, aut euacuãdo quod nocet cordi ut sunt myrobalani etc. Septimo quia sua proprietate occulta roborat ac confortat cor, ut iacintus semina citri, buglossum &c.

Obseruationes in cura.

Auic. undecima tertij, tra. 1. cap. de can. ul'ibus cor. oportet ut sit uelox studium in cura malarum dispositionum cordis, ita ut non fiat error, quia incorrigibilis esset quod non accidit alijs membris &c.

Obseruationes in euacuatione.

Auice. loc. cit. obseruamus ne superfluat & cadat uirtus, deinde post euacaationem uiuificemus uirtutem, Repletio sanguinea remouetur phlebotomia basilicæ dextræ, & repletio uaporosa cum phlebotomia basilicæ sinistræ, In alijs euacuationibus misceantur medicinæ cordiales &c. Mich. Sauo. de mente Auic. inquit audaciores esse debemus in administando phlebotomiam in ægritudinibus cordis quam pharmaciã, nam phlebotomia non peruenit ad cor ledendo sicuti pharmacia cum suis uaporibus.

Obseruationes in remouenda mala complexione.

Auic. in cura calidæ, si inueneris uirtutem debilem & timueris extinctionem, non erit excusatio quin permisceas frigida calidis. Marc. Cat. non debemus exceßiue calidis & frigidis uti, & quum infrigidare desideramus, medicinam calidam aromaticam miscere debemus, quia frigida claudunt uias & penetrare non possunt, uel hæc simul miscemus ut naturalis color & spiritus una conseruentur, nam Auic. confidimus q̃ si natura fuerit fortis, discernet inter frigidum et calidum & afferet frigidum cordi & calidum spiritui &c. Vide eum fusius: Gale. 12 meth. cap. 5. ad robur uirtutis conseruandum & ad syncopalem acceßionem, quo minus de repente incidat, cauendam, singulare præsidium est temperamẽti custodia &c. Vide Mesu. de his &c.

Nocentia ac conferentia cordi.

Nocent cordi, alscebram, colocynthis, euphorbium. genista, mezereon, lac. scamonium. Conferunt debilitati, syncopi et tremori, aurum, caro chochlearum, margaritæ, menta, mellissa, & xyloaloes, ambra, borago, cinnamomum, crocus, granata acetosa lapis lazuli, acetosa, myrobalani, aqua florum mirti, rosa, poma acetosa, sandali, sena, spica inda, spodium, os de corde cerui, omphacium, zingiber, perdix, siricum, argentum, been, acetositas citri, coralli, coriandrum, doronici, emblici, endiuia, epithimum, folium, charabe, mumia, rheubarbarum, persica, uinum, oua, composita sunt diamargaritõ nic. electuarium de pomis mes. diamuscus dulcis, aromaticum muscatum mes. electuarium de gemis mes. pliris arcoticon nic. confectio xyloaloes mes. diasenæ diaanthos dia rodon nic. electuarium lætificans mes. zucharum ros. boraginaceum diambra, ambra cum ligno aloe & osse de corde cerui cum aqua rosacea in modum pillularum, electuarium de citro, prælator. regum, mes. gallia muscata, oleum milliuũ

mes. oleum basiliconis nic persica & pira condita, rob de ribes de berberis de sumachde pomis de granatis acetosis de citro, syrupus rosſ. de pomis de acetosa theriaca magna Auicen. triphera ioanitij mes. teodoricon magnũ troc, de xyloaloes, de musco almans, potio muscata nic. sotyra confectio &c.

De pronosticis syncopis & palpitationis.

Hippoc. aphor. 4. aphor. 65. In febribus circa uentriculum & fortis æstus & cordis tremor uel dolor malum. Et apho. 2. apho. 41. Qui frequenter ac fortiter absq; causa manifesta exoluuntur de repente moriuntur.

Paul. lib. 3. ca. 34. si syncope ualida sit medicinæ locus non est, sed si uires adhuc tantillum constent, aliquando ad sanitatem recursus est &c. Gal. 12. meth. cap. 6. Existimandi sunt in sanabiles qui uiribus iam languentibus aliquod eorum uiscus phlegmone infestetur, quoniam nutrire eos assidue non possumus nec seruare eos, si non nutriantur, licet &c. Auice. undecima tertij, tra. 2. ca. 6. & scias q; syncopis confirmata curam non recipit, & proprie quando perducit ad uiriditatem faciei & conuersionem colli & ille cuius res peruenit ad hoc, tunc quum caput eleuat, statim moritur. B. Tria requirũtur ad hoc ut confirmata dicatur, Primum q; sit continua, Secundum ut sit ut uehemens, Tertium q; nulla adsit causa manifesta ut dictum est in aphor. Gal. 12 meth. cap. 5. si copia humorum crudorum uires præmant & propter tum multitudinem tum crassitiem exiguos animalis meatus obstruant iam multis nominibus exitialis est syncope &c. Auic. loc. cit. Quumq; confirmatur in corde malitia complexionis non recipit curam, & quando non est confirmato non facile curatur, apostema quidem calidum est interficiens statim & frigidum ex eis est quæ sunt difficilia, quumq; cor non tolleret ut apostemetur, quomodo tollerabit ut collectio & saniositas in

ipso fiat, cor longinquius est adhoc ut toleret solutionem singularis. Et quando accidit ut penetret usque aduentres eius interficit statim, & si non est penetrans postponitur eius interfectio usq; ad secundum diem. Et quando permutantur materiæ expulsæ ad cor expleuritide & peripneumonia sunt causæ magni timoris & mortis subitæ. Et quando calor purus aut frigus purum peruenit ad cor moritur, & quandoq; uidi congelatum loqui & iam moriebatur cum sudore &c. lege hunc locum fusius.

Authores dissentientes circa cardiacas passiones.

1 *Adserere, idem esse palpitationem & tremorem cordis.*

2 *Adserere, syncopim frequenter accidentem esse signum mortale.*

3 *Adserere, sectionem uenæ usq; ad syncopim non esse faciendam cum Auerroe.*

4 *Adserere, uinum in defectu animi non esse exhibendum.*

5 *Adserere, in actu syncopis reficientia spiritus non præmitti debere stypticis.*

6 *Adserere, syncopim & lipopsychiam nullo modo inuicem differre.*

Confutatio dissentietium circa cardiacas passiones.

Inpugnat primum Gal. lib. de tre. & palp. ca. 5. ibi, tremor est parti quæ sursum uicissimq; deorsum feruntur, inuoluntarius motus, sed sursum ferri & distrahi, & ferri deorsum & cuntrahi non idem est, igitur nec tremor & palpitatio idem sunt &c.

Ad secundum Gal aphor. 2. cōm. 41. Non omnes qui exoluuntur de repente moriuntur, sed qui sæpius, fortiter, ac sine causa manifesta exoluuntur igitur frequens syncopis hoc nō efficit, sed tantum seruatis tribus dictis conditionibus.

Ad tertium Gal. apho. 1. comm. 23. In maximis inflamma

tionibus & in febribus adurentibus, mensura euacuationis est usq; ad animi defectum, nam in febribus ardentissimis statim totius corporis habitus refrigeratur, febris extinguitur et plurimis aluus citatur sudores emanant &c. In *maximis uero doloribus nullum maius inueni remedium quam usq; ad animi deffectum euacuare &c. unde argumenta Auerrois non concludunt quum plerunq; ea quæ natura incohat ars deinde perficiat & econuerso.*

Ad quartum, Respondetur q. si uinum interdici deberet, maxime ijs qui syncopi laborant ex flaua bile interdiceretur, sed Gal. 12. *meth.* ca. 4. *omnibus quos syncope male habet offerri iubet, eo q. deductionem in corpus promoueat, igitur in syncopi uinum erit exhibendum, intellige tu omnibus phlegmone in teriori non laborantibus &c.*

Ad quintum, Respondetur, q. a ctu exiis syncopis refici uirtus desiderat, & sic præcedent reficientia stypticis, sed si timeatur de futura syncopi, ob nimiam euacuationem, debent præmitti styptica & hæc ex Gal. 12. *meth.* ca. 6.

Ad sextum, Gal. 12. *meth. ca.* 5. *loquens de succis grauantibus ac obstruentibus inquit, q. si nec obstruant, nec onerent, syncopem. ij. certe non inferunt, sed quas lipopsychias græci, uocant, ubi lipopsychiam a syncopi differre dicit, Præterea syncopis accipitur tanquam genus lipopsychia tanquam species, igitur aliquo modo in ter se differunt &c:*

De uomitu nausea & uuluolosa subuersione.

Vomitus est motus facultatis expulsoriæ stomachi, cum quo expellitur id quod est noxium per uiam oris.

Loci consentientes de uomitu &c.

Gale. 6. *de sympt. cau. ca.* 2. *Accipit nauseam pro uomitu, dum inquit, Nausea est expultricis facultatis motus deprauatus, quo per gulam id celerrime euacuatur quod uetriculo*

est noxium, Interdum accipitur nausea per preuia ad uomitum dispositione, sicuti primo de loc. aff. cap. 4. dum inquit, Quod si humor quispiam in ipsis uentriculi tunicis contineatur, nausea quidem uexabit, sed inanis & sine uomitu & que irritat duntaxat nullum humorem euacuans, &c. Et octauo de comp. med. per loc. cap. 2. Appellant eos stomachichos quibus nausea contingit & maxime si ad uomitum impellat, erunt igitur quatuor se inuicem sequẽtia symptωmata, primũ ανοπεξια, quæ fit quũ stomachus intemperie uitiosus, aut humorum redundantia cibos auersatur, hæc dum crescit nauseam parit, ex qua adhuc aucta, subuersio oritur, quæ fit dum fundus stomachi ad superiora uertitur, unde quum uehemens est subuersio uoluulosa, a Gale. 8. de comp. med. per loc. cap. 3. dicitur, non minus ac si uehementi contentione & uiolentia, ueluti in uoluulis siue ileis dum stercora uomuntur subuersio fiat, a qua demum uomitus siue reiectatio fieri solet &c. Auic. 13. cap. de uom. uomitus & subuersio sunt motus stomachi ad expellendum ex eo quod est in eo per uiam oris

De causis uomitus & nauseæ.

Causæ procatarcticæ sunt aer corruptus fœdi odoris, cibus & potus in odore sapore malus, aut nimia eius assumptio, aut mala eius præparatio & unctuositas, motus a cibo statim laboriosus ira & cætera animi accidentia imaginatio ali cuius rei obscenæ, similiter casus percußio, ueneni potus & animalium uenenosorum morsus.

Causæ antecedentes per essentiam sunt mala intemperies calid. frig. aquea, & flatuosa, materiæ stomacho inhærentes uel natantes, quæ grauando pungendo ac extendendo uomitum excitant, Item acuitas sensus oris stomachi, mala compositio sicuti accidit in opilatione pyloron. i. ianitoris, uel morbus in numero, ut uermis mordicando ac pungendo, solutio

continui inflammatio & abscessus, pustulæ dolor & imbecillitas ipsius stomachi &c.

Causæ p cõsensum uel fiunt a toto ut in febribus & tunc uel est creticus uel symptomaticus sicuti accidit in febribus malignis & est pessimus, uel fit a parte sicuti a cerebro materias transmittente, uel ipso percusso & uulnerato, uel ab hepate splene intestinis &c.

Loci consentientes de causis uomitus.

De causis primitiuis lege Arcul. & cæteros practicantes. Gal. 6. de sympt. cau. cap. 2. circa medium, huiuscemodi excretiones fiunt interim grauato ob multitudinẽ uẽtriculo, ut cuũ plurimũ cibi ingestum est, interim ob rẽ mordacẽ, quẽadmodũ p cruditates cibus ingestus uel acidum ructum uel nidorem uel amarorem uel acrimoniam refert, & in hoc genere continentur pituitosa ac biliosa & serosa excrementa tum ibi nata tum ex uniuerso habitu animãtis in ipsum deriuata. Est & tertium causarum genus quibus uentriculus ad uomendũ concitatur, nulla uel graui uel mordaci re ipsum irritante, sed ob id duntaxat, quod præter naturam quippiam in eo continetur, uocantur præter naturam quecunq; postquam concocta sunt, alere non possunt, quare non tam acida pituita & salsa, uerum dulcis & sanguis quandoque in uentriculo consistentes ipsum ad uomitum impellunt &c. Lege etiam Gal. 1. de loc. aff. cap. 4. Item aphor. 6. comm. 1. &c. Habes etiam de his causis sensum Auic. 13. tra. 5. cap. 8. ibi, Et id quod commouet os stomachi ad uomitum, aut est qualitas operatiua operatione materiæ ex qua læditur membri communicãtis ut cerebri, aut aduentus percussionis, aut materia grossa imbibita aut infusa in ipso corrumpens cibum &c. Lege eum fusius, de his Arcul. uberius agit &c.

De signis uomitus &c.

Signa aduomitum præcedentia sunt, nausea subuersio, tremor, labiorum et hypocondriorum tensio. Signa uomitus qui fit per consensum sunt q; si a toto, uel a parte fiat, in eorũ augmento uomitus & nausea augetur et in eorum morbi decremento minuitur. Indicia per essentiam sunt primo, si a nuda & mala intemperie sine materia fiat, q; tristis quidam aderit sensus in ore uentriculi, nec ulla aderit in uentriculo grauitas nec ructus exiens erit alicuius extranei saporis, sed frequens & inanis aderit nausea absq; uomitu. Signa a mala intemperie cũ materia sumuntur a grauitate percepta, a ructus sapore siue amaro dulci acido & fœtido, a siti si humor sit calidus a putrefactione & ab eo q; uomitur. Indicia obstructionis pyleron sunt tarda concoctio & cibi descensus nisi moræ in causa sint aliæ causæ. Signa uermium erunt commotio quædam, siue titilatio circa uentriculum. Signa solutæ continuitatis sumuntur a dolore ab exitu sanguinis & a similibus &c.

Loci consentientes de signis uomitus.

Auic. decima tertia tertij, tra. 5. Signa uomitum antecedentia sunt nausea subuersio tremit labium accidit tensio hyppocondriorum. Signa humoris calidi putridi sunt sitis & sapor malus in ore et putrefactio apparens &c. Vide de alijs signis eum fusius. Gal. lib. de plen. circa finem libri, de his etiã signis mentionem fecit ibi patet stomachum hoc loco appellari os ipsius uẽtriculi, ubi si pituita colligatur appetitiones excitat, si uero bilis flaua fuerit sitim & cibi fastidiũ pariet, præterea os erit illis amarulentum, at si atrabilis, morosi et tristes & sine siti, saliuaq; plurimum illis scatet, nec tamen omnes cibum fastidiunt immo eorum in quibus atrabilis accida fuerit, nõnulli satis famelici sunt &c. Lege etiam primo, de loc. aff. cap. 4. ibi, rursus distinguendo inuestigabimus num ab in

temperie ipsius uentriculi hoc eueniat, an a flaua bile in ipso contenta, an a iocinore, male suo officitio fungente, an is ex uniuerso defluat corpore, an etiam in ipso gignatur uentriculo &c. B. ex hoc loco postremo elice q; ex frigido ciborum cupiditas excitatur &c. lege de sig omnibus Arcul. & Sauo. & Gord. fusißime loquentes. Vide etiam platearium &c.

De cura uomitus.

In cura uomitus primum, considera an cibalis sit an humoralis, item an creticus an symptomaticus, si cibalis uel per essentiam uel consensum, si per essentiam tunc quatuor erunt curandi intentiones. Prima est causæ uomitus remotio. Secũda, est uentriculi roboratio. Tertia, est diuersio & accidentiũ correctio. Quarta, est uictus ratio. Prima igitur & secunda, intentio uno & eodem tpe cum contrarijs moderate stipticis alterantibus malam complexionem remouebitur. Tertia, perficietur cum reuulsione cum cucurbitulis suppositorijs clysterijs frictionibus, q; si acciderit syncopis eisdem et auxilijs ut supradictum est, curabitur. Quarta intentio sit moderãtia in cibo & potu, participent aliqua stipticitate remedia et cibaria, sintq; facilis concoctionis, saporis non ingrati, uinũ laudabile & quod patienti placeat &c. Si uero fuerit uomitus per consensum, tunc moderanda erit siue totius siue partis consentiẽtis dispositio, similiterq; roborandus erit stomachus cum his quæ exterius & interius applicari possunt, deinde cum diuersionibus prohibere fluxum humorum ad stomachum. Quod si uomitus sit creticus, tũc uel integre iudicatur, & sic naturæ relinquendus uel in aliquo deficit & tunc in eo quod deficit supplere oportet si uero superfluat compescendus est. Vomitus uero symptomaticus uel ex stomacho prouenit, uel ab alijs membris aliunde deriuatur. Si primo tunc intentiones medendi erunt tres. Prima euacuatio humoris in

uentriculo contenti. Secunda est stomachi intemperies corrigenda simulq; stomachus roborandus. Tertia est diuersio ne fluant ab alijs membris humores & accidentium correctio quæ omnia etiam supra relata sunt. Si ab alijs membri prouéniat uomitus, similiter in primis euacuandum deinde diuertendum & membra tam mandantia quam suscipientia roborandum, ut alterum ne mittat, & alterum ne suscipiat prohibeamus &c. Vomitus igitur si nõ fuerit qualis esse oporteat, tunc si sanguis cum alijs humoribun peccauerit, secanda erit uena communis,, maxime etiam si ex suppreßione menstruorum & hemorrhoidarum proueniat. Si uero a sanguine peccẽt alij humores tũc facta aliquali præparatione sicuti in bile peccante cum oxysachara syr. de agresta de granatis de citro de limonibus de endiuia de citonijs de papauere cum aquis endiuiæ plantaginis lupulorum &c. In pituita cum rhodomelle syr. de absinthio de menta de bisantijs de fumoterræ de epithimo cum aquis mente abscinthij &c. Fiat euacuatio in bile cum rheubarbaro myrobalanis cit. pillulis aloephanginis, in pituita cũ rheb. et myrobalanis cheb. agarico &c. reuulsio fiat ut dictum est cum cucurbitulis natibus ac coxis astixis cum ligaturis iuncturarum cum locionibus pedũ cum proritatione urinæ & sudoris. Fluxus etiam intercipitur, uias obstruendo, humores incrassando et uentriculum roborando cum diacitomite & troc de olibano rases &c.

Loci consentientes de cura uomitus.

Auic. decima tertia tertij, tra. 5. cap. 12. Sermo uniuersalis in cura uomitus est huiuscemodi, ut qui generatur a corruptione administrationis cibi retificetur, & adiuuetur ex quibusdam confortantibus stomachum boni odoris calidis & frigidis secundum q; conuenit, & ille cuius causa est materia mala, aut plurima euacuetur illa materia cum ebibitis &

clysteribus

clysteribus & minoretur etiam cibus et subtilietur &c. Gal. 1. de loc. aff. cap. 4. Igitur si ipsum quod molestat nil aliud quã intemperies fuerit, calidam refrigerando & frigidam calefaciendo illico hominem iuueris, maxime si uideris refrigerantibus tum medicamentis tum uictus ratione hominem sanari & calorificis lædi &c. Lege fusius Gal. 8. de compos. med. per loc. cap. 1. ad finem, & cap. 3. ibi uomitus ob imbecillitatẽ grauati stomachi oborti curantur, &c. Vide de his Arcul. & Gordonium, &c.

Obseruationes in cura uomitus.

Hip. aphor. 4. aphor. 6. & 7. Graciles & facile uomentes purgare superius cauentes hyemem, uomentes uero difficulter & mediocriter carnosos per inferiora, cauentes æstatem. B. quomodo & quibus conueniat uomitus habetur ab Hipp. in lib. de salubri dieta text. 17. ubi inquit uomitus hoc modo irritare oportet homines obesi, ieiuni uomant currendo, aut celeriter eundo, gracilliores & imbecilliores a cibo uomitũ prouocent. Lege etiam text. 20. & 22. eiusdem & uide in commen. latius Galenum.

Gal. lib. de sect. uen. ad finem, caue ne noxam stomacho inferas nam stomacho læso multæ aliæ corporis particulæ læduntur &c.

Obseruationes ante uomitum.

Ioan. Arcul. cap. de uom. & eliciuntur ex Auicen. quarta primi, cap. de uomitu, Insueti prius ad uomitũ assuescant leuibus uomittiuis ne ad insueta tam cito fiat transitus. Secũdo, Ante uomitum præcedat uentris lenitio, & cibetur cibis diuersarum uirtutum mixtis ex incisiuis abstergentibus uiscosis dulcibus unctuosis acetosis &c. Tertio, Ante uomitum fac quod extrema & stomachus sint calida & quod tempus sit calidum in meridie &c.

Obſeruationes poſt uomitum

Ioan. Arcul. finito uomitu lauet ſibi faciem cum aqua roſacea, cui parum aceti ſit admixtum, lauetq; os ex uino. Tardet cibum per duas horas & quum cibatur, tribuantur res boni odoris & ſuauis ſaporis paucæ quantitatis facilis digeſtionis, uelocis penetrationis paucæ ſuperfluitatis, dormiat & non bibat &c.

Gal. 8. de compo. med. per loc. cap. 3. erit ob id curationis ſcopus ut ſimul ad affectas partes odoratas qualitates imponamus, quales aromatum ſunt, nam quemadmodum graueolentia omnia ſtomachum ſubuertere ſolent ſic odorata corroborare &c.

Conferentia uomitui.

Conferunt uomitui, abſinthium, acetum ſcilliticũ, acetoſa, omphacium alleum, alloes, anethum, aniſum, aurata piſcis, betonica, calamentum, caſtanea, cepe, citonium, citrum, coriandrum tor refactum, griſomila, endiuia, fæniculum, phyſtici, garyophillum, malagranata acetoſa, lupinus dulcoratus, maſtix, melliſſa, myrtus, meſpila, nux muſcata, olibanum, origanum, pira, piper, poma, pulegium, pruna, roſa, roſmarinus, ſumach, ſpica ſcenoanthos, tamarindi, uuæ non recentes acatia, &c. Compoſita ſunt alipta muſchata nic. Antidotum emagogum nic. Aquæ thermarum, aluminoſa, roſacea, aromaticũ roſ. meſ. Confectio alchanzi meſ. diacitomiten, diaollibanum nic. electuarium de myrto Auicen phylonium nic. cum poſca, menta cum aceto, muſc. almanſ. hiera picra, Gal. Pillulæ arõ. baly. rob de ribes, de acetoſa de agreſta acetoſitatis citri, de berberis de citonijs, cornuum, fructuum. granatorum pirorũ pomorum, ſy. de agreſta de menta, de acetoſa de ſuccis, acetoſus de citonijs meſ. de fructibus, Auice. de citonijs de granatis de roſis, troc. de roſis de olibano almanſ. ſotira nic. roſata nouella nic.

De pronoſticis uomitus.

Hip.aphor.1.aphor.2. In perturbationibus uentris & uomitibus spontinis si talia purgentur, qualia purgari oportet confert & leuiter ferunt, si minus contra. Et apho.4.aph.22. Morbis quibus libet incipientibus si atrabilis uel supra uel infra exierit lethale,&c. Et aphor.7. eiusdem. Vomentes uero difficulter & mediocriter bene carnosos per inferiora timẽtes æstatem. Et aphor.6.aphor.15.a longo alui profluuio habito spontaneus uomitus superueniens morbum soluit.B.hic nota naturam esse medicorum magistram, nam retractionem edocet quam imitari debet medicus. Et aphor. 7. aphor.3. a uomitu singultus & oculorum rubor malum.B. quotiescunq; uentriculus ab humoribus infestatur, uel per uomitiones uel inferne eos abijcit & statim a singultu liberatur, quum uero singultus nõ desinit, duorum alterum significat, uel cerebrum, uel uentriculum non mediocrem pati inflammationem &c. Et aphor.7.aphor.10. Ab ileo uomitus singultus desipientia uel conuulsio malum.B. quia nil ad inferiora descendere sig. Et aphor.37.eidem quicunq; euomunt sanguinem, si sine febre quidem salutare, si uero cum febre malum, curare uero acerbis & refrigerantibus.B. Intellige de uomitu qui a uentriculo tantum prouenit non a pulmone. Est enim salutaris uomitus quum nullius inflammationis suspitionem afferat præsertim si sine febre fuerit. Vide Gal.in comm.Hip. pronost.2.cap.7. uomitio utilissima est si pituita ac bile mixta quam maxime est, si non multa, non crassa est syncerior enim deterior est. Et.tex.39. si uomitio fuerit porracea, aut humida aut nigra, quodcunque ex his fuerit malum. Et tex.40. Si idem homo omnes uomit colores exitiale admodum est. Et tex.41. Vomitio liuida si graue olet ocyssimam indicat abolitionẽ. Et tex. 42. omnis subputris ac fætidus odor in omni uomitione malus &c.B.Gabes rationes ex Gale.quur syncerum deterius sit

per mixto & de alijs quæ tibi in legendo apertißima erunt &c. Auice. tertiadecima tertij.tra.5.cap.8. Et ex nausea est, quæ est signum crisis et quandoque est signum malum sicut in febribus pestilentialibus. Et quum multiplicatur in conualescentibus indicat conuersionem. Et in administratione uomitus cum æqualitate est iuuamentum maximum. Et aßiduatio eius maxime debilitat uirtutem stomachi & facit eum lacunar superfluitatum. Et uomitus quidem creticus euadere facit spasmum, nam accidit febricitanti spasmus aut epilepsia et subito euomit humorem ut flos æris & euadit. Et multotiens uomitus sanat ex singultu clamoso. Et ex administratione uomitus cum æqualitate conseruantur renes & curantur nocumenta eorum & nocumentum pedum & eruptio uenarum &c. Et deterior uomitus est ille uomitus sanguinis, nisi secundum neceßitatem sit. Et amatur quidem ut administretur in mense bis & melior horarum uomitus est quæ est post balneum & cibum &c.

Authores dissentientes circa uomitum.

1 *Adserere, uomitum quolibet tempore & in omni homine posse tuto prouocari.*

2 *Adserere, uomitum non nisi a re grauante uel mordaci irritari.*

3 *Adserere, in syncopi ex consensu uentriculi facta non conferre uomitum.*

Confutatio dissentientium circa uomitum.

Ad primum, Gal. aphor. 4. comm. 7. Cui imperandus est uomitus oportet ut sit gracilis & facilis ad uomendum & quod non sit hyems. & sic non quolibet tempore prouocandus nec in omni homine, Nam mediocriter carnosos & difficulter uomentes per inferiora, non per superiora purgandos admonet &c.

Ad ſecundum Gal. 6. de ſympt. cau. cap. 2. eſt & aliud cauſarum genus quibus uentriculus ad uomendi impetum concitatur, nulla uel graui, uel mordaci re ipſum irritante, ſed ob id duntaxat quod præter naturam quidpiam in eo cõtinetur.

Ad tertium dicitur ꝙ eſt opinio Gal. 2. art. cur. ad glau. cap. 14. ꝙ prouocetur irritando ſtomachum, Itidem Auic. 2. 3. de cura ſyncopis, Item Haly abbas. 6. pract. cap. de ſyncopi & in hoc latret Auerois quantumlibet, uerum ſi ſyncopis cum ſudore fieret, hunc nequaquam fieri iubet. Auic. loco citato &c.

De corruptione concoctionis & eius imbecillitate.

Cõcoctio eſt ſecundum qualitatem quam nimirum uentriculus facit, dum cibos ſibi ſimiles reddit alteratio, quæ trifariã læditur, uel omnino abolita eſt, et talis permanet cibus, qualis ingeſtus eſt uel imbecilla fit & cibus tarde concoquitur unde βραδυπεψια i. tarda cõcoctio a græcis dicitur, uel deprauata eſt & tunc cibus in alienam qualitatem permutatur unde απεψια. i. cruditas appellatur, Cibus uero interdum & ipſe ita corrumpitur, ut nullam concoctionem admittere poßit, & nullum proprium nomen habet &c.

Loci conſentientes de corrup. concoctionis.

Gal. 6. de ſympt. cau. cap. 1. Concoctio eſt ſecundum qualitatem quam nimirum uẽtriculus facit dum ſibi ſimiles cibos reddit alteratio &c. lege eum fuſius.

Et tertio de ſympt. cau. cap. 4. Alteratrix ſimiliter uel omnino abolita eſt quum cibus ſecundum omnes qualitates talis permanet, qualis aſſumptus eſt, Imbecilla quum tarde concoquit, Deprauata quum in alienam qualitatem cibi permutãtur &c. lege eum fuſius, Lege etiam. 6. de ſymp. cau. cap. 1. ibi. At bifariam uitium fieri poteſt, aut enim tarde alterantur cibi, ut uix propriam tranſmutationem ſuſcipiant, aut corrumpũtur omnino ut nullam concoctionem admittant, illud

δραστυπτεια, Hoc uero nullum proprium nomen habet, Vide Auic. 13. 3. Tr. cap. 1. ibi et cibus aut conuertitur ad id quod facit digestionem integram, aut conuertitur ad id quod digeritur digestione aliqua non integra etc. lege eum fusius.

De causis corrupt. concoctionis ac eius imbecillitatis.

Causæ primitiuæ imbecillitatis concoctionis sunt aer corruptus fætidus, uaporibus malis admixtus, similiter uentriculi uel alicuius membri sibi compatientis caliditas nimium dissoluens, aut frigiditas calorem natiuum extinguens, Cibus qui sua qualitate mala, aut sua quantitate confici non potest aut quia intempestiue, aut non recto ordine, aut quum diuersimode ingeritur, Potus similiter quum bibitur plusquam ad cibum spectet, Coitus à cibo, & accidentia animi immoderata spiritus comouentia &c. Causæ antecedentes & coniunctæ per se sunt, mala uentriculi compositio, mala figura, ut si fuerit maior uel minor quam deceat, uel figure rotundæ, quum naturaliter oblōgæ sit Causa similiter erit lapsus ad frigidam & siccam intemperiē, & humores cuiuscunq; generis in uentriculo superfluentes, Per consensum a toto fit etiam imbecillis cōcoctio sicut in febribus hydrope, crisi, &c. a parte ut læso cerebro splene hepate &c. Causæ corruptionis uel erunt in uētriculo, uel in cibis aut in rebus superueniētibus, Si in uētriculo, uel fiet p proprios uētriculi morbos ex quibus corruptio ciborū sequitur sicuti ex solutione continui ex eius inflāmatione &c. Si in cibis uel corruptio fiet per suam malam qualitatē, uel uaporosam uel acidam, aut fætidam aut putridam &c. uel per suam quantitatem ut dictum est &c. In rebus superuenientibus sicuti ab errore externo accidente, uel a uitiosis humoribus in ipso cumulatis.

Loci consentientes de causis.

Gal. 6. de sympt. cau. cap. 1. causa cōis est alteratricis poten

tiæ a ſcopo aberratio, fit autem bifariam, uel a potentia ipſa affecta, uel ab externo errore, Potentia rurſus bifariam læditur uel per ſuam ipſius eſsentiam, aut per aliquem inſtrumentorum morbum, error triplex eſt, uel a uentriculi excrementis aut a cibis, aut dormiendi tpe, Per ſuam eſſentiam ex intemperie quadam agentium qualitatum, Per inſtrumentorum morbos per eryſipelata ædemata phlegmones ſcirrhos abſceſſus & pp alios morbos ſimplices & compoſitos in uẽtriculo exiſtentes quibus male uẽtriculus concoquit læſa exiſtentes eius potentia Interdum etiam animal non concoquit, aut ob immodicam ciborum potuumq; quantitatem aut prauam qualitatem, aut quia intempeſtiue, aut non recto ordine ingerantur &c. Lege Gal. 1. de loc. aff. cap. 3. ibi, corruptionis ciborum tres ſunt differentiæ &c.

Auic. 13. 1. cap. de corrupt. dig. Et ad ſumum cauſa in hoc aut eſt cibo aut in receptore cibi aut in rebus accidentibus ſu peruenientibus eis &c. Vide eum fuſius nam ibi omnes cauſæ recitantur quæ nuper a medicta ſunt &c. Vide etiam Gale. 3. de loc. aff. cap. 6. ibi quia concoctionis opus &c. ibiquæ intelliges q. digeſtio fit in fundo uentriculi ſicuti in eius ore ipſe appetitus &c. Lege etiam Arcul.

De ſignis corrupt. concoctionis ac eius imbecillitatis.

Indicia debilis concoctionis cognoſcuntur ex grauitate ex tenſione & ex mala cibi tollerantia, Cognoſcuntur etiam ex uiſu & patientis relatu ex uentoſitate ex rugitu ex mora cibi in ſtomacho, ex pauca corporis refectione, facieiq; pallore & ex multo ſputo, Signa diminutæ concoctionis ſunt ſi poſt decimam horam ructus odorem malum redoleat, Signa corruptæ ſunt ſi nidoroſum fætidũq; aut aliam non conſuetã qualitatem ſapiat, Signa malæ temperaturæ & malæ compoſitionis ſolutiq; continui ex dolore & ex his quæ de uomitu

dicta sunt iam patent, Intemperiem uero frigidam, & humidam attestantur, sitis modica sapor insipidus acidus ructus, color linguæ albus pallor uultus cũ albedine, Calidã uero & siccam, demonstrãt sitis assidua, sapor oris amarus & ructus fœtens nidorosus, color linguæ flauus, pallor cum flauitie, Attestantur esse in stomacho flatum, Rugitus & extensio, Signa corruptæ concoctionis & materiæ corruptæ, sunt fætor, sapor inconsuetus & horribilis Nausea uomitus singultus & syncopis, Vbi uero mora fuerit pluriũ dierum et non continuo hæc adsint, aliunde materiam prouenire indicium certum est &c.

Loci consentientes de signis corrupt.

Gal. 6. de sympt. cau. cap. 1. Corruptiones nidorosæ sunt a calidioribus & biliosioribus, Acidæ a frigidioribus et magis pituitosis, Acidas quidem creant quæ pituitosa sunt et frigida fumosas quæ calida & biliosa, & paulo post. Tardas etiam concoctiones cibi difficulter corruptibiles faciunt, si ultra quam uires tollerant sumantur similiter & uigiliæ &c. lege locum fusius. Auic. 13. 3. Tr. 3. cap. 4. Illam quæ leuis est significant grauitas & extensio & remanentia cibi in stomacho longior &c. Vide Auic. fusius hic & in cap. de corrupt. digestionis similiter Arcul. Cord. & cæteros practicantes et habebis quæcunq; a me recitata sunt, &c.

De cura corruptæ concoctionis & eius imbecillitatis.

Considerandum an per se uel per consensum ab alijs partibus afficiatur stomachus, si per se, tunc si a modica repletione fiat, per somnum longum sanabitur. Si uero a multa repletione, tunc educto per uomitum cibo iam corrupto cum alijs humoribus admixtis, primum stomachi discrasiam per sui contrarium curato, & causas quæ alteratricem facultatem debilitant auferto uentriculumq; roborato, Vnde in causa fri

gida roboratur uentriculus simulq; materia præparatur cum syrup. de absinthio de Mēta cum miua citoniorū aromatica, cum rhodomelle, cum aquis absinthij mentæ, Roborant etiā uentriculū plurimæ confectiones sicut Aromaticum ros. Dia gallanga, Diaciminum, Diatrionpipereon &c. In causa calida primum facta euacuatione uel per uomitū uel per secessum, materiæ præparatio fiet cum syr. rosaceo & alijs quæ supra in cap. uom. memorata sunt, At si per consensum morbus fiat, tunc quod transmittit membrum corrige per euacuationem & reuulsionem, & stomachus ne humores aliunde fluentes recipiat, roboretur, & sui demū intemperies permutetur resq; non naturales in contrarium ordinetur. &c.

Loci consentientes de cura corruptæ concoction. &c.

Aet. ser. 9. cap. 24. Si a ciborum corruptione fiat cruditas, statim per uomitum tollenda est corruptio, Quod si quis natura difficulter euomat enemate succuratur, Si a defectu uentriculi cum his quæ concoctionem adiuuant curato &c.

Auice. 13. 3. tra. 3. cap. 5. Cum fuerit debilitas digestionis a causa leui aut a repletione antecedēte non plurima, tunc sufficit in ea longitudo somni &c. lege eum fusius, Lege etiam cap. 7. ibi primum est ut educatur corruptum in stomacho cum uomitu aut solutione uentris, et rectificetur regimē &c. lege eum ulterius et inuenies quodcunq; dictū est, lege Arcul. & Mar. Catinarium &c.

Obseruationes in cura cibandi.

Aet. ser. 9. cap. 24. Ad cauendam cruditatem præuidere debemus ut neq; in multitudine, neq; in qualitate eorum quæ in cibo accipiuntur, neq; in acceptionis opportunitate neq; in ordine delinquat sed quæcunque concoquere ualeat ea tantū ingerat &c.

Auic. 13. 3. tra. 3. cap. 7. Caue a frigidis subtilibus quoniā sub

tilia corrumpuntur in eorum ſtomachis, non uomat ante cibum, ne ſtomachus debilis fiat, ſumatq; res ſtomachum roborantes &c.

Obſeruationes in topicis.

Gal.8.meth. cap.5. Quæcunq; applicantur ſtomacho ſint ualde calida, nam tepida firmitudinem uentriculi diſſoluunt, & talia in duplici uaſe calefacienda ſunt ne eorum facultas uicietur &c. Nota etiam *quæcunq; dicta ſunt de uomitu circa ſtomachum ſupra &c.*

Conferentia concoctioni & ſtomacho.

Conferunt ſtomacho & concoctioni proficiunt hæc ſimplicia calida & ſunt Abſinthium, Agaricus, Aloes, Calamentum. *calamus aro, cardamomum, cinnamomum, ciperi, nuces cupreßi, citrum conditum phiſtica, galanga. gallia,* Gariophillum, *grana pini cum zuccharo,* Macis, Maſtix, *laudanum, mētha, oliuæ, olibanus, oua paſſulæ,* Rheub. *Scoria ferri, uinum, xyloaloes, & zuccharum,* Compoſita *calida ſunt, aromaticū roſ. garyophillatum, diamicinum, confectio* Alexandrina, *cōfectio de xyloaloes, de galanga, de citonijs, de Scoria ferri,* Cerotum Alexandrinum *Meſ. emplaſtrum diaphinicon, oleū maſticinum, de abſinthio de menta, pilulæ ſtomaticæ, aloe phangine. ſyrup. de abſinthio, de menta de fumoterre, de cort. citri,* Tyriaca *magna,* Triphera *minor,* Troc. *de roſ. de abſinthio,* Hiera Gal. *Simplicia frigida ſunt, acetoſa,* Acetum, Agreſta, *aqua calibeata,* Belirici, Berberis, *citonia, corallus,* Coriandrum. Emplici, *endiuia,* Cicorium, Vinum *& aqua extinctionis ferri, granata,* Karabe, *chebuli, lactuca,* Myrobalani, Mirtus, Neſpila, *perſica, poma, pruna damaſcena, ribes, roſa.* Sorba *ſumach, ſmaragdus, pdix, pellicula interior ſtomachi gallinarum cap. uen. coriandrum &c. Cōpoſita frigida ſunt,* Diacitonicen, Diarbodon, *electuarium de ſorbis, rob de ribes, de*

berberis de ſumach, de citonijs, de piris de pomis, de granatis, de citro, ſyru. de pomis, de citonijs, de Myrto, roſ. zucharum roſ. oleum citoniorum, roſ. &c.

De pronoſticis corruptæ cócoctionis et eius imbecilli.

Auic. 13. tract. cap. 3. Quandoque perducunt debilitas digeſtionis & conuerſio cibi ad phlegma ad tremorem & frigus extremitatum & cõmotionem paroxyſmi febris uerum pulſus nõ eſt pulſus ut in initio febris. Et dicitur in libro mortis uelocis qui habens nauſeatiuam ſacietatem et tarditatem digeſtionis, botbor apparens niger ſuper oculos eius ſimili ciceri, & rubet pars eius & uiridis fit pars alia tunc ipſe moritur in. 17. Gale. 6. de ſympt. cau. cap. 2. Quum coctionis gradus quatuor enumerentur primus fit in uẽtriculo. 2. in uenis, 3. in qualibet parte. 4. qui alterationis ſpecies eſt aſsimilatio dicitur, Porro concoctio uel omnino deficit, uel deprauata eſt, ſi deficit, corpus aſſumpto cibo non paſcitur & fit atrophia. Si deprauata eſt fiunt uitiligines leucas & elephas uide eum fuſius, Auic. 13. 3. tra. 3. cap. 1. ſanguis qui non eſt digeſtus digeſtione conuenienti naturæ non recipitur a membris ſed putrefit & fætet, nec fit ex eo nutrimentũ, nec bona aſsimilatio unde non mirum ſi ſequatur lyenteria hydrops ſcabies &c. Imo corrupta digeſtio in conualeſcentibus ſemper recidiuam pronuntiat &c.

Authores diſſentientes circa coctionem.

1 Adſerere, hominem poſſe uiuere naturaliter pluribus diebus ſine cibo.

2 Adſerere, a ſiccitate & humiditate abſque alijs qualitatibus actiuis coctionem lædi.

3 Adſerere, poſſe aſsignari tẽpus moræ ciborũ in ſtomacho.

Confutatio diſſentientium circa concoctionem.

Impugnat primum Gentilis & experientia nam quum re

citasset ex Alberto uetulam in lombardia uixisse per. 40. dies sine cibo, ipse inquit hæc difficilia sunt in homine apud me, nam tales humores deberēt potius putrefieri & carere regimine naturæ quam nutrire &c. Vnde naturaliter loquendo non solum impossibile est, sed etiam non credendum &c.

Ad. 2. Auic. de noc. digest. Verum sicca & humida non perueniunt ad hoc. secundum plurimum, ut appareat ex eis solis cum æqualitate ambarum aliarum qualitatum nocumentum in digestione, igitur non lædunt absq; alijs qualitatibus.

Ad. 3. quum diuersimode loquuti sint auth. de hac re idcirco difficulter tale tempus assignari impossibile existimo nam Auerrois dixit q̧ tempus moræ est. 16. horarum. gentilis. 10. horarum. Auic. de cur. feb. phlegmat. inquit hora cibi sit post paroxysmum teporem, & eradicationem eius, & ante paroxysmum ad minus quatuor horis, ubi concludi posset q̧ stomachus in spatio quatuor horarum sit a cibo uacuus. nā superius dixerat, caue ne occurrat paroxysmus nisi uentrem habeat uacuum, &c.

De appetitu canino.

Quum appetitus ad naturalem actionem pertineat, non ad animalem ut ipse Gale. ad appetitum necesse est ut præcedat inanitio, deinde inanitarum partiū naturalis appetitus, hunc mox sequitur uentriculi per uenas suctio, deinde suctionis sensus qui est fames, demum animalis appetitus omnium ultimus hic erit duplex alter ad cibum & est appetitus calidi & sicci, alter ad potum & est appetitus frigidi & humidi, quorum uterq; trifariam aboleri potest, si uel suctionis sensus pereat, uel suctio non fiat uel corpus non inaniatur, unde dicimus q̧ appetētia, uel est abolita, uel imbecillis uel deprauata Abolita quum nihil quis appetit, imbecillis quū in appetendo deficiat. Deprauata quum immoderatam cibi potionisq; exhi

bitionē appetat, aut ad alienæ qualitatis desiderium uertitur. Appetitus igitur caninus erit plurium, quam poßit diger intē sior appetentia, a cuius assumptione animal non satiatur, alie nam qualitatem appetere est ac si ea quæ secundum naturam non sunt, quis appetat, qui morbus a Galeno citta.1. pica siue malacia, eo quod utero gerentes mulierculas infestet, uoca= tur, ita, ut carbones extinctos & testas & similes absurdos cibos appetant &c.

Loci consentientes de appetitu canino.

Gal.4.de symp. cau.cap.7. de his longiori sermone de his pertractat quem fusius uidere poteris, facit etiam mentionem de appetitu canino.6.de loc.aff.cap.2.ibi, qui canina appeten tia uexantur &c Et.5.de loc.aff.cap.6.locus affectus demon= stratur, ibi, Quæ aut canum moræ &c. & est os uentriculi deuoratorum pondus substinere non ualens &c. Similis etiā sensus habetur in comm. aphor.20. lib. 2. Vide etiam latius Auic.tertia decima tertij, tex.8.cap.10.de corruptione appe= titus, & Aet.ser.9.cap. 20.&.23.de uitioso appetitu uide etiā Arcul.& alios &c.

De causis appetitu canini.

Causæ quæ caninum appetitum excitant sunt plures quan doq; excitatur hic appetitus post diuturnas euacuationes ac febres prolixas, interdum a uirtute retentrice corporis, quan doq; a uermibus cibum assumptum deuorantibus, interdum a catharrho ad uentriculum stillante, sed ad sumum tres erunt præcipue causæ frigiditas.s. cogens ac exprimens, caliditas resoluens & inanitio consumans, frigiditas erit uel acida pi tuita uel a melancholia &c.

Loci consentientes de causis appetitus canini.

Auic.13.t.2. cap.12. Multotiens excitatur hic appetitus ca= ninus post euacuationes & febres prolixas resoluentes & quandoq; accidit ex debilitate uirtutis retentiuæ in corpore,

& quandoq; propter caliditatem superfluam in ore stomachi resoluentem &c. lege locum hunc fusius: Gal. 4. de symp. cau. cap. 7. Caninæ appetentiæ binæ sunt causæ quarum una est acidorum humorum uitium. altera est plurima per totum corpus inanitio, siue ipsa caloris uim sequatur, siue retētricis facultatis imbecillitatem &c. Habes etiam in. 2. apho. comm. 21. q. canini appetitus uel propter solam intemperaturam frigidiorem, uel propter humores acidos quos exorbuit os uentriculi fiant. Similis sensus habetur a paulo li. 2. cap. 51. & ab Aet. ser. 9. cap. 21. & . 22. sed latius consule Gal. loco citato, nā præter alia, plura exempla affert de siti immodica, sicuti de messore qui uinum in quo uipera extincta fuerat bibit et mortuus est. item de eo qui ex ueteri uino inebriatus et de his qui in naui aquam marinam bibere ausi sunt, & de quodam febre ardenti laborante &c. quorum causa erat salsus uel biliosus humor uentriculū mordicans quod uero uermes sint causa appetitus canini, legere poteris non solum Auic. sed & neotericos omnes &c.

De signis appetitus canini.

Signa humorum acidorum in uentriculo sunt multa deiectio eorum quæ deuorata sunt, Signa inanitionis sunt ipsius habitus exacta inanitio, nec cibus per totum corpus distribuitur. Signa frigiditatis sunt eo q. nulla uel parua adest sitis, copiosa adest deiectio, adest etiam fames aßidua, & cibi assumpti grauitas, flatus multiplicatio, praua concoctio cum singultus copia. Signa caliditatis sunt sitis uehemens, corpus non impinguatur, nec quicquam per uomitum uel per secessum excernitur &c.

Loci consentientes de signis appetitus canini.

Gal. 4. de symp. cau. cap. 7. canina appetentia si ab acidis humoribus fiat cognosces quia eorum quæ fuerunt ingesta,

multa fiet deiectio, si ab inanitionem quia per habitus exactam inanitionem cibus per corpus non digeratur &c. Razes.9. almans. si cibus nec eum grauat, nec ipsum euomit, nec per secessum expellit, signum est a ui caloris morbum fieri, si uero aßidue famem patitur & cibus post assumptionem grauat ita ut uel uomere, uel per secessũ reijcere necesse sit, signũ est morbum a frigore oriri &c. Lege etiam Aet. ser.9 ca. cit. Auic.13.tra.2. cap.13. Signum eius quæ fit post euacuationes & ægritudines est antecesßio earum &c. Signa eius quæ fit ex frigore sunt paruitas sitis multitudo fæcis inflatio &c. Signa ex caliditate sunt fortitudo sitis & non est uomitus acetosus et natura est ut plurimum cõstricta &c. Signa eius quæ fit ex debilitate uirtutis retentiuæ est multitudo ægestionis crudæ &c. signa ex humore acetoso aut melancholico sunt paucitas appetitus et acetositas eructationis &c. Vide Arcu. etiam & alios practicantes &c.

De cura appetitus canini.

Omnem operam dabis in remouenda causa, nam si fiat post euacuationes & febres prolixas tunc reficientibus unctuosis quæ os stomachi mundificant, opus est, sicuti eclegma est ex oleo amygdalino dulci cum zucchuro paratum. Si fiat a retentricis facultatis imbecillitate, tunc per contrarium eius complexionis curato, ut si humidæ cum siccis si calida cum frigidis &c. Si fiat a catharrho tunc cura erit prout dictum est in capite destillationũ. Si uero fiat ab acida pituita quemadmodum sæpius fieri solet, tunc ijs potißimum utendum est quæ incidãt ac repurgent, ut sunt dulcia salsa & alioqui abstergentia calida, qualis est hiera Gal. deinde uinum dulce. Prosunt etiam calida pinguia sicut butyrum cum brodijs pinguibus cinnamomo garyophillis & croco paratum. Si uero fiat a uermibus conferunt ea quæ uermes interficiunt, deinde

utetur ſtypticis. Si fiat a calore plurimo reſoluente, remoue cum frigidis tam intrinſece quã extrinſece applicitis porros carnis obſtruētibus ut cum oleo mirtino roſ. &c. abluanturq; aqua frigida & aceto niſi quid prohibeat, cibi uero ſint frigidi craßi uiſcoſis quales acidi acetoſi & congelati, unde confert etiam in hoc caſu panis azimus & ſimiles cibi &c.

Loci conſentientes de cura appetitus canini.

Auic. decima tertia, tra. 2 cap. 14. Verum illos quibus accidit hoc poſt febres fortes & euacuationes oportet cibari ex unctuoſis quæ mundificant os ſtomachi quæ nõ ſint malæ ſubſtantiæ, quale eſt oleum amygdalarum dulcium cum zucharo &c. Illis uero qui patiuntur ex debilitate uirtutis retentiuæ licet ſecundum plurimum debilitetur propter frigus, tamen debilitatur omnis uirtus propter omnem malitiam complexionis, idcirco oportet ut cognoſcas complexionem & oppo nas cum contrarietate curæ. &c.

Hip. apho. 2. apho 21. Famem θώρυξις *.i. uini potio ſoluit. Gal. in com. inquit pro fame intelligi debere, non naturalem quæ ex longa inedia, aut ab alia euacuatione facta ſit, ſed tantum appetentiam caninam quæ uini potione & cibis pinguibus & oleaginis curatur, quia hoc ſymptωma plerunq; fieri ſolet a frigida intemperię ſiue nuda, ſiue humoribus imbuta, unde uinũ calefaciendo excludit humores et ſtomachi intemperiem emendat.*

Obiectio.

Videtur hoc in loco Auic. diſcordari a Gal. 1. in ordine aſſumendi, nam Gal. uino præmittit pinguia, Auice. pinguibus uinum dum inquit ipſum ſanat ſumptum in potu calefactum in ieiuno. Præterea, Auice. non ſemper laudat uinum ut Gale. maxime ſi adſit uentris ſolutio, quum dicat oportet ut omne uinum tunc deuitent &c.

Reſponſio.

Dicimus uinum tantum conferre poſt pinguia, uomitus ratione,

tione, ſed ad reſoluendum humorem uiſcidum, ieiuno ſtomacho ut Auic. In reliquis uero ſunt concordes ſi bene conſyderentur. Paul. lib. 2. cap. 51. Quoniam igitur a pituita potiſsimum acida conſtituitur affectus, ijs utendum eſt quæ hanc incidant repurgentq; ut ſunt dulcia ſalſa & alioqui abſtergentia calida &c. Aet. ſer. 9. cap. 22. Nullo alio tutiori medicamẽto expurganda eſt acida materia quam picro appellato pharmaco, quod non tantum calefacere ſed diſſecare repurgare extrahereq; ex profundo oris uentriculi, quin & uentri robur addit, ne facile humorem nociuum ſuſcipiat, appetitus uero quia fortitudine caloris prouenit, non hoc medicamento, ſed ijs tantum indiget quæ cutem condenſare ac ſpiſsiorem reddere poſſunt ut eſt oleum ex immaturis oliuis expreſsum, abſtineant a potu uini & ab omnibus quæ tam intrinſecus quã extrinſecus calefacere poſſunt &c. Lege Auic. ibi & ſimiliter cura eius eſt, quæ accidit propter reſolutionem plurimã &c.

Conferentia appetitui canino.

Conferunt canino appetitui omnia pinguia, uinum, diaciminum diatriõ pipereõ electuarium aggregationis. Auic. 3. 5. electuarium purgamenti ferri haly. 14. antid. tyriaca ſerap. Hieralogonion haly. 7. antid. hiera picra, Galen. &c.

De pronoſticis appetitus canini.

Auic. 13. tra. 2. cap. 12. Et ſcias quod appetitus caninus multotiens perducit ad buliſmum & ſubet & mortem &c.

Gal. 4. de ſympt. cau. cap. 7. Non mirum ſi affecto ore uentriculi ubi appetentia conſiſtit, quandoq; dolores et animi defectio ſequatur, nam tum ob exactam ſentiendi uim tum ob ſitus uicinitatem hoc contingere poteſt &c. ĩmo ex neruorũ aut arteriarum conſenſu cardialgia, morbus comitialis, grauis ſopor & deliria conſentiente cerebro eueniunt &c.

Hip. aphor. 5. aphor. 27. qui noctu bibere appetunt, ijs ad-

modum sitientibus, si super dormierint bonum &c. B. quia conquieti per somnum subdescendit id quod sitim efficiebat. Et nota q̃ qui ex humidi deffectu ualde sitiunt, ijs dandus est potus nã succurere deffectui est inquit Gal. medicinale theo. Vide tamen de siti in lib. de febribus infra &c.

De bulimo.

Bulimos est intensus membrorũ appetitus cum deiectione appetentiæ stomachi, unde uenæ fiunt uacuæ sed stomachus respuit ac aborret cibum, &c.

Loci consentientes de bulimo.

Auic. decima tertia, tra. 2. cap. 15. bolismus uocatur fames uacina & est membrorum fames cum sacietate stomachi & uenæ quidem sunt uacuæ & stomachus cibum respuit, &c. Gal. apho. 2. com. 21. Passio bulimos appellata est casus potentiæ appetitricis a frigiditate exteriore, qui a fame quidem inchoauit, sed non habet amplius eam adiunctam &c.

De causis bulimi.

Causæ primitiuæ sunt motus per loca niuosa & frigida, uel mala uentriculi intemperies, uel eius imbecillitas uel frigiditas uirtutem attractoriam & sensibilium mortificans similiter & inanitio &c.

Loci consentientes de causis bulimi.

Gal. 4. de sympt. cau. cap. 7. Accedit ad hoc bulimos. i. uehemens fames quæ fit quum simul penuria imbecillitate & refrigeratione uentriculus afficitur &c. Auice. 13. tra. 2. cap. 15. Et multoties accidit iter agentibus in frigore & congellatis. quorum stomachi ex frigore uehementi inspissantur et causa eius est malitia complexionis mortificans uirtutem sensibilẽ & attractiuam & fit ex humoribus &c.

De signis bulimi.

Signa bulimi recitata sunt supra capite de appetitu cani=

no, nam communia propemodum sunt. De his uide Gale. lib. de fin. med. ibi bulimos est ingens fames & est dispositio in qua fit cibi inquisitio ex paruis interuallis, qui hac detinentur, resoluuntur & concidunt, decoloresq; fiunt, perfrigescũt iis extrema corporis & torquetur stomachus, uixq; pulsus percipitur &c.

De cura bulimi.

Quum morbus fiat a frigore exteriori curetur cum calidis aromaticis in quibus adsit stypticitas, deglutiantq; panem infusum in uino odorifero cretico, deinde fiat aliqualis diuersio ligando extrema manuum & pedum. Somnus interdicatur pungantur ac suscitentur cum urtica & uirgis paruis suauiter flagellentur fiantq; emplastra circa regionem uentriculi ex odoriferis ac cordi congruentibus et si aduenerit syncopis, tunc spargatur eorum facies ex aqua frigida stringanturq; manus ac pedes, euellanturq; capilli quum uero syncopis definit, statim cibentur &c. In causa calida utantur frigidis uelut rosa. Nymphea uiola coriandro præparato sandalis cãphora, fiantq; epithemata frigida ex aqua ros. nenupharis cũ sandalis &c. Cibaria sint boni nutrimenti cum omphacio cõditi. Potus sit uinum granatorum cum iuleb ros. ungatur. etiã stomachus cum oleo ros. myrtino &c.

Loci consentientes de cura bulimi.

Auic. 13. tertij, tra. 2. c. 17. Est cura casus appetitus & oportet, ut odorentur cibi promouentes appetitum habentes species & fructus odoriferos & aromatica odorabilia, in quibus est stypticitas ut congregetur uirtus, et deglutiant panem infusum in uino odorifero &c. uide hunc locum fusius & omnem curam intelliges. Lege etiam Aet. ser. 9. ca. 20. de cura perditionis appetitus, nam ambo hi morbi similiter coincidunt &c. uide etiam Arcul. & Marc. cat. &c.

De pronost. bulimi.

Aet. ser. 9. cap. 6. Aßidui bulimi & exoluunt & in animi deliquia incidunt quibus ægre auxilium reperitur. B. *Nota q; syncopis ex bulimo, tum ob corporis inanitionē tum ob oris uentriculi nocumentum cui cor compatitur, accidere solet, quæ si longo durauerit tempore plerunq; ægros ad interitum perducit etc.* Intellige etiam *de bulimo quæcunq; dicta sunt de pronost. appetitus canini.*

Authores dissentientes circa bulimum.

1 *Adserere, idem esse bulimum & appetitum caninum.*

2 *Adserere, uinum in quolibet appetitu canino conferre.*

3 *Adserere, cibaria crassa tantum in bulimo et appetitu canino competere.*

Confutatio dissentientium circa bulimum.

Ad primum respōdetur q; definitiones utriusq; datæ sunt, quæ manifestant non idem esse, Præterea Gal. apho. 2. comm. 21. In fine eos reprehendit dicens q; pro generali & uniuersali faciunt specialem & particularem, Præterea bulimos tātum a frigiditate exteriori fieri potest, & non appetitus caninus, Demum bulimos incipit cum fame, sed perseuerat sine fame, quod non facit appetitus caninus &c.

Ad secundum Gal. eodem in comm. talem famem uini potio sanat, non autem eam quæ ex longa inedia, uel alui profluuio aut fluxu sanguinis aut alia aliqua facta euacuatione &c.

Ad tertium respondetur q; & si cibaria crassa eo q; magis sedent appetitum, uideantur congrua, nihilominus tenuia dāda sunt, tum quia uirtus imbecillis est, tum quia facilius per membra distribuuntur &c.

De dolore stomachi & eius flatu.

Dolor stomachi est eius quidam tristis sensu a mala intemperie nuda uel materiali, aut a soluta continuitate proueniēs,

cuius causæ primitiuæ sunt percußio casus offensio stomachi uel membri consentientis ut cerebri nerui intestinorum, uel regimen cibi inordinatum uel aliarum rerũ non naturaliũ. Causæ antecedentes sunt nuda intemperies uel cum materia acri et mordicante, uel, a sanguine pituita, aut potus aquæ frigidæ, aut flatus extendens, aut soluta continuitas sicut ab ulceribus uel ab aliquo absceßu. Causæ cõiũctæ sunt ipsi humores uel reliqua dolorem stomachi actu efficientia &c.

Loci consentientes de causis dolori stomachi.

Auic. decima tertia tertij, tra. 2. ca. 1. Dolor stomachi accidit aut propter malitiam complexionis absq; materia aut cũ materia & proprie acuta mordicatiua, aut propter solutionem continuitatis ex causa uentosa extensiua aut mordicatiua adusta, aut aggregatiua ambarum rerum simul sicuti est in apostematibus calidis &c. lege eum ulterius et inuenies etiã causas quur dolor accidat ante comestionem et sedatur quum comeditur &c. Consule in hoc etiam Arcul. 9. almans. Gal. 6. de sympt. cau. cap. 2. spiritus in uẽtriculi spatijs oriri solet quũ humores pituitosi ibi contenti uel cibi ab imbecilli calore in uapores resoluuntur, Nam ut absolutum frigus uaporem non excitat, ita calor magna ex parte quæ comprehendit uincens plusquam pro uaporis generatione cibum extenuat, nisi forte suapte natura in flatum transeat, quare relinquitur q a calore imbecilli cibos non omnino conficiente, sed quodammodo dissoluente, flatus siue spiritus exoriatur &c. Lege etiam fusius Gale. de causis flatus. 14. meth. cap. 7. ibi Porro halituosum spiritum in animalis corpore ex succis &c.

De signis doloris stomachi.

Signa bilis sunt mordicatio, dolor pũctorius, sitis, oris siccitas atq; amaritudo. Signa pituitæ sunt oris salsedo præsertim si salsa fuerit pituita, inflatio grauitas sensibilis aliquan-

do frigiditas, interdum fit sitis ratione doloris & clamoris. Item adest uomitus pituitosus, pallor faciei &c.

Signa flatu sunt eructatio rugitus, ructus fiunt uel strepitus extēsio in hyppocondrio, iuuatur per emißionem strepitus, dolor permutatur frequenter. Signa apostematis sunt appetitus destructio, eminet in parte exteriori, præsertim si fuerit circa os uentriculi, si uero fuerit in fundo, concoctio destruitur, nec apparet eius eminentia, adest febris &c. Cognoscuntur ulcera ex sanie & reliquis exeuntibus &c.

Loci consentientes de signis doloris stomachi.

Auic. decima tertia, tra. 2. ca. 2. Et mordicatio cum inflatione est significatio materiei calidæ propter qualitatem acutā, uel salsam, si mordicatio non est stabilis immo renouatur significat effusionem choleræ ex hepate &c. Et signa ex uentositate sunt eructuatio & rugitus & extensio in hypocōdrijs &c. de his consule Arcul. fusius. Gale. 6. de sympt. cau. cap. 2. Cognoscitur flatum esse in uentriculo quoniam si per os reijcitur facit fructum, si per inferiores partes, flatum reddit uel strepentem uel sine strepitu, quod si per neutram partem deferatur symptωma uentriculi efficit, ob imbecilitatem non potentis spiritum redundantem & nebulosum expellere &c. lege hoc totum caput, nam ex flatu acuto ac tenui sono et similiter ex bombosis diuinare te docebit qua ex parte flatus procedat, & alia ad rem facientia, lege etiam neotericos &c.

De cura doloris stomachi.

Diuersimode curabitur dolor prout causa efficiēs fuerit, nam si nuda ac sola intemperies mala sit in causa tunc sola alteratione per contrarium curabitur, si uero materialis intēperies in causa fuerit tunc curandi intentio quiuis intentionibus perficietur. Prima erit circa regimen sex rerum non naturalium, ita ut in contrarium causæ omnia adhibeantur, ut

in calidis frigida et econuerso. Secunda est doloris mitigatio quæ statim in opus dirigēda est, quum stomachus sit membrū sensitiuum, ex cuius læsione facile totum corpus compatitur. Hæc duobus modis perficitur, Primo abscindēdo doloris causam, & hæc fit cum solutiuis & sectione uenæ quod si materia nimis stomacho adhæreat ac fixa & compacta persistat, ita ut aliqua præparatione indigeat præparanda tūc erit pro ut in altera intentione dicetur, Interim alter sedandi modus erit cū rebus anodinis quæ parari possunt per fotus cataplasmata cerata oleis &c. Fotus fiunt cum floribus camomillæ anethi melliloti & s. lini fænugræci altheæ &c. Deinde in casu necessitatis ad opinata cōcurrendum unde in causa frigida damus phylonij rom. ʒ.s. usq; ad ʒ.i. cum modico uino et in calida tantundem requiei nicol. &c. Tertia intentio est humoris peccantis præparatio, unde in causa calida procedimus cū syropo acetoso simp. uel. ozysacchara, syr. de endiuia, uiol de agresta cum aquis endiuiæ lupulorū uiolarum &c. Quæ bilis si aliunde flueret præparanda esset cum his quæ aliqualē in se stipticitatem continent ut cum syr. ros. de. s. acetosæ de granatis, de citonijs, cum aquis endiuiæ acetosæ plantaginis & cicorij &c. In causa frigida cum rhodomelle, oxymelle simpl. & compos. scilliticoq; syr. de absinthio de menta, si fuerit pituita salsa cum sy. uiol. et oxymelle simplici cū aquis camomillæ endiuiæ, si melancholia cum sy. de fumoterræ de epithimo acetoso simplici syr. uiol & cum aquis fumiterræ lupulorum boraginis &c. si sanguis extrahatur per uenæ sectionem. Quarta intentio est euacuatio, quæ in materia biliosa ita parabitur ℞ mannæ electæ mast. ʒ. xij. d'i de s. ros. ʒ. ij. s. syr. uiol ʒ. i. cum decoctum fructuum & florum cord fiat potus. Vel in materia crassa cum casia diaphinicone, In melancholia cum casia et confectione hamech, laudatur insuper hic

ra Gale. simpl. pillulæ aleophanginæ &c. Si in causa fuerit uentositas curat post euacuationem factam cum calefacientibus & exiccantibus præsertim si materiam fouentem habuerit, unde in hoc comendatur cucurbitula cum maxima flāma applicita. Item fiant fotus ex decocto mentæ absinthij camomillæ calamēti pulegij rutæ cinnamomi galangæ calami arō. &c. uel cum oleo in quo ruta apium cuminum maratrum bullierint &c. Quinta intentio est malæ complexionis derelictæ remotio, quæ si fuerit calida frigidis remouebitur, si frigida cum calidis quæ parantur per cerata cataplasmata linimenta &c.

Loci consentientes de cura doloris stomachi.

Auic. 13. tract. 2. cap. 3. Cura eius qui est ex malitia complexionis calidæ sine materia est in potu sumere lac acetosum & aquam frigidam, & in cibo pullos perdices cucumeres cucurbitam portulacam, &c. & sic intelliges de frigida complexione q. per contraria curetur. Quod doloris mittigatio tribus dictis modis fieri poßit, lege etiam Auic. 2. primi, doc. 2. sum. 2. ca. de cau. sedandi dolorem, Item quarta primi, cap. de sedatione doloris. Lege etiam neotericos practitantes Arcul. & Mar. Cat. Mich. Sauona. Razem & Bauerium fol. 66. &c. Auic. 3. trac. 2. cap. 3. loquens de præparatione simul et euacuatione humoris dolorem efficientis, inquit, Et quādo dolor fuerit ex humore cholerico calido euacuabis, & administrabis syrupum acetosum cum aceto, in quo fuit infusum absinthium, &c. Gale. 14. meth. cap. 7. In curatione omne principium est totum corpus euacuare ea euacuatione quam ferre potest, purgatio sit uel mißio sanguinis uel purgatio tum per ea quæ subter expellunt medicamenta, tum per quæ supra ut uomitoria, deinde per ea ut in uno uerbo me expediā quæ calefaciunt & exiccant, &c. Gale. 12. meth. cap. 8. de cura fla

tus uentriculi commendat cucurbitulam maxima cum flamma admotam, & ita hoc præsidium ualere inquit ut incantamenti cuiuspiam simile uideatur. Et 8. meth. cap. 5. flatus sanandi sunt, oleo, in quo ruta & semina quæ flatus discutiunt, fuere incocta ut sunt apricumini maratri atq; alia id genus. Et 14. meth. ca. 7. est illud inquit commune præceptum omniũ fere quos uitiosus succus creat morborum q, in fine calefacientibus & exiccantibus sit utendum &c. Vide Aet. ser. 9. cap. 27. ex Archigene curam & Auic. 13. trac. 2. cap. 3. ibi. Et dolores quidem stomachi frigidos & uentosos sedat &c.

Obseruatio circa curam doloris stomachi.

Marc. Cat de mente Auicen. debemus in primis cum diligentia & bona cura procedere, & causam cognoscere, ne si error contingeret, ob id quod stomachus chylum generat, talis error toti corpori communicaretur, &c.

Nocentia ac conferentia dolori stomachi.

Dolorem & mordicationem inducunt bleta, bulbus, fructus cedri, dactili, grana pini, iuniperus, lac, rapa, cruda, scamonium. Conferunt dolori et mordicationi, absinthiũ, aloes, acetosa, acetum scilliticum, betonica, calamus aromaticus, corallus, coriandrum, furfur, galanga, garyophillum, gentiana garyophillata, granata acetosa, lactuca maiorana menta mellilotum nepita, nux moscata, ostraca, oua semicocta origanũ paritaria passulæ peucedanum portulaca pulegium rheubarbarum, rosa, ruta, rubus, lac sicomori, siliqua, sisamus spica, spina alba, scenoanthos. Composita sunt alphendidicon Auic. tertia quinti, Apozima de absinthio quarta quinti Auic. Athanasia maior hali. 6. antido. Ceratum hissopi filiagrios hissopi pauli, stomaticon mes. ij. antid. electuarium de carui Auic. de ambra serap. electuariũ indum de baccis lauri, gallia muschata infusio hieræ mes. oleũ de absinthio de menta de costo nar

dinum rosaceum masticinum myrtinum de citonijs. Pillulæ aleophanginæ masticinæ de hiera cum agarico hieræ simpl. Quadrumeron confectio nic. Rob granatorum de citonijs, theodoricon magnum Auicen. thiriaca maior, thiriaca diatesserō, triphera magna nic. triphera saracenica mes. troc. de diarhodon de absinthio de rosis, unguentū cardumeni Auic. 2. antid. zuccharum ros.

De pronosticis doloris stomachi.

Auice. 13. tra. 2. cap. 1. Et quandoq; moritur subito propter aduentum doloris ad cor. Secundo, & quandoq; descendit dolor & facit prouenire colicam, Tertio portendit in prægnātibus præfocationem matricis. Quarto, Timetur in illo in quo prolungatur dolor stomachi quod attrahat apostema stomachi, Quinto, Hippocra. in lib. mortis festinæ, quando apparet cum dolore stomachi super pedem dextrum quoddam simile uesicæ, tunc patiens moritur in uiginti septem diebus. Et si habet dolorem uentris, & apparet in supercilio eius uestigium & bothor, similis fabæ deinde fit ulcus tunc ipse morietur & huic accidit subet &c.

Authores dissentientes circa dolores stomachi.

1 *Adserere, succum absinthij magis conferre stomacho quā ipsius herbam.*

2 *Adserere, in omnibus maximis doloribus sectionem uenæ semper conuenire.*

Ad primum Auic 13. tertij, quoniam succus eius est seperatus a stipticitate retenta in herba idcirco non ita conducit stomacho ut ipsa herba quæ ob partem terream in se manentē sit magis stiptica & confortatiua &c.

Ad secundum Auic. quarta primi, tibi quoq; cauere debes a minutione in hora fortis doloris, item cauendum a phlebotomia in corporibus habentibus subtilitatem nimiam oris

ſtomachi quoniam ex ea in ſyncopin cadunt, Præterea in frigido craſſo ac uiſcoſo humore non competit, igitur non ſemper competit ſicuti etiam in dolore uires proſternente non competit &c.

De imbecillitate hepatis.

Hepatis imbecillitas eſt alteratricis facultatis in proprijs actionibus impotentia abſque alicuius uiſceris malo manifeſto, &cæt.

Loci conſentientes de imbecillitate hepatis.

Gale. 8. de compoſ. med. per loc. cap. 6. ad finem, imbecillitas hepatis eſt citra manifeſtum aliquod in uiſcere malum in proprijs actionibus impotentia alteratricis facultatis. B. Intelligendus eſt hic Gale. de alteratrice facultate & ſi ad unguem eam non expreſſerit, nam, huic attractoria retentrix & expulſoria tanquam principaliori ſeruiunt.

Auice. 14. tra. 2. cap. 1. hepaticus eſt ille cuius eſt debilitas abſq; re manifeſta in operationibus hepatis &c. Inuenio iuxta Gal. in li. fin. med. iocinoroſos appellari quos iecoris dolor cum tumore & duritie & corporis colore malo comitatur, & his febris ardens ſuperuenit, & lingua areſcit, quæ omnino euenire ſolent, quum alteratrix facultas ſuo nõ probe fungatur officio, ad ipſam enim pertinet ſanguinem generare, unde a Galen. quinto de loc. affer. capitulo ſeptimo ſanguifica ſpeciatim alteratrix dicitur & ab Auic. digeſtiua, lege Galen. ſexto de ſympt. cauſ. cap. ſecundo.

De cauſis imbecillitatis hepatis.

Cauſæ primitiuæ ſunt caſus & percuſſio ſuper hepate & quæcunq; a rebus non naturalibus prouenire poſſunt, male diſpoſitis. Cauſæ antecedentes ſunt, uel per ſe, uel per conſenſum, per ſe fiunt, uel a mala intemperie ſine materia, uel

ut placet Auic. cum materia abſceſſum uel heryſipelā uel ædema generante per conſenſum uero, uel a toto ut in febribus, uel ab aliqua parte quæcunq; ſit debilitante fieri ſolent. Cauſæ coniunctæ ſunt uel ipſa intemperies uel quid aliud facultatem alteratricem actu imbecillitans &c.

Loci conſentientes de cauſis imbecillitatis hepatis.

Auic. 14. tra. 2. cap. 1. Et id eſt, aut propter malitiam cōplexionis ſingularis ſine materia, aut cum materia cuius principium eſt ab hepate aut a membris alijs ſicut eſt fel quando non trahit coleram, aut ſplen quando non trahit melancholiam aut renes aut ueſica, aut matrix per uehementiam fluxus ſanguinis, & propter uehementiā retentionis menſtruorum &c. Et quandoque non eſt propter malitiam complexionis ſolam, immo propter apoſtema ſanguineum heriſypellā undimiā, aut propter ulcus &c. B. Nota an hoc loco decipiatur, Auic. Nam dictum eſt a Gal. non ſolum in deſcriptione iam dicta, ſed etiam 8. de compoſ. med. per loc. cap. 6. q. hepatica peculiariter appellata citra tumorem præter naturā contingat &c. Gal. 6. de ſympt. cau. cap. 2. Intemperies quæ alteratricis facultatis imbecillitatem parit, ſi calidior quam oporteat fuerit, interdum bilioſum, interdum melancholicum excrementum efficit, ſi frigidior pituitoſum & aquoſum excrementum ſimiliter parit. Lege inſuper Gal. 5. de loc aff. cap. ul. ibi, omnium facultatum eſſentia &c. Item. 3. de ſympt. cau. et Aet. ſer. 10. ca. 1. Et Paul. lib. 3. cap. 46 et Arcul. 9. almans. &c.

De indicijs imbecillitatis hepatis.

Indicia ſumuntur a colore corporis ab egeſtione, a dolore leui, ab intemperie cal. frig. ſic. et hum. a facultatibus ipſius hepatis. Si uero per conſenſum morbus efficiatur, ex mēbri læſione a quo fit conſenſus. A colore cognoſcitur quia ſi a flaua ſiue pallida bile, aut a pituita fiat tota cutis erit alba, ſiue

pallida siue flaua, ab egestione quia quæ egerunt similia carnis loturæ apparent. A dolore leui, quia sicut ex cibo uentriculus premitur ita ex chylo iecur, unde dolor leuis accidit, a complexione cognoscitur ex eo q a suis cõtrarijs iuuatur, a facultatibus hepatis, nã si ab alteratrice sanguis diminutæ erit concoctus qualis est sanguis pituitosus, aut superflue erit concoctus qualis est biliosus & adustus. Si ab attractoria facultate morbus fieret, tunc uix prima concoctione celebrata, chylus egreditur, quum ad iecur attrahi non poßit si a retentoria, tunc id egreditur qualis intrauit. Si ab expulsoria, tunc id nõ expellitur quod est superfluum, sed admixtum sanguini cernitur aut cognoscitur ex eo q multæ ad uentriculum fluunt humiditates. Sunt & harum facultatum alia indicia, nam si sanguis corruptus sit uel ad putredinem decliuis uel colore uarius uel pituitosus, tunc alteratricem cognoscimus esse diminutam si totius corporis adsit macies & imbecillitas, tunc attractoriam uim esse imbecillem coniectamur, & sic de reliquis. At si morbus per consensum fiat cognoscitur ex alterius membri læsione, nam si per consensum fellis fieret tunc ex colore icterico cognoscitur, si ex consensu stomachi, ex concoctionis malitia, & sic de reliquis &c.

Loci consentientes de indiciis imbecillitatis hepatis.

Auic. 14. trac. 2. cap. 2. Color est ex rebus quæ significant secundum plurimum dispositionẽ hepatis &c. Et egestio & urina similes aquæ carnis significant debililatem hepatis in generando sanguinem &c. Complexiones autem significantur ex radicibus prædictis &c. Lege fusius hunc locum &c. indicia a me dicta inuenies. Gal. 5. de loc. aff. cap. 7. Igitur aluum quum sedimina aquæ in qua mactata caro abluta est, similia esse uideris tunc efficacißimum esse affecti iecoris signũ non dubites, & paulo post facit mentionem de complexionũ

ſignis,ibi,calidæ intemperies hepatis &c. Habes tamen rem magis expeditam.8.de compoſ.med.per loc.cap.6. Ibi calida igitur intemperie circa hepar exiſtente, colliquationes fiunt primum humorum deinde carnis ipſius hepatis &c. Similiter habes ſigna facultatum hepatis 5.de loc.aff.cap.7.ibi ſi attratrix facultas afficitur tunc cibum in uentriculo in ſuccum tranſmutatum relinquitur &c. Vide 8.de comp.med. per loc. cap.6.fuſius de hac re.Item Paul.& Aet.& Arcul.&c.

De cura imbecillitatis hepatis.

Perficitur hæc cura quatuor medijs. Primo, remouendo cauſam imbecillitatis.Secundo,roborando hepar.Tertio,remouendo ſi qua aduenerint ſymptomata. Quarto,regulando ægrum in ſex rebus non naturalibus.Cauſa ſi fuerit primitiua ut potus aquæ frigidæ remoue eam cum calidis ut puta cũ potu uini & abſtineat ſe ab aqua,et ſic de reliquis cauſis primitiuis. Si cauſa antecedens in hepate fuerit intemperies calida,remoueatur frigidis ſtipticis hepati conducentibus,frigida calidis aromaticis aperientibus, humida ſiccis &c. Si uero fuerit apoſtema ulcus uel aliqua alia ſoluta continuitas curabis per ea quæ ad apoſtemata ulcera & ſolutam continuitatem faciunt, ut alias dictum eſt. Si cauſa ſit per conſenſum ab alio membro tunc illius membri mala diſpoſitio remouenda eſt cũ euacuatione reuulſione ac membri roboratione, ne quid amplius ad hepar tranſmittatur,demum hepatis nocumentum iam impreſſum remoueatur &c.2.Robur hepatis fit decem medijs,ut ex Auic.& neotericis elicitur. 1. Cum leuiter calefacientibus ut naturalis eius temperies ſeruetur, & hoc intelligi poteſt de his quæ ad penetrandum exhibẽtur. 2. Cũ leui apertione quũ ſemper de obſtructione hepatis timor ſit & tunc utimur phiſticis & abſinthio. 3. Cũ maturatione & lenificatione quæ cum paſſulis & uino granatorum confi

citur. 4. Cum abstergentibus quæ parantur cum aqua hordea=cea & hydromelle. 5. Cum incidentibus ut cum uino granatorum quod ad acetum uergit 6. Cum his quæ moderatam in se stipticitatem habent, ut scenoantho rosis absinthin. 7. Cum prohibentibus putredinem ut cinnamomo casia lignea. 8. Cum exiccantibus ut cum spondio 9. Cum mundificantibus ut cum melle & uino subtili. 10. Cum his quæ a proprietate ualent, ut spica, lupi hepar, limatijs rheub passulis. Verum in his memoriæ interim mandandum, quænam facultas principaliter læsa sit, ut eius robori magis intendas, nam attractoria uis calidis & siccis, sed magis calidis, retentoria frigidis & siccis sed magis siccis roboratur, alteratrix calidis & humidis li=cet magis calidis, ex pultrix calidis & humidis licet magis gaudeat humidis &c. In causa igitur frigida conueniunt ab=sinthium rheubarbarum troc. de rheub. diacurcuma sy. de ab=sinthio de eupatorio. Item electuarium Gal. in tex. Auice. de=scriptum, ibi, recipe ligni aloes rosarum spicæ nardi cinna=momi ante. 3. 2. &c. In calida conueniunt cicorium aqua li=matiarum diarhodon abbatis triasandali. T. de rosis, syru. de endiuia de cicorea cum rheub. 4. Cibaria nullam craßitiē uel uiscositatem participent, carnes sint boni nutrimenti, unde cō ueniunt uitelli ouorum sorbilium cum cinnamomo & pipe=re aromatizati. Item passulæ limatiæ &c. Portus sit aqua hordeacea cum aliquantulo mellis &c.

Loci consentientes de cura imbecillitatis hepatis.

Auic 14. Tr. 2. ca. 3. ut plurimum debilitas hepatis est pro=pter frigus aliquod aut humiditatem aut siccitatē, aut propter materias malas retētas in ipso, et propter hoc plurimū curæ eius est cū calefactione subtili cū apertione & maturatione & lenificatione permixta cū stipticitate confortāte & prohibente putrefactionē; et fit cū medicinis aromaticis in qbus

est apertio & maturatio ut crocus, & quandoq; indigemus propter retentionem materiei in ipso phlebotomia & solutione uentris &c Gale. 8. de comp. med. per loc. cap. 6 scopus curationis in eiusmodi affectionibus sit communis quidem iuxta intemperiei contrarietatem, Peculiarem uero per cuiusque contrariã, uerum in his siue exterius applicitis siue intra adhibitis semper aliquid ex adstringentibus miscere oportet ut iecoris robur seruetur &c. Et. ij. meth. cap. 16. si quidem in uentriculo & iocinore robur resolui est pernitiosissimum &c. De cura facultatum hepatis laborantium habes plene iuxta Auic. loc. cit. ibi si debilitas adigestiua prouenit confor-ta cum stipticis aromaticis, si a retentiua, adde in confortatione & stipticitate & minus de calefactione &c. lege fusius & inuenies cætera a me iampridem exarata, lege etiam Arcul. in hoc & Marcum cat. De cibis lege etiam ibi Auice. & conuenientiores cibi sunt in quibus non sunt grasitudo & uiscositas, &c. lege eum fusius & Arcul.

Obseruationes in curatione.

Auic. Medicinæ hepaticæ sint apertiuæ cum leui caliditate quarum uirtus sit lenitiua & abstersiua nec stipticitate careant quum hepar sit membrum laxum &c.

Nocentia & conferentia imbecillitati hepatis.

Nocent hepati, aloes, assa, colocynthis, dactili, helleborus, euphorbium, esula, ficus, lac, mezereõ, ozimum, serpentaria, serapinum, scamonium, scebram, triphera ferunginea nic. Conferunt imbecillitati et eum roborant absinthium, acorus, aloes bonæ amygdalæ amaræ, ammonium, asarum, berberis, calamus, aromaticus, cinnamomum cortex citri, costum, cuscute, crocus, cicorium, endiuia, eupatorium, phystici, fumus terræ, granata acetosa, lactuca, laudanum, signum aloes liquiritia, hepar lupi, macis, mastix, myrobalani cit. nux mosc. ori

ganum

ganum passulæ, rheubarbarum, rosa, rosmarinus, rubea, spica. spinachia scenoanthos, Composita sunt citonia condita, cõditum de citro, de succo citoniorum de musco, diarhodon, dia laca, diacurcuma, diaireos, lætificans mes. el. de mirto mes. de camphora Auic. empl. diaphinicon diaspermaton, gallia sebe lien mes. oleum masticinum, amygdalarum amararum, irinum, costinũ, pillulæ aggregatiuæ de rheub. stomaticæ Auic. de agarico Serap syr. de endiuia de cicorea cum rheub. de acetositate diarhodon de fumoterræ de absinthio tro. de ligno aloes de rosis de aniso de absinthio de lacca hali, de eupatorio, hiera damasceni, & udiarum ros. &c.

De pronosticis imbecillitatis hepatis.

Auic. 14. t. 2 cap. 2. & multotiens perducit ad hydropẽ, & colicam phlegmaticam &c. Arcul. debilitas hepatis notabilis quum inueterata fuerit, aut difficillime, aut fere nunquam emendatur, & lege etiam Gal. 8. de compos med. per loc. &c.

De inflammatione iocinoris.

Inflammatio est calidi sanguinis influxus quæ in hepatis substantia, uel in eius gibbosa uel concaua parte, aut in musculis uel tunicis colligẽtibus, uel in uenis eius accidere solet, nec inquirendum utrum in uenis mesenterij hæc accidat, quoniã si in concaua iecoris parte fuerit inflammatio, etiam in uenis mesenterij necessario erit.

Loci consentientes de inflammatione hepatis.

Auic. 14. t. 3. cap. 1. apostematum in partibus hepatis accidentium quædam fiunt in ipso hepate quædam in lacertis positis super ipsum, & alia sunt quæ accidunt in meseraicis, & eorum quæ fiunt in ipso quædam accidunt in partibus eius superioribus & ad latus gibbosum, & alia in partibus inferioribus & ad latus concauum & alia in uelaminibus & paniculo & in uenis ipsius &c. Lege Gal. 5. de loc. aff. cap. 7. et 13.

meth. cap. 14. ubi etiam inquit q; cauo iocinoris phlegmone obsesso protinus etiã uenas quæ in mesenterio sunt una phlegmone laborare necesse sit, Vide etiam Gal. in lib. de tum. præter naturam. cap. 2. ibi inflammatio est calidi &c.

De causis inflammationis hepatis.

Causæ primitiuæ est nimius calor ex immodico motu aut ex sole igneq; acquisitus, aut acre medicamentum aut nimius potus uel cibus calefaciens percußio aut torsio &c. Causæ antecedentes uel per se sunt in hepate uel per consensum fiunt, Per se sunt intemperies calida malos humores attrahens aut intemperies frigida quæ alteratricem & expultricem debilitat, unde tumores fieri possunt, similiter obstructio ex qua humores retinentur, aut dolor materiam ad iecur attrahẽs, aut iecoris imbecillitas, Causæ coniunctæ phlegmonis est sanguis copiosior quam pars postulet in ipso hepate contentus &c.

Loci consentientes de causis inflammationis hepatis.

Gal. 13. meth. cap. 6. istius caloris causa aut est immodicus motus aut ex sole & ignis tepor, aut acre medicamentũ &c. Auic. 14. t. 3. cap. 1. etiã de alijs primitiuis causis loquitur, ibi, & cibi quidem calefacientes & craßi, & qui non digeruntur ualde adiuuant ad faciendum apostemata in hepate, & quandoq; accidit propter percußionem & torsionem &c. De causis etiam antecedentibus hic uerba facit ibi causæ illius sunt complexio frigida prohibens digestionem & expulsionem aut debilitas stomaci aut opilatio congregans humores &c. lege eum fusius Gal. 13. meth. cap. 3. Cõmunis omniũ phlegmonarũ generatio ex sanguinis influxu est copiosioris, quã pars postulet, Causa uero quur influit sanguis tum a partibus mittentibus, tum ab his quæ ad se attrahunt peruenire potest; mittũt enim partes quum nimium copia superuacuus est, aut quum a sua qualitate molestantur quæ uero attrahunt, ea ob

morbosum calorem attrahunt uel ob sui uel uicinæ partis dolorem, aut ob partis recipientis imbecillitatẽ, ut testatur Gal. 13. meth. cap. 5. Lege etiam de his Gal. 13. meth. cap. 6. ibi, dolor prouenit uel ob intemperiem & uulnus & contusionẽ & distorsionem & tensionem uel obstructionem quandam &c. Lege etiam 14. meth. cap. primo, ibi, inflammatio fieri solet, quum sanguis copiosus in aliquam particulã procubuit &c. Lege de his uberius Arcul. 9. almans. &c.

De indicijs inflammationis hepatis.

Indicia hepatis inflammati sunt dolor inseperabilis in dextro hyppocondrio, grauitas in eo maior quam in opilatione, forma corporis mutatur, apparet enim in facie et in alijs membris tumor siue inflatio, color tendit ad citrinum uel pallidum, nulla adest pulsatio ac in cæteris inflãmationibus, Costæ nothæ ut plurimum dolent, exigua & sicca tussicula adest singultus quoque sequuntur, Dormire non ualent super latus dextrum, & super sinistrum dormire graue est, febris adest acuta. Signa quando adest in gibba parte sunt grauitas maior quam in cõcaua, singultus minor, tensio apud suspensoria, manifestior fit tactui, præcipue in debili, tussis sicca, difficultas anhelitus maior, ob consensu diaphragmatis percipitur, urina pauca cum mordicatione, lingua est citrina ad nigredinẽ decliuis. Signa quãdo fuerit in concaua, singultus maior, grauitas minor eo ꝗ a stomacho sustentatur, tussis parua, & anhelitus paruus, dolor uehementior, nausea, appetitus destructio, sitis uehemens, uomitus biliosus, frigus extremitatum et nigredo linguæ & syncopis &c.

Loci consentientes de signis inflãmationis hepatis.

Gale. 5. de loc. aff. ca. 7. *Iecur affici declarant in dextra præcordiorum parte grauitas, dolor tota præcordia contrahens & ipsius usq; ad iugulum extensio exigua tussis, linguæ color*

in primis ruber deinde niger, ingens ciborum fastidium, sitis inexhausta, uomitus tum synceræ bilis, tum quæ ouorum uitellis similatur quæ postea eruginis colorem refert, aluus adstringitur, si inflammatio cum eius uisceris imbecillitate excitetur, spiritus adest difficultas febris acuta etc. Et paulopost inflammationes in simis iecoris partibus fastidium nauseam uomitum biliosum, sitim ingentem tußim atq; dolorem usq; ad dextræ partis iugulum excitant; nonnunquam utriq; parti dolor adest nothæ costæ consentiunt, In gibba uero parte inflāmatione existente præter dicta tumoris cumulus compræhensim cōspicuus in superficie tactui maxime si abdomē gracilescat, cōpræhenditur, dolores circa respirationem & tußiculæ magis intendūtur cum dolore ad iugulum extenso ut detrahi uideatur magis quā in ima parte. Si uero in rectis musculis inflammatio accidat tumor erit præter naturam oblongus atq; per totum uentrem extensus umbilicum compræhendens &c. Lege de his Auic. 14. tra. 3. cap. 2. ibi signa communia sunt q, inuenit æger grauitatem sub hypocondrijs inseperabilem & inuenit illic dolorem uehementem &c. Lege similiter Arcul. 9. alman. Item Gal. 2. de loc. aff. ca. 9. ibi, si incognita nobis fuerit inflammatio iubendum est ægro ut magnam edat respirationem &c. Vide etiam de hac re Paul. lib. 3. cap. 46. & Aet. ser. 10. cap. 3. & Gale. 2. de loc. aff. cap. 8.

De cura inflammationis hepatis.

In curatione hac tota adhibenda est diligētia ne hepatis læsio per totū corpus dispergatur, Erunt igitur intentiones curationis sex prima erit reuulsio. 2. repercußio. 3. humoris præparatio. 4. euacuatio. 5. resolutio. 6. malæ cōplexionis derelictæ remotio cū regimine sex rerū nō naturaliū. Reuulsio fiet cū sectione uenæ basilicæ aut cæphalicæ, quæ an fienda sit ex opposito an ex eodē latere dubitat, Cōciliator dif. 198. quem

fusius uidebis. Diuertimus etiam cum frictionibus ligaturis cucurbitulis circa partes extremas positis & similibus. Repercußio fiet tum per exteriora tum per interiora. Conueniunt extrinsecus epithemata & inunctiones ex oleo ros. de citonijs uel ex aquis rosarum solatri cum syndone madefacta & hepati applicita quibus addi possunt pulueres ex sandalis rub. & al. & cit. ex rosis corticibus & floribus granatorum & aliquid camphoræ. sed in materia frigida accipimus aliquid abscinthij masticis cum oleo ros. masticino &c. Intrinsecus ualēt sy. ros. de succo acetosæ cū aquis plātaginis cicorij cad. uen. &c. in causa frigida rhodomel syr. de duabus rad. oxymel cū syr. ros. Et hæc faciūt etiā pro tertia intētione uno tamē animaduerso q stiptica tantū in principio, sed cū materia iam fluxa est, alijs non stipticis, uti possumus ut sy. acetos. simp. uiol. de endiuia de fumoterræ &c. Euacuatio fiat rursus peccante sanguine cum sectione uenæ hepaticæ, aut peccāte cholera cum rheubarbari infusione aut cum alijs pharmacis prout millies dictum est. Resolutio fit cum his quæ resoluunt addēdo aliquid quod stipticitatis secum afferat, & hunc spectant inunctiones cataplasmata et epithemata cum anetho melliloto althea camomilla rosis absinthio similiter cū oleo anethino camomillino ros. &c. Si uero ad suppurationē uerteretur, tunc suppurantibus utendum qualis est decoctio passullarum caricarum altheæ maluarum. s. lini fænugræci cum oleo amygdalarū dul. cum pinguedine gallinæ anatis butyro ex quibus paramus cataplasmata &c. Maturata inflammatione tunc uomica uomitu tußi & stertamentis & similibus prouocanda est, deinde abstergenda, si in gibba fuerit parte cum urinam prouocantibus & abstergentibus, qualis est aqua hordei cicerum rub. hydromel hydrosaccharum, &c. Si in concaua cum his quæ per secessum educunt, qualis

est casia serum caprinum tamarindi &c. deinde consolidandum erit siue conglutinandum cum bolo armeno & terra sigillata &c. Quodsi abscessus ad duritiem permutetur quanuis raro curationem admittat, nihilominus cum amollientibus procedemus sicuti cum althea maluis &c.

Loci consentientes de cura inflāmationis hepatis.

Gale. 13. meth. cap. 6. Communis omnium phlegmonarum curationis indicatio est euacuatio, quæ uero adhuc in generatione sunt, in ijs prius euacuatione est influentis in affectū locum sanguinis inhibitio &c. Et cap. 11. eiusdem lib. Quum iecor inflammationem patitur, tum reuellendus tunc educēdus qui ad iecur fluit, sanguis est, interna in dextro cubito insecta uena, propterea q e directo & ampla uia cum uena quæ caua dicitur societatem habet, qua nō apparente media seccāda est q si ea nec se ostēderit reliqua ac tertia incidēda est &c.

B. Ex quibus notare debes q stante uirtutis robore modo κατ᾽ εὐθύ. i. e directo extrahatur sanguis, & si alia atque alia uena seccetur, non multum referre quum singulæ uenæ sibi in euacuatione respondeant.

Auic. 14. tra. 3. cap. xij. phlebotoma igitur in primis & nō hæsites in hoc quum non est prohibiter fortis et extrahe sanguinem abundantē. Et scias q indiges in initio eius eo quod est simile in casu de repercußione et infrigidatione &c. Gal. 13. meth. cap. 16. In iocinoris phlegmone etiam si nihil affluat reprimentibus utendum & reddit binam rationem, primo quia in principio parum est quod affluit, tum magna ex parte non crassum, tum recipientis partis uirtus ualentior, secundo quia nondum in afflicta parte uiolenter impactū est, quum uero phlegmone in suo uigore consistit contrario modo omnia se habent, adest enim multitudo sanguinis crassus ac impactus, tū uirtus partis debilior, ut a se superuacua amolliri nō

poßit. De digestione lege Auic. ibi, medicinæ conuenientes apostematibus hepatis in initio rei quum illic est caliditas superflua sunt aqua endiuiæ & aqua solatri cum sy. acetoso zucharino et aqua hordei arnaglossæ cuscutæ cucumeris cucurbitæ &c. De euacuatione loquitur Gal. 13. meth. cap. 15. ibi, considerandum an gibba uel in caua parte fiat inflammatio, si caua parte purgare per aluum conuenit si in gibba per urinas, lege etiã 14. caput huius ibi expelli e iocinore oportet quicquid in totũ atræ bilis tũ saniei ex phlegmone prouenientis iam collectũ est &c. De regimine resolutionis loquitur etiã Auic. ibi quapropter indiges ut incipias a regimine resolutionis materiei in hac ægritudine plus q̃ sit tua inceptio in reliquis apostematibus, timẽdo lapideitatẽ & duritiem etc. De cibo et potu habes plura ex Gal. 13. meth. c. 14. ibi, Poscit ergo tum iecur ipsum, tũ os meatus qui bilẽ transmittit cibos, & pharmaca quæ obstructa recludãt, qualia sunt nõ lẽta, sed quæ tenui cõsistentia sine qualitate mordẽte, nam a mordentibus phlegmones irritãtur, nõ dulcia quia a dulcibus tũ iecur, tũ liẽ intumescũt, talia igitur erũt, ut in cibis ptisana et in pharmacis oxymel cum aqua mixtũ, punica mala et quæcũq; adstringunt interdicũtur, quum bilis meatus os arctent, & bilẽ ipsam excerni prohibeãt, & phlegmonas ipsas quæ in cauo sunt uisceris irritent magis q̃ in gibbo, nam quum ad gibbum perueniunt iam quæ assumũtur mutata sunt ut sic nec adstringant uel mordeãt etc. Auic in fi. c. cibus aũt melior est chisch hordei infrigidat enim & abstergit et nõ facit acquirere opilationes & festinat eius penetratio, panis nõ ex furmẽto sed ex simila & ex oleribus lactuca, & attriplices, ex fructibus granata dulcia, & cæt.

Obiectio.

Miror mirum in modum mala punica dulcia hic ab Aui. concedi tum quia abstringunt, tum quia ex dulcibus hepar

intumescit & aquam hordeaceam hic concedi & in altero sequenti textu renui, ibi & aqua hordei quamuis abstergat sine mordicatione, tamen est dulcis & dulce facit incurrere opilationes &c. tamen a raze Serapione & Haliabbate cōmendatur, &c.

Responsio.

Gentilis putat Auic. tex. corruptum & loco aquæ hordei legi debere aquæ mellis, uide tu commentatores Auic. & intelliges causam, alterius obiectionis.

Obseruationes in cura inflammationis hepatis.

Marcus cat. de mēte Auic statim inquit succurrendum est huic ægritudini non tantum in iecore, sed in quocunq; mēbro principali alioqui cura esset uana &c. Gal. 13. meth. ca. 8. prohibendum ne tumor augeatur nec suppuretur, cauendo etiam ne ad scirrhū conuertatur, nam facile tumor in duritiem euadit &c. Auic. 14. t. 3. cap. 12. nullis remedijs succurrendum nisi prius factā sit sectio uenæ aut antequā pharmacū non conueniente sectione, sit exhibitū, nam inquit si phlebotomas, & dimittis materiā in hepate & admistras stiptica & apocrustica proculdubio induratur apostema. Caue tamen in exhibendo pharmaco, ne nimirū soluentibus utaris, nam hepar ultra q̄ imbecille reddūt humores etiā commouent ut interdū maiori copia ad locū læsum refluāt, &c. Vitandum insuper ne urinā prouoces morbo in cōcaua parte existente, aut soluas uentrem si in gibba parte tumor fuerit &c. Gal. 13. meth. cap. 12. Quæcunq; iocineri intrinsecus uel extrinsecus applicantur, non sint actu frigidæ, nam ultra q̄ ad locum difficulter penetrarent, meatus etiam cutis occluderent, &c.

Obseruationes de repellentibus & resoluentibus.

Auic. loc. cit. Repellentia sint in stipticitate remissa & nisi tumoris, ut augeat caliditas cum aperientibus & incidentibus misceantur resoluētia citius in iecoris inflammationibus

sunt applicāda quam in cæterorū membrorū tumoribus etc.

Conferentia inflammationi hepatis.

Conferunt inflammationi hepatis agresta attriplex berberis, camphora capillus uen. acetositas citri cucurbita, endiuia, cicoreum, hepatica, lupuli, mercurialis, nymphea portulaca rheub rosa sandali, semperuiua. solatrum spodiū sumach tamarindi uiolæ. Cōposita sunt, confectio de acetosis mes. electuarium de psylio mes. cerotum de sandalis, emplastrum de frumento mes. de semperuiua hali, oleum irinum rosaceum, syr. acetosus de pomis, de portulaca, triasandali nic. triphera persica. troc. de sandalis mes. de spodio de camphora unguentū ros. uiol. hiera siracost mes. papauer cum oleo rosaceo etc.

De pronosticis inflammationis hepatis.

Auic. 14. tra. 3. ca. 1. Et apostema quod est in gibbositate est deterius eo q̄ est in concauitate. Et apostema hepatis siue calidum siue frigidum opilationem facit & non relinquit corpori nisi sanguinem aquosum, & cum hoc debilitat hepar in separando aquositatem quæ si in meseraicis continetur est causa hydropisis carnosæ & asclitis. Item quādo permutatur calidum ex hepate ad splenē est bonum, si uero ex splene ad hepar malū. Et ca. 2. Interdū omnis species apostematū hepatis perducit ad hydropē, & scias quod quū apostemati hepatis assotiatur uentris solutio est mortale, & cap. 16. non euadit aliquis ex apostemate duro quiescente, & confirmato.

Hip. aph. 7. aph. 46. Quorum hepar suppuratur aduritur, si pus purum et albū fluxerit, euadunt, nam in tunica his pus cōtinetur, si uero qualis amurca fluat, pereūt. B. quia si pus album et purū fluat, signū est q̄ ad carnē hepatis usq; corruptio nō pertingit. sed tantū in eius tunica fuisse, si uero ut fex olei fluat tunc declarat substantiam hepatis esse corruptam, ideirco non ab re moriuntur &c. Hipp. aph. 7. aph. 17. In hepatis

inflammationibus singultus malum.B. quia ex magnitudine inflammationis stomachus cõpatitur, unde fit singultus. Hip. aphor.6. aphor.18. V*esica descissa aut cerebro aut corde aut septo transuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis aut iocinore, lethale est &c.*

Authores dissentientes circa morbos hepatis.

1 *Adserere, aquam hordaceam non conuenire in inflammationibus hepatis.*

2 *Adserere, profluuium uentris in apostemate hepatis ex abundanti materia non esse mortale.*

3 *Adserere, nutrimentum uiscosum non nocere hepati.*

4 *Adserere, hepati supercalefacto, cerusam tanquam frigidam esse applicandam.*

5 *Adserere, stipticiora magis conuenire in hepatis apostematibus quam stomachi.*

6 *Adserere, in apostemate hepatis phlebotomiam potius in pede quam in brachio fiendam.*

Confutatio dissentientium circa morbos hepatis.

Ad primum, aqua hordei non solum ab Auic. sed a serapio.4.tract.cap.2.& a rhaze in lib.diuis.& a Gal.13. meth. ut supra, maxime igitur dum commendatur conuenit.

Ad secundum, Auic. quum hepatis apostemati sotiatur fluxus uentris est mortale, & intellexit propter materiæ ex ubcrationem, similiter factus ab imbecillitate hepatis est mortalis ut uolunt Auic. commentatores. Ad tertium, Serapio indiget hepar cibis & potibus & medicinis apertiuis non uiscosis sic subtilibus, non mordicatiuis neq; dulcibus neq; stipticis & ponticis eo q, opilant &c. igitur &c. Ad quartum, respondet. Conciliator differentia 197. quod per se cerusa nocet hepati quamuis cum alijs quæ suam uirtutem introferant poßit interdũ iuuare, sed melius esse cum alijs aromaticis operari,

&c. Ad quintum, respondetur per ea quæ dicta sunt in cura, Nam Auic.13.tra. cap.1. Quoniam ex magis stipticis grande nocumentum resultat eo quod hepar uelocius quam stomachus corrispondet duritiei quænam inducunt stiptica &c. & sic non conferunt magis hepati quam stomacho &c. Ad sextum, Auic.allega.cap. inquit phlebotoma si tibi poßibile est ex basilica, & si non ex nigra et si non ex cephalica eo quod directius hepar respiciunt, & hoc etiam habes ex Galeno in cura igitur magis in brachio quam in pede.

De morbo regio.

Icteritia dicta est ab ictero aue quam nos galbulam siue ficedulam dicimus, de qua facit mentionem Mart. dicens.

Galbula decipitur calamis & retibes ales
Turget adhuc uiridi cum rudis una mero.

Dicta est etiam aurigo a colore auri, uel arquatus morbus a cœlestis arcus colore, aut morbus regius eo quia morbo affectos adparatu regio et ludis lasciuis uti perutile est. Hor. aut mala quem scabies aut morbus regius urget. Est autẽ morbus regius per totum corpus bilis suffusio quæ interdũ nigra interdum flaua est ex qua color citrinus uel niger apparet &c.

Loci consentientes de morbo regio.

Plin. Icteris aris a colore uocatur, quæ si spectetur ab icterico, sanari id malum tradunt & auem mori. De deductione horum nominum lege fusius cor.cel. & Aet.ser.10.cap.17. et neotericos omnes. Gale.lib.finit.med. aurigo seu morbus regius arquatus ue est bilis refusio in cutem quo fit ut superficies tingatur luteaq; fiat & uitietur cutis, &c.

Auic. decimaquinta tertij, cap.3. Icteritia est coloris corporis fœda alteratio ad citrinitatem uel nigredinem tendẽs ob cursum humoris citrini & nigri ad cutem sine putrefactione &c. B. similis definitio legitur etiam penes concil. dif. 78.

adiungit tamẽ Auic sine putrefactione, quia reuera dum bilis putresceret nõ icteritiam tantum sed febrem tertianam produceret. Vide Aet. serm. 10. cap. 17. & Paul. lib. 3. cap. 50.

De causis morbi regij.

Causæ si extrinsecæ fuerint tres erũt scilicet uirus alicuius animalis, assumptio ciborũ icteritiam efficientiũ uel bilem generantium & obstruentiũ, et nimius labor in sole calido. Intrinsecæ uel fiũt ab hepate uel ab alijs membris. Si ab hepate uel erit mala intemperies calida uel frigida cum abscessu uel sine abscessu, aut obstructio aut facultatis attractoriæ uel secernentis imbecillitas. Si a splene tunc in causa est apostema, uel obstructio uel mala complexio uel eius facultatis imbecillitas, & sic de alijs membris intelligito. Interdum fit per morborum iudicationes, &c.

Loci consentientes de causis morbi regij.

Gal. 5. de loc. aff. cap. ult. Morbus regius nonnunquam fieri solet iocinore nequaquam affecto per morbi iudicationẽ. Interdum citra morbi iudicationem dum sanguis extranea quadam corruptione in bilẽ uertitur, qualis ferarũ morsu fieri solet, aut assumpto ueneno. Interdũ fit ab obstructione, aut ab inflammatione, aut a scirrho iocinoris, aut citra hæc ab ipsa tantum iocinoris intemperie præter naturã mutata, aut a iocinore suo munere non fungente, aut ob splenis uitia. Interdũ ab attractricis foliculi fel continentis imbecillitate, aut quia folliculus est obstructus aut quia eius facultas secretiora est imbecillior. Interdum fit etiam ab obstructis aut infirmis uasis quæ ab ipso exorta, ora sua in hepar extendunt &c. Auic. 15. cap. 3. ibi, icteritia citrina aut fit multitudine generationis choleræ citrinæ aut propter euacuationis eius prohibitionem & multitudo eius generatur ab hepate propter causas calefacientes aut propter apostemata in hepate et in meatu choleræ

aut propter opilationem retinentē choleram in felle aut propter caliditatē complexionis choleræ &c. lege fusius & tam intrinsecas quam extrinsecas causas icteritiæ intelliges. Vide & Gordonium & Arcul. in proprio cap.

Gal. apho. 4. com. 62. Tres sunt affectus quibus morbus regius solet aduenire, tumor durus, inflammatio, & obstructio. B. Nam dū sanguis expurgatur et bilis a uenis ad meatus bilē recipiētes transfertur, si triū alterū adfuerit, necesse est sanguinem nō expurgari, sed una cū ipso bilem per totū corpus differri, unde morbus regius oritur. Vide Pau. li. 3. c. 50. et Au. de opilationibus hepatis ibi materia q̄ generat opilationem aut est humor opilās pp suam crassitiē, etc. lege eū fusius. etc.

De signis morbi regij.

Signa communia sunt pigrities & tumor ad motum grauans dulceis cibos auersantur, rarijs imaginibus uexātur pruritus totius corporis adest, difficulter exudant, Alba oculorū & faciei tempora & malæ pallorem demonstrant, &c.

Signa malæ hepatis temperaturæ per ea quæ de imbecillitate hepatis diximus satis nota erunt, similiter & abscessus signa per ea quæ retulimus de inflammatione hepatis &c.

Signa opilationis sunt grauitas dolorq; sub dextra parte, nullo tumore uel urgēte febre percepta, Itē si egestio flaua nō egrediatur sed alba. Signa imbecillitatis expulsoriæ facultatis sunt si ruina nullo colore infecta excernatur, etiā si nulla grauitas percipiatur, Cognoscitur ēt ex attractoria facultate fieri, si nausea uomitus, Amaritudo oris, nullo apparēte in iecore grauitatis sēsu adfuerit et flauus color paulatine et nō subitus fiat. Signa ueneni erūt, si nulla prius existēte humorū malitia, sed ex homine sano, statim icterus euadat, Nam absq; mora, uirus per totum corpus diffunditur, Signa sumpta a crisi sunt, si febres præcesserūt acutæ, & alia quæ crisim indicare

solent, Signa q. per consensum totius corporis fiat erunt ex febribus quæ tenues sanguinis partes in bilem commutant, Signa q. fiat a chisti felle sunt q. accidit subito, & egestio est alba, adest amaritudo oris & sitis & si porrus qui uadit ad stomachum est opilatus tunc urina est colorata spissa crocea ægestio tincta crocea &c.

Signa q. ex splene fiat, sunt durities splenis grauitas & icteritia potius nigra quam flaua &c.

Loci consentientes de signis morbi regij.

Aet. ser. 10. ca. 17. Cõmuniter omnibus ictericis adest pigrities & tumor ad motum grauans &c. Gal. 5. de loc. aff. ca. ult. si per morbi Indicium icterus fiat, Indicium erit q. excremẽta & urinæ secundum naturam se habebũt. Si sanguis externa corruptione in bilem uertatur, Indicium erit totius corporis prasinus siue porraceus color, Si ab obstructione folliculi felis fiat, signum erit q. citra febrem morbus regius accidit Vrgetq; in dextra præcordiorum parte grauitatis quidã sensus, Si uero ab inflammatione uel alio abscessu, tunc febris aderit cum biliosis deiectionibus & in dextra præcordiorũ parte dolor, Si ab intemperie hepatis humorum corruptio contingat, tunc totum corpus herbis candenti pallore infectis aßimilatur, interdum plumbeum aut magis fuscum colorem refert, Si ob splenis uitium tunc colores ueniũt multo nigriores quam ab hepate &c. Lege de his. 9. de compos. med. per loc. cap. 1. B. Nota tamen q. uelle ex colore tantum affectã sedem diuinare est malum ut Gale. refert. 5. de loc. aff. cap. cit. de Ctesiano exemplum afferens &c. Lege etiam Aui. 15. Tra. 1. ca. de signis icteritiæ citrina nam omnia illa nuper a me recitata Signa habet quæ tu latius uidere poteris s.n. omnia in unum cõgerere longe a negotio res librum excederet, Vide de his Arcul. & Gord. Paul. & cæteros practicantes. Similiter de

icteritia nigra lege Gale.6. de loc.aff. cap. de affectibus lienis & Aet.ser.10.cap.17. Vide etiam Auic.de signis opilationis hepatis,ibi,signa opilationis sunt &c.

De cura morbi regij.

Morbus regius Indicatorie ex febribus perfecte solutis eueniens,uisibilis ad cutem translata,sit multũ crassa balneis uel rebus discussorijs facile curabitur, quale est balneum ex aqua dulci,uel ablutio oculorum & totius corporis cum aceto albo calido et succo citri in quo bullierint flores camomillæ &c. Verum si crassa fuerit imprimis extenuantibus uti oportet deinde discussorijs. Si a causis primitiuis fiat Aurigo,tunc singulæ remoueatur,ut si morsus uiperarũ sit in causa.1.curetur ad externas partes uirus deducendo & membra principalia tuendo, Si causæ sint per consensum a toto ut in febribus, remoueatur febris cũ euacuatione sectione uenæ et soluentibus pharmacis,deinde infrigidantibus,ne sua caliditate sanguis in bilem conuertatur Si uero fuerit caliditas hepatis uel alterius membri, remoue per infrigidantia, cauendo obstructionem & membra demum roborando.

Cura Arquati ex multitudine bilis quatuor habet intentiones prima est euacuatio,ne dum superfluit bilis ipsa suæ multiplicationis sit causa, quæ fieri interdum debet cum sectione uenæ interdum cum pharmaco ut casia mãna Rheubarbaro, electuario de suc.Ros.mes.Diaprunis sol. &c.secunda est humoris præparatio et fit cũ acetoso simp.syr. de endiuia,uiol. de cicorea,de suc.acetosæ de Agresta,de limonibus de acetos. citri cum aquis & decoctis similibus. tertia intentio est discrasiæ membri derelictæ remotio unde in causa calida conuenit tale Epithema,Recipe Aquæ endiuiæ li.1. ros.un.ij. sandalorum spodij ana. drac.1.aceti un.1.spicæ scrup.1.Misc.& cum syndone applicetur hepati uel fiat ceratum sandalinum.Ele=

ctuaria sunt tria sandali diarhodon. Troc. de camphora. quarta intentio erit sex rerum non naturalium ad frigidum et humidum declinantium, de quibus satis alias diximus etc. Cura icteritiæ ex obstructione quatuor etiã intentiones requirit, prima humoris obstruentis incisio extenuatio atq; reseratio & fit cum syr. bisantino cum aceto, de duabus rad. rhodomelle oxymelle syru. de eupatorio de cicorea &c. cum aquis fœniculi Apij cuscutæ & eupatorij, Consulerẽ tamen in hoc ut prius stomachus cum caßia uel pillulis aleophanginis purgaretur antequam ista exhibeantur. secunda erit euacuatio quæ perficitur cum ijs quæ bilem crassam & pituitæ admixtã purgant ut puta cum rheub. Agarico Diaphinicone Diaturbit & enemate acri quod ad intestina superiora pertingeret tertia intentio est palliditatis uel fœdi coloris ablatio et occlusarũ uiarum apertio, & fit cum rebus aperientibus & urinã prolicientibus, ut cum decocto Apij fœniculi Asparagi brusci petroselini aqua rhaphani, uel decocto marubij prasij cicerum rub. absinthij Centauri minoris cuscutæ uel cum infusione cartami in lacte moræ Auic. uel cum dialacca Diacurcuma diacalamento tro. de rheub. de eupatorio etc. quarta intentio sit circa regimen quod calidum & aperiens, & extenuans instituatur. Curatur Aurigo si a facultatum siue Iecoris siue folliculi fel continentis imbecillitate fiat, prout de hepatis imbecillitate iam dictum est, &c.

Loci consentientes de cura morbi regij.

Gal. 9. de compos. med. per loc. cap. 1. Icterici qui ratione Indicationis febrium fiunt, curantur balneis aquarum potabilium, & olei discussorij affrictu, omniumq; rare facientiũ cutem, quale Anethinũ oleum et chamemillum, Qui uero regiũ morbum ex obturatione incurrunt. per omnia quæcunq; strenue extergẽt, etiam si medicamentariam substantiam habeãt, & calidæ

& calidæ sint facultatis, curantur. Conueniunt ictericis ex inflammatione hepatis quæcunq; inflammationes sanant. Si uero inflammatio & obturatio simul conincidant, laxantibus simulq; extergentibus opus erit, fugienda tamen quæcunq; medicamentariæ substantiæ & calidæ facultatis existunt &c. Auic. 15. trac. 1. cap. 6. scias quod intentio in curatione ictericiæ ad duas res tendit, quarum una est ut remoueatur icteritia cum eo quod resoluit ipsam a cute et ab oculo cum medicinis lauatiuis & solutione educentibus materiam facientem icteritiam, Secunda uertitur ad causam & abscindit eam, & est aut rectificatio complexionis, aut confortatio uirtutis, aut regimen apostematis, aut apertio apostematis, aut apertio opilationis, aut euacuatio per phlebotomiam basilicæ &c. Aet. ser. 10. cap. 18. secatur uena quibus copia sanguinis una cum bile in toto corpore abundat, aut quibus dolor uel distensio circa præcordia fuerit. Et de purgatione loquens dixit. Quare in principio purgare non oportet priusquã per deopilantia bilis attenuetur, Nanq; mali causam purgationes in principio datæ præbuerunt &c. Gal. 5. de loc. aff. cap. ult. Quibus morbus regius citra febrem accidit, urgente in dextra præcordiorum parte grauitatis cuiusdam sensu, ijs omnibus obstructiones aperiens & cibis & potibus & medicamẽtis extenuantibus, deinde medicamentum quod bilem ducere possit exhibens eorũ plurimos una die sanitati restituimus &c. Lege de his oĩbus intentionibus Arc. Gor. Mar. cat. et cæteros practicãtes. De cibo & potu, et de alijs sex rebus nõ naturalibus, lege Aui. 15. c. 6. ibi & cibus quidẽ ictericorum et c. 7. ibi, cibi in oĩbus illis sint cibi leues, uide eũ fusius, uide et alios su prascriptos authores.

Obseruationes in cura.

Auic. 15. cap. 6. omnes qui habent ictericiam ex causa calida deuitent iram & motum primum & balneum &c.

Conferentia morbo regio.

Conferunt icteritiæ Absinthium cum apio uel adiantho, Acetosa, Acorus Aphodillus, Agaricum, Aloes, Alchechengi Assarum, Attriplex, Berbena Betonica, ciclamen. calamẽtum, chamedrys, chamepitis, Camomilla Casia siliqua, Centaurium, cartamum, curcuma, cuscutæ, Elleborus Endiuia, Eupatorium, Epatica, fæniculus lactuca asini, lumbrici, lupulus, Marubium, Menta Multipedes aseliue Nepita, origanus, Peonia perdix peucedanum, aqua raphani, Rheubarbarum, Rosmarinus, Rubea tinctorum, aqua salicis, sulphur cum ouo, Scariola, scolopendria sine citrach, stercus asini pulli bibitum, Tamarindi Tamariscus, Vrina, Vrtica, hissopus, Composita sunt, confectio de rauedseni de eupatorio mes. Decoctum fumiterræ et coltulæ Diarhodon nic. electuarium de psylio, Rosatum mes. Diaphinicon, oleum de cartamo de absintthio, syrup. bisantinus de fumoterræ de Absinthio, de cicorea cum rheub. Oxymel scilliticum Sotira nicolai, Theriaca, Triasandali, Triphera persica mes. Triphera saracenica nic. Tro. de rheu. de rosis de eupatorio de camphora uinum scilliticum pilulæ inde de fumoterræ &c.

De pronosticis morbi regij.

Hip. apho. 4. apho. 62. Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum acciderit, malum, Et apho. 64. eiusdem lib. Quibus in febribus morbus regius septimo uel nono uel undecimo uel quarto decimo superuenerit, bonum, nisi dextrum hypocondrium obduruerit, si uero non, bonum. B. Morbum regium in febribus accidere ante septimum, malum ex eo est, quia uel ab inflammatione uel a duro hepatis tumore uel ab ipsa obstructione oriri indicat, post septimum uero, bonum, nisi ex dictis quispiam affectus hepati acciderit. Vide tamen pro apho. isto hip. 4. deuic. in morbo ac. com. 81. Hip.

aphor.6.apho.42. Morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum, Malum est. Et apho.5. Qui morbo regio laborant non admodum uentosi sunt, B. quum nec uentris imbecillitate nec pituitoso humore a quibus fieri solet ipse, flatus, icterici laborant, idcirco flatuosi non esse possunt.

Auic.15.cap.de ict. In omni opilatione in meatu hepatis ad fel, aut in meatu fellis ad intestina quæ est ex incarnatione, aut porro non speratur sanitas. Et in eo qui habet icteritiam frigidam qui non curatur nec resoluitur eius materia est timor, Et pluribus eorum associatur mors subita. Et quando multiplicatur remanentia urinæ albæ cum ictericia, aut parum tinctæ est deterius & magis timendum ne cadat habens eam in hydropem, Et ad summum dum non remouetur apostema & rectificatur dispositio, nõ habeas spem in curatione ipsius icteritiæ &c.

Authores dissentientes circa morbum regium.

1 Adserere, icteritiam ante septimum apparentem semper esse malum indicium.

2 Adserere icteritiam post septimum apparentem absque tumore hepatis esse bonum signum simpliciter.

Confutatio dissentientium circa morbum regium.

Ad primum. Respondetur esse uerum, nisi icteritia cum alia euacuatione coniungatur utputa cum sudore uel uentris fluxu nam tunc est bona & hoc uoluit Gale. in fine commen. 62.4.apho. Ad secundum. Respondetur q; icteritia proueniens in 7.9.& 11. non est iudicanda bona nisi materiæ concoctio præcesserit & hoc uoluit Auic. Vbi de signis icteritiæ determinat unde inquit si icteritia accidat in septimo aut nono, cum signis laudabilibus sine hepatis læsione tunc erit bona, si minus neutiquam. Igitur non simpliciter bona &c.

De splenis affectibus.

Scias quod omnia morborum genera huic membro accidere possunt, sicuti Intemperies calida frigida humida sicca, siue nuda siue cum aliquali materia qualis est imbecillitas splenis aut mala compositio aut obstructio quæ nihil aliud est quam morbus in uijs lienis prohibens naturalium aut superfluarũ humiditatum transitum quæ per ipsum transire naturaliter consueuerunt, aut solutio continui qualis est dolor qui est splenis quædam tristis sensatio non per carnem ipsam splenis sed potius per paniculum eam contegentẽ facta, Hinc etiã abscessus plures enumerãtur species ut dura mollis biliosa sãguinea.

Loci consentientes de splenis affectibus.

Auic. 15. tra. 2. cap. 1. spleni accidunt omnes species ægritudinum, quæ sunt mala complexio compositio sicuti opilationes & solutio continuitatis & similia, & apostemata cum speciebus suis &c. Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. Quum itaque splen multa habeat accidentia cum hepate communia, illa nulla re differre uidentur nisi quod quædam magis quædam uero minus alterutri euenire solet &c. Lege de alijs Arcul.

De causis affectuum lienis.

Causæ imbecillitatis splenis est ipsa intẽperies calida frig. humi sicca &c. Causæ obstructionis sunt uel cibi craßi et atrabilarij, aut aliquod apostema uel flatus craßi obstruentes, Causæ doloris est soluta continuitas siue a mala intemperie, siue ab apostemate siue a flatu crasso facta. Causæ apostematum splenis procatarcticæ sunt aer crassus uinum crassum & cibi atrabilares. Causæ antecedentes & coniunctæ nonnullæ per se existunt, aliæ per consensum, per se sunt uel expultricis imbecillitas uel attractoriæ fortitudo aut alteratricis debilitas, aut obstructio illius uenæ per quam atrabilis ad os stomachi defertur, Materia uero efficiens apostema uel est san-

guis niger, uel alij humores quamuis raro pituita. Per consen sum sunt totius ut in febribus uel partis, ut in hepatis intemperie aut in uteri menstrua retinentis, &c.

Loci consentientes de causis affectuum lienis.

Quod intẽperies sit causa imbecillitatis lege Gal. 5. de loc. aff. cap. ult. ibi omnium facultatum essentia &c. & .6. de simpt. cau. cap. 2. Auic. 15. Tr. 2. ca. 9. opilatio quandoq; fit ex uentositate quandoq; ex apostemate & ab humoribus secundum quod sciuisti &c. Gal 9. de compos. med per loc. cap. 2. splen. a natura celerrime indurari solet sanguine nimirum in uenis obturato, & ob craßitiem, neq; excerni neq; discuti facile potente Auic. 15. cap. 13. Dolor splenus aut fit propter uentositatem & inflationem aut propter apostema magnum aut propter solutionem continuitatis aut propter malitiam complexionis &c. De causis apostematum lege fusius Arcul. 9. almans. Alexan. lib. 3. cap. 25. oboriuntur in liene non raro ut dictum est inflammationes quarum uniuscuiusq; singuli humores possunt existere causæ ut sanguis bilis etc. Similiter Auic. loc. cit. ubi inquit sed phlegmaticum accidit raro, Lege neotericos omnes præsertim Arcul. & Gord.

De signis affectuum lienis.

Signa temperaturæ calidæ sunt sitis inflatio lienis, corruptio attractoriæ facultatis, Signa frigidæ sunt, casus appetitus, fastidiosa facietas, Rugitus ac ructus copia imbecillitasq; attractoriæ facultatis, Signa siccæ sunt durities corporis imbecillitas, craßities sanguinis, & color nigerrimus, Signa humidæ sunt, corporis mollities nigredo ad albedinem decliuis, & cæt. Signa obstructionis sunt grauitas lateris sinistri, distentio & dolor, nec adsunt signa alicuius abscessus. Signa attractoriæ facultatis sunt totius corporis ex sanguine impuro nigrities & obstructio, Signa retentricis

affectæ sunt, uomitus sine febre uel alia occasione. Signa Inflammationum lienis cognoscimus ex dolore feruore distentione febre & ex eo q, ad tumidam duritiem quæ scirrhus dicitur Paulo post desinit, ijs etiam os fætet gingiuæ exeduntur ulcera in cruribus cicatricem non recipiunt, deinde affecto Iecore hydropici fiunt &c.

Loci consentientes de signis affectuum lienis.

Auic. 15. Trac. 2. cap. 2. calidam significant complexionem sitis & inflatio in sinistro & corruptio uirtutis attractiuæ, Frigidam significant debilitas attractiones & casus appetitus & iteratio fastidiosæ sacietatis &c. lege eum ulterius, De signis obstructionis lege Paul. lib. 3. ca. 49. ibi. At si lienem grauatas & distentio & etiam dolor exerceat, meatus obstructio ostenditur &c. De signis facultatum lienis loquitur Gale. 6. de loc. aff. cap 1. ibi, si alteratrix facultas imbecillis sit sanguis ex iecore in uniuersum corpus impurus transmittitur, quo circa color nigrior euadit, Si uomitione uero sanguis melancholicus excernatur qui per inferiora interdum decedere uidetur, Indicium est q, retentrix facultas imbecillis sit, At si euacuatione suppressa mæstitia melancholica superueniat & cibi auidissime concupiscantur acida maxime existente quæ ad uentriculum transfertur melancholia, expultricem laborare Indicium est.

De signis apostematum lienis loquitur Paul. loc. cit. ibi Inflammationis notæ sunt feruor dolor distentio & Paulo post in duritiem occalescit, hoc presis uitio os fætet, gingiuæ exeduntur &c. B. quur gingiuæ corrodantur ratio est quia uaporis corruptio ad partes gingiuarum ascendens eas exedit. Lege de his Aui. de signis apostematum splenis, ibi, communicant apostemata splenis in grauedine magnitudine &c. Lege etiam Alexan. tral. lib. 3 cap. 25. Item Arcul. & Gord.

De cura affectuum splenis.

Cura complexionis simplicis est alteratio & regimen contrarium ita ut causa remoueatur, Si uero fuerit mala intenperies calida cum humoribus tunc tres opus erunt intentiones prima alteratio sine humoris digestio quæ fit cum syrup acetoso simp syru.uiol de endiuia de fumoterræ de lupulis cum aquis endiuiæ fumiterræ lupulorum cicorij &c. secunda erit euacuatio quæ fit cum rheubarbaro, manna casia pillulis Aureis aggregatiuis electuario de suc ros. &c. tertia est resolutio debilis cum roboratione membri, ita ut mala intemperies remoueatur & fit cum zucharo ros. uiol. triasandalis Diarhodone uel per ea quæ extrinsecus adhibentur inungendo cum oleo rosaceo uiolaceo &c. Temperies uero frigida curatur cum his quæ humorem pituitosum præparant quale est oxymel simp. & compos. scilliticumque rhodomel syrup. de duabus rad bisantinus, Euacuatio cum agarico, hiera Gale. diaphinicone &c. Remouetur mala intemperies derelicta cum electuario diamusc. dul. de baccis lauri, ungendo extrinsecus cum oleo de spica de ruta de capparibus &c. Cura materiæ uentosæ similiter digeritur euacuatur ac resoluitur, & pro resolutione conueniunt, diaciminum Diatrionpipereon Thyriaca. Extrinsecus resoluunt fotus ex anetho ruta pulegio calamento. s. anisorum cimini fœniculi, similiter oleum rutaceum de capparibus &c. Cura inflammationum quatenus ad causam antecedentem attinet, euacuatione & reuulsione indiget, quatenus uero ad causam coniunctam tunc sicuti in alijs abscessibus in primis repellendum, in morbi incremento repellentibus cum aliquali resolutione utendum, In statu et declinatione resoluendum nisi abscessus in suppurationem uertatur, quia tunc suppurantia opus sunt, Euacuatio igitur in causa antecedente, si humoris

copia cum sanguine abūdet tum uena cōmuni, tum ab ea quæ inter anularem & minimun digitum collocatur sectio fieri debet uel retentis menstruis uel hæmorrhoidibus a uena in talo pedis, Euacuantur alij humores præparata prius cum coctione eorum materia per ea quæ millies dicta sunt. Reuulsio fiet cum enemate splen respiciente aut hæmorrhoidarum & menstruorum prouocatione &c Cura apostematis duri tres similiter requirit intentiones, prima præparatio humorum cum syrup. de epithimo fumoterræ oxymelle &c. secūda euacuatio quæ fit cum cōfectione Hamech casia Myrobalanis indis epithimo &c. pilulis indis de fumoterræ de lapide lazuli &c. tertia est mollificatio & resolutio quæ perficitur cum unguentis ceratis cataplasmate fotu &c. de quibus plura habes iuxta Arcul. & Gord. Cura facultatum affectarū his met remedijs perficitur si modo quidpiam austerum adiungātur, &c. Cura doloris est ut eius causa remoueatur, quæ si fuerit mala intemperies calid. frig. per contraria remouebis, si flatuosa materia curam habuisti, si ex inflammatione cura earum cura & utere anodinis prout alias in alijs doloribus dictum est, Cura obstructionis splenis fit perinde ac de icteritia dictum est, &c.

Loci consentientes de cura affectuum splenis.

Gal. 13. meth. cap. 2. Vbi lien phlegmone inuadit, in sinistra manu secanda est uena, siquidem quod euacuandum sit, cōmunis est indicatio Et. 9. de comp. med. per loc. cap. 2. deinde attenuantibus opus est pharmacis citra manifestam caliditatē, ut ne uehemēter incrassescat succus crassus in ipso obturatus, Quo uero actiones ipse conseruentur ex austeris aliquid his admiscetur quale etiam adstringentium genus, ea gratia igitur amara ualde medicamenta ipsi offerimus, & quædam ex austeris ipsis admiscemus, Et. 13. meth. cap. 16. Quotiens ob=

ſtructio quæ in eum incidit aut phlegmone potiſſimũ ad ſcirrhum perueniunt, tum ea quæ obſtructiones eximant, tumq; diſſecent ualentiora exigit. Nam quale medicamentum Iecori eſt abſinthium, tale eſt lieni capparis cortex & quale eſt iecori eupatorium tale eſt ſpleni ſcolopendrium &c. Alex. lib. 3. cap. 23. calidiori & ſiccæ lienis intemperaturæ cõtrarij medicamentorum auxilijs frigorificis & humectantibus ſubueniendum eſt, frigidæ uero & humidæ calorificis, & arefacientibus præſidijs ſuccurrere expedit, &c. lege eum fuſius nam, ibi, plura ad curam facientia intelliges, & demum omne genus eduliorum in morbis ſplenis congruentium, etiam percipies, Lege inſuper Arcul. Mar. cat. & Pau. lib. 3. ca. 49. & Auic. 15. Tract. 2. cap. de cura ſplen. Item Aet. & Gord. et omnia a me recitata intelliges.

Obſeruationes in cura ſplenis.

Gale. 13. meth. cap. 16. Valentiora tanto magis lieni congruunt quanto craſſiori utitur alimento &c.

Auic. 15. tra. 2. cap. 3. eſt proxima curationibus hepatis & indiget ut ſint medicinæ fortiores & penetrabiliores, penetrare uero faciunt ea quæ obſeruant uirtutem ſuper eos quouſque perficiunt operationes ſuas, &c.

Obſeruationes de phlebotomia.

Auic. loc. cit. cap. 5. Et phlebotomia plurima apoſtemat ſplenem euacuando ſubtile, & remanendo craſſum, idcirco Razes dixit non multum referre de uena ſecanda, dummodo uulnus illatum longe pateat.

Obſeruationes circa localia in cura ſplenis.

Auic. loc. cit. cap. 6. Applicanda in curatione, ſeruẽt latus ſtipticitatis, ſed cum cautella calefactionis uehementis, ne materia ad craſſitiem et duritiem feſtinet, nam ambo uiſcera ad duritiem opportuna ſunt, ſed miſceantur cum eis medicinæ,

in quibus ſit inciſio aliqua cum caliditate æquali. Et cap.7. & ſcias q̃ res calidæ ualde nõ ſunt multum conuenientes ſpleni propterea q̃ indurant & exiccant & prohibent a reſolutione &c. Itidem fatetur Paul. & Gale.

Obſeruatio circa medicamenta.

Gale.13.meth. cap.17. Sane duplex ratio eſt eius medicamentorum uſus quum partes ſuperiores poſitæ laborant per ea quæ eduntur & bibuntur, inferiores per id quod fit per clyſterem infuſum &c. Paul.lib.3. cap.49. cibus competit tenuis acris ſiccus potio pauciſſima.

Auice.15.tra.2. cap.7. omne lac præter lac camelarum eſt malum ſpleni. Et in adminiſtratione ciborum melius eſt ut adminiſtrentur ante eos balneationes longe deinde aſſumat inciſiua ſubtiliatiua & facientia ſitim & ſumat in potu uinum mixtum cum aqua marina & ſubtili & regimen per tres dies. Lege Gal.13. meth.cap.17. ibi ſcirrho laborantibus conuenientia medicamenta &c. lege etiam Alex.tra. lib.3.ca. 23. nam fuſiſſime de omnibus cibis ibi pertractat &c.

Nocentia ſpleni.

Nocent ſpleni, lagana, bouinæ carnes, dactili, ficus, lac, lentes, uinum dulce craſſum nouum, aqua cruda frigida, omnia unctuoſa, legumina, olera, caſeus antiquus ſalitus, aues aquaticæ omnes fructus aquoſi omne ſplen, & omnis aer craſſus paludoſus autumnalis &c.

Conferentia ſpleni.

Conferunt ſplenis affectibus frigidis, abſinthium, acorus, agaricus apium ammoniacum, agrimonium, aſſarum, ariſtologia betonica camedrys capparis, caules, cyclamẽ, cyperus, coſtus, ebulus hedera helleborus epithimum lapatium, lapis lazuli, lapis armenus, lentiſcus, lilium, mel, menta mercurialis, naſturtium, nux moſch. oua origanum, paſſula, paſtinaca,

peonia politricum, pulegium, praßium, pulmo uulpis raphanus, ruta, radix capparorum, radix geneſtræ, ſaluia ſandaraca ſena ſerpillum, ſtechas ſcolopendrium ſpica ſquilla tamariſcus urina hominis, urtica, hiſſopus, iris uinum extinctionis auri &c. Compoſita calida ſunt diacurcuma diatrionpipereon ſyro. de calamēto de ſtæchados de abſinthio de fumoterræ. troc. de abſinthio de capparibus, hiera &c. Frigida ſunt ſimpl. acetū ſcilliticū aqua calibeata bleta, corallus, cornucerui uſtū, lactuca aſini morus mirobalani oēs uitis uiola &c.

De pronoſticis affectum ſpleni.

Auic. 15. tra. 2. ca 4. ſi ſpleneticus inuenit dolorem interiorem eſt magis ſaluus quia in ipſo adhuc ſperatur ſenſus, 2. Quando accidit fluxus uentris cum ſanguine eſt melius quia ſperatur cum ipſo reſolutio materiei ſplenis, ſi autem perſeuerauerit aduenit ei lubricitas hydropica & morietur. 3. Qui catharrhum habet non ei accidit ſplen. B. quia humiditatis copia, humidam intemperiem arguit, ex qua raro atrabilis contingere ſolet. 4. Qui habet dolorem in ſplene ſuo, et currit ex eo ſanguis rubeus, & apparent in corpore eius ulcera alba non lædentia morietur in die ſecundo & ſi non cadit appetitus. 5. Quandoq; terminantur apoſtemata ſplenis fluxu ſanguinis narium, & proprie ex latere ſiniſtro, & apoſtematibus apud aures difficilis ſuppurationis, & apertionis propter großitiem materiei. 6. Et laudabilior urina eorum eſt craſſa ſanguinea, & urina in qua eſt fex uiſcoſa, quandoq; ſignificat ſanitatem ſplenis & deſtructionem eius. Vltimo inquit apoſtemata ſplenis conuerti ad iecur, malum econtra uero bonum. Hip. aphor. 6. aphor. 43. Quicunq; lienoſi difficultate inteſtinorum capiuntur, ijs ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum aqua intercutis aut leuitas inteſtinorum aduenit & moriuntur. Et aphor. 6. aph 48 lienoſis difficul-

tas intestinorum superueniens, bonum. Lege etiam de hac re aphor. 22. tertij lib. ibi autumno uero &c. lege etiam Arcul.

Authores dissentientes circa morbos splenis.

1 *Adserere, materiam in splene posse educi conuenienter per uias urinæ.*

2 *Adserere, omne genus lactis in splenis duritie conferre.*

Confutatio dissentientium circa morbos splenis.

Ad primum impugnat Gal. 13. meth. cap. 17. ubi inquit gibbum hepatis expurgari per renes sed lien per intestina, quū per renes euacuari, nulla lieni uacuando uia pateat.

Ad secundum respondetur quod lac ex eo q̃ obstructionē inducit nequaquam conceditur, uerum quum lac camelarum a proprietate lieni conferat idcirco laudatur ab Auic. et hāc ob causam non omne genus lactis conceditur &c.

De malo habitu.

Malus habitus quem Græci καχεξίαν*, dicunt, est præuia quædam ad hydropem dispositio ex mala hepatis concoctione proueniens, &c.*

Loci consentientes de malo habitu.

Paul. lib. 3. cap. 47. Principia aquarum cutem subeuntium uocare græci καχεξίαν *latini malum corporis habitum consueuerunt. Aet. ser. 10. cap 19. Quum corporis habitus in aquositatem diffunditur* καχεξία *a græcis appellatur. Auic. 14. tra. 2. cap. 3. Quum corrumpitur digestio hepatis et communicat uper ipsum debilitas, in primis accidit dispositio ad hydropem antecedens & uocatur chachexia &c.*

De causis mali habitus.

Causæ ipsius chachesiæ sunt longitudo alicuius morbi, duri ties splenis uel hepatis, consuetarum excretionum prohibitio, deprauata hepatis siue stomachi alteratio quæ si omnino corrumpatur non amplius cachexiam, sed aliquam hydro=

pis ſpeciem efficiet, deni ꝗ; quæcunq; cauſæ hydropis eſſe poſ=ſunt, dum leues exiſtant, omnino cachexiam inducunt, &c.

Loci conſentientes de cauſis mali habitus.

Aet. ſermone decimo, cap. decimonono. Hæc affectio ut plurimum ex longo morbo congregatur, aut ex uiſcere quo=piam in ſcirrhum indurato, maxime hepate ſplene, aut a con ſueta & cohibita excretione aliqua. Auicen. 14. tract. 4. cap. tertio fit a corruptione digeſtionis uel ab hepatis imbecilli=tate, & quandoque accidit propter congregationem aquæ in pulmone, &c. B. hanc met ſententiam habes ex ipſo cap. de ſignis peripneumoniæ ibi, & quando prolungatur tem=pus cum peripneumonia facit incurrere ægrum in inflam=mationem pedum, &c.

De ſignis mali habitus.

Primum corpus albicat uel flaueſcit ob totius malam intē periem, concoctiones impediuntur ob hepatis uel uentriculi imbecillitatem, remanet tamen ciborum appetentia a frigido elicita, deinde faſtidium & effectus animi accidit ob ueneno ſam materiam ad cor exhalantem, reſpiratio rara ob conſen ſum pulmonis uel diaphragmatis, extrema corporis inflan=tur, præſertim ſi anaſarcham chachexia præcedat. Vrina & ſudor paucus ob aquoſam humiditatem retentam, quæ per conſueta loca expurgari nequit, teſticuli inflantur, dummodo aſciten cachexia præceſſerit, ulcera adſunt incurabilia ob ſan guinis ſinceri deffectum &c.

Loci conſentientes de ſignis mali habitus.

Aet. ſer. 10. cap. 19. In hac affectione uniuerſa corporis mi=ſcella laxior fit ac emolleſcit, corpusq; totū cum uirore albi=cat, ac inualidū eſt, nā inter eundū crura uacillāt, cōcoctiones in primis, manēte etiā appetitu, impediūtur faſtidiū accidit,

respiratio fit rara ac debilis quæ motibus ac actionibus condensatur. Lege Auice. loc. cit. cap. 3. ibi, in primis permutatur color corporis & faciei ad albedinem & citrinitatē, & apparet inflatio in palpebris & facie & extremitatibus manuum ac pedum &c. & intelliges cætera a me dicta &c.

De cura mali habitus.

Cura requirit quatuor intentiones. Prima erit circa regimen ita ut æger in cibo & potu parcus sit, non comedat ad satietatem, nec nisi celebrata digestione sitire ac famescere in hoc casu utile, fugienda est ciborum multiplicitas aqua interdicatur, nisi alia cogeret necessitas. Cibaria igitur in hoc casu sint calida tenuia & exiccantia præsertim in causa frigida, in calida uero econuerso. Secunda, est euacuatio unde si a menstruis uel hemorrhoidibus suppressis morbus proueniat uel ab alia excretione prohibita, fiat sectio uenæ, si uero a uitiatis humoribus, tunc purgatio ex hiera utilis est uel ex agarico pillulis de rheub. hieralogodione electuario indo diaphinicone prout materia exigerit. Tertia intentio est humorum præparatio, unde si fuerit bilis mixta cōuenit syr. bisantinus de endiuia cum aquis absinthij cicorij, & in materia non ualde frigida ualet syr. de eupatorio acetosus simpl. & in materia crassa ac uiscosa oxymel scilliticum syr. de absinthio, et in matheria melancholica syr. de epithimo de hissopo &c. Conueniunt etiam in hac intentione diacurcuma dialacca triasandali, diarhodon, troc. de ros. de absinthio &c. Quarta, intentio est diuersio quæ fieri potest per uomitum, quia extrahit ab hepate per uenas meseraicas tum quia ex infimo loco materias eradicat, tum quia a stomacho & ab adiacentibus partibus optime auertit, clysteres etiam laudantur eo quia a stomachi fundo euacuat, tum quia eductio per uentrem naturalis magis est, quam per uomitum & cæt.

Loci conſentientes de cura mali habitus.

Aet.ſerm.10.cap.19.Cibi eorũ ſint ſimplices qui facile con coqui poßint, &c.lege eum fuſius.Auic.loc.cit.ca.4.cibus ha bentium cachexiam ſit ex eis in quibus eſt ſuauitas & confor tatio naturæ ſicut alcubungi.i.perdices & ſint uina eorũ odo rificata cum eis quæ ſunt gariophilli cinnamomum crocus, &c.& ex fructibus granata dulcia, & de citonijs parũ non nocet, & miſceantur cum cibis ea quæ ſunt ſicut ſinapis por= rum allea,&c.Paul.lib.3.ca 47 uictus ſit tenuis ſiccus &c.De euacuatione loquitur.Aet.loc.cit.ibi ſi hæc affectio ex cõſuetæ excretionis cohibitione contingat,excretionem irritare ex= pedit,aut uenam incidere ſi nihil præpediat,ſi minus uena in cidenda ſit conuenienti purgante pharmaco, & maxime ex hiera oportet &c.Auic.loc.cit.conſidera an humores ſint cho lerici & educancur ſolutione uentris cum hiera picra,nam educit ſuperfluitates abſq; humiditatibus innatis etc. lege eum fuſius.De humorum præparatione lege Arcul. & neotericos lege etiam Auic.ibi,& ex eis quæ conferũt eis ualde ſunt ſy. de abſinthio in ieiuno,mitridatum & diacurcuma & dialac ca & diaſpermaton &c.De ultima intentione lege etiã Aui. ibi, & utatur uomitu ante cibum, eſt enim regimen bonum eis in principio rei cum raphano infuſo in ſyr. acetoſo & in fine cum helleboro, &c.

Obſeruatio in regimine.

Auic.14.tra.4.cap.4.oportet quod regimen eorum ſit,ſu perfluitates prohibens, &c.

Obſeruatio in ſectione uenæ.

Paul.lib.3.cap.47.ijs qui copia uitioſorum humorum la= borant uacuatio ſanguinis per uenam noxia eſt, purgatio au tem ex hiera per multum utilis. Auic.loc.cit.ante uenæ ſectio nem præcedant quæ ſanguinem purificant qualis eſt hiera.

Obſeruationes de ſolutione uentris.

Auic.loc.cit.primum humorum qualitates conſiderentur & purgentur, q; ſi nouißime materia aggregetur figi eam non permittas, ſed reiterata purgatione educes. Secundo, cauendum ne eorum ſtomachi a ſolutiuis lædantur quare cum ſoluentibus aromatica ſunt admiſcenda. Tertio, ſex purgationum modos enumerat. Primus, per ea quæ uentrem ſoluunt & obſtructiones aperiunt. Secundus, per cliſteria attenuantia & reſoluentia. Tertius, per moderatum exercitium & per paucitatem potus. Quartus, per balnea cum aquis, nã calidis. Quintus, per uomitum ante cibum. Sextus, per cibos exiccantes aperientes & attenuantes cum aromaticis, &c.

Conferentia malo habitui.

Conferunt cachexiæ, ſpica, cinnamomum, abſinthium, eupatorium, ſemen urticæ, chamæpitis urina, hominis, helleborus, ſanſucus, cricius handacocha. Confectio alchegengi, de rauedſeni, conditum de bugloſſa diacurcuma dialaca, diacoſtum mes.empl. Alex.mes. omoruſia Auicen. theodoricon magnum hali, theriaca diateſſeron triphera minor, pillulæ de rheub. de alchechengi mes.troc. de diarhodon, de roſis, de rheub. de eupatorio, ſyr. acetoſus de diarhodon de abſinthio de fumoterræ, de eupatorio, de ſquinanto uiatic.5. etc.

De pronoſticis mali habitus.

Aet.ſer.10.cap.19. Senes facile hac affectione capiũtur, maximeq; liberantur, pueri uero facile pereunt ob uitalis roboris imbecillitatem, aut ex ſuccis ob cutis raritatẽ facile tranſpirantibus, Qui in uigore ſunt raro incidunt, facileq; inde ſe extricant, quum uero malum diutius durat in aquam inter cutem tranſit &c.

De hydrope.

Hydrops eſt morbus a materia intra peritoneum contenta quæ

quæ ab hepatis imbecillitate prouenit factus, ex quo uenter intumeſcit & interdum reliqua membra. Huius tres ſunt ſpecies prima ἀσκίτης.i.utri cularis, ſecunda eſt τυμπανίτης.i. Tympania tertia ὑποσαρκα καὶ ἀνασαρκα uel λευκοφλεγματία.i. pituita alba dicitur, Aſcites eſt morbus in quo uenter, & crura intumeſcunt, Superiores autem partes gracileſcunt ac marceſcunt, Tympanias autem eſt morbus in quo plus flatuoſi ſpiritus inuenitur, & minus humoris ita ut ſi uēter percutiatur tympani modo crepitum elidit, Anaſarca uero eſt morbus quo totum corpus albidum redditur atq; humore circumluitur, ex quo ægris pudenda peruertuntur & febres accidunt, &c.

Loci conſentientes de hydrope.

Auic.14.tr.4.ca.5. Hydropicis eſt ægritudo materialis, cuius cauſa eſt materia exuberans frigida & ingrediens membra &c. Aet.ſer.10.cap.20.Hydropis differentiæ tres ſunt alius enim aſcites ab utro dicitur, alius tympanitis a tympano, tertius ſarcites iuxta carnem a græcis leucophlegmatias nominatus &c.hoc idem ſentit. Paul.lib.3.cap.48. & Alex.lib. 3.cap.29.ibi, hic morbus &c.Gal.lib.finit.med.Hydrops.quæ anaſarca.i.per carnem dicitur, eſt quum totum corpus intumuit adæmate atq; humore corpus circumluitur &c.Aſcites. i.utricularius eſt in quo uenter & ſerotum curaq; intumeſcunt, ſuperiores autem partes extenuantur, &c. Similiter, Tympanias eſt quum in uentre ſpiritus plus inuenitur humoris minus, & ſi quis pulſauerit ſonus exauditur, &c.lege etiam Gal. de hac re aphor.4.com.u.

Obiectio.

Quur tres tantum ſpecies facis quum Theodorus libr.5. quatuor enumeret.ſ.anaſarcam hypoſarcam Tympanitem et aſcitem. Præterea hyp.4. de uic.in mor.ac.tex.3. duas tantum ſpecies eſſe declarat, una quidem hypoſarca, altera cum in-

flationibus. Responsio.

Distinctiones interdum dantur penes nomina rerum, Interdum uero penes causam efficientem, Interdum penes locum læsum, Erunt igitur quatuor ratione nominis ut Theodorus, Erũt duæ ratione loci, nam aut in omnibus membris continentur, aut tantum in concauitate uentris, & sic erunt duæ species, ut hip. erunt tamen tres ut diximus quia causæ tres sunt, &c.

De causis hydropis.

Causæ efficientes, & primitiuæ sunt omnis causa exterior nocumentum in digestione imprimens & imbecillitatem maiorem quam in cachexia inducens, Regimen inordinatum in sex rebus non naturalibus percussio casus & offensio super hepar &c. Causæ antecedentes sunt mala dispositio hepatis uel aliorum membrorum quæ prouenit, uel a mala intemperie nuda uel humorali uel a soluta continuitate, uel ab aliquo abscessu digestionem impediente. Causæ per consensum erunt uel a toto ut in febribus quæ calorem hepatis innatum imbecillitant & digestionem præpediunt, uel euacuationes superfluæ calorem innatum extinguentes sicuti euacuationes per uentrem per uomitum per sudorem per mẽstrua, per sanguinis fluxum, &c. uel erunt a membris particularibus, utputa a pulmone diaphragmate abscessum uel aquã patiente, uel a stomacho ob malam eius intemperiem uel a splene ob eius magnitudinem & duritiem &c. Causa coniuncta est materia ipsa frigida membra alterans & in tumorem attollens cum imbecillitate hepatis & digestionis eius assidue illam materiam regenerantis &c. In anasarca igitur erit materia pituitosa penetrans cum sanguine per membra, In ascite erit materia aquosa citra peritonium contenta, In tympanitæ est materiæ uentosa in illas partes diffusa &c.

Loci consentientes de causis hydropis.

De causis primitiuis lege neotericos præcipuæ Arcul. & Sauonarolam Gordonium platearium & reliquos De causis antecedentibus lege Auic. 4. Tra. 4. cap. 4. ibi causæ uero antecedentes sunt omnes ægritudines hepatis cōplexionales instrumentales sicut paruitas & opilationes & apostemata calida frigida mollia & dura &c. lege eum fusius Gal. 5. de lo. aff. cap. 7. In omnibus corporis partibus tum supernis tū inferioribus pituitosus sanguis contineri conspicitur in ijs morbus quos græci anasarcas & leucophlegmatias nominãt, perinde consentaneum est ut ob uisceris refrigerationem cibus iam redditus in sanguinem transmutari non possit, &c. & inuenies per consensum etiam affici, ibi laborans aqua intercutem molestari uidetur uitio existente in liene uel in Ieiuno uel pulmone, uel renibus aut tenui intestino aut mesenterio aut ubi sanguis plurimus per hemorrhoidas excernitur, aut ob muliebre profluuium aut quum retinentur menstrua, aut aliam ingentem uteri dispositionem &c. De causis particularibus loquitur Aet. ser. 10 cap. 20. ibi. Ascites fit quum inter pelliculam peritoneum appellatam, & intestina plurima aquosi humoris collectio fiat Tympanias quum flatus aerere pleti ac superflui plurimam collectionem facit &c. Sarcites uero ab aquosa pituita ortum habet &c. Hoc idem sentit Au. 14. Tract 4. cap 4. ibi Ascites causa est materia aquosa effusa in spatium uentris inferioris &c. Vide Gal. de causis hydropis. 2. de naturali facul. cap. 7. Item. 4. apho. com. 11. ibi quibus tormina. &c. Item. 4. de præsag. expulsibus capite de meningæ affecta, Item pronost. 1 text. 1. ibi, cuiusuis aquæ intercutis genitura est ubi sanguificationis officiū intercidat &c. Hip. apho 7. apho. 71. a pituita alba aqua intercus superuenit, Vide Gal. in com. Vide etiam Paul. & Alex lib. 3. cap. 29.

De signis hydropis.

Signa hydropis in genere octo sunt primũ est uitiatus color iuxta hepatis intemperiem, ut in frigida albus & liuidus in calida flauus uel rubeus secundum est inflatio oculorum et pedum ut in anasarca, excipitur tympanias in quo nullus tumor nisi in uentre cernitur tertium sitis inexhausta, quia humor in his locis retentus salsus est & putrefactus. quartum ciborum fastidium. s. in calida hydrope, nam in frigida appetitus inualescit. quintum urinæ paucitas rubeæ præsertim in ascite & anasarca ubi nulla fit separatio sanguinis & bilis, sextum febres mites ac tepidæ septimum accidunt ulcera, octauum nihil cruentum secerni solet maxime in ascite et tympania, & cæt.

Signa particularia Ascitis sunt grauitas sensibilis in uentre, etsi percutitur nullum sonũ emittit, sed aqua a latere ad latas commota cernitur, Tactus est utris aquæ pleni, Nulla adest membrorũ magnitudo, cutis tensio, paucitas urinæ pulsus paruus frequens, & ad duritiem decliuis. Signa hyposarcæ sunt Inflatio totius corporis uelut in defuncto corpore, Impinguantur membra & proprie facies & cum premitur digito remanet fouea, Nulla adest suminis inflatio aut commotio ut in ascite & tympanite, fluxus interdum sanguinolentum, Pulsus undosus lates et lenis, Signa tympanitis, Egreditur sumem plurimo exitu nulla adest grauitas, sed tẽsio plurima, membra ad ariditatem tendunt, & percusso uentre sentitur sonus utris flatu non aqua pleni, adest ructationis uoluntas ex qua leuius se habet, pulsus ut plurimum uelox & frequens ad duritiem decliuis, nulla adest inflatio pedum, &c. Signa distinguentia hydropem a prægnante sunt quia ab umbilico infra prægnantis uenter extenditur in hydrope uero infra & supra, &c.

Loci consentientes de signis hydropis.

De signis in genere hydropis lege Auic. 14. tract. 4. ca. 8. ibi omnes species hydropis sequitur corruptio coloris &c. lege hunc locũ fusius. Gal. 5. de loc. aff. cap. ult. In anasarca per aluum nihil cruentum, neq; in ascite neq; in tympania secerni solet, sed spatium quod est inter peritoneum, & partes ei subiacentes aquoso humore impletur his uero qui ex frigidæ aquæ potu hydropes facti sunt, uehementes ciborum appetitus fiunt, &c. De signis particularibus mentionẽ facit Alex. lib. 3. cap. 29. ibi quum in uẽtre circa abdomen humores aquosi collecti fuerint &c. Lege etiam de hac re Auic. 14. cap. 9. ibi cum ascite est grauitas sensibilis in uentre &c. & cap. 10. loquens de anasarca inquit apparet inflatio in corpore toto sicut accidit corpori mortuo &c. & cap. 11. In tympanite egreditur sumen plurimo exitu, &c. Vide fusius Arcul. & Sauonarolam. Hip. pronost. 2. text. 2. ibi, si quibus ex inani parte consistit hydrops, &c. lege etiam fusius Gal. in hoc cõm. &c.

De curatione hydropis.

In Ascitis cura tres tantum intentiones insurgunt, quarũ prima uersatur circa uitæ regimen, ita ut sex res non naturales ad caliditatem & siccitatem uergant quum causa ascitis sit frigida & humida, Nam hepar et si, a causa calida primũ molestetur, nihilo minus ex imbecillitate & spirituum resolutione tandem frigescit, Dieta igitur sit tenuis si uires patiantur. Cibaria parentur cum pipere Garyophillis &c. Vinum sit subtile album, paucæ quantitatis, Aquam uitent.

Altera intentio est in remouenda causa coniũcta quæ perficitur cum pharmacis hydragogis, uel cum urinam prolicientibus, uel cum his quæ insensibiliter aquam resoluunt, ut sunt fomenta emplastra saculi, cerata, &cæt. Solutiua fiunt cum Rheub. Agarico, cum succo rad. iridis, ebuli, & sambucci cũ

ſoldanella uel eius ſucco cum elacterio, & Mezereō quæ laureola dicitur, cum pillulis de ſerapino de euphorbio etc. Diurectica ſunt ſyrup. biſantinus de duabus radicibus oxymelle ſyr. de abſinthio, Fomenta fiunt cum rebus calidis reſoluentibus ut ſaluia, maiorana, roſmarino, menta, abſinthio pulegio camomilla, origano, folijs lauri, Alumine ſulphure ſale &c. Emplaſtra quale eſt de granis lauri de ſtercore caprino &c. Saculi parantur ex milio ſale furfure, Vnguēta quale eſt illud Agrippæ & mille alia quæ parari poſſunt, Conueniunt etiam Diacurcuma dialacca Troc de Rheub. Tertia intentio malam hepatis diſpoſitionem remouet cum his quæ hepar roborant aperiunt ac obſtructiones dirimunt extrinſecus cum ceratis & linimentis ex oleo rutæ camomillino paratis. Intrinſecus cum confectionibus iam memoratis, &c. Quod ſi per hæc aſcites non ceſſauerit cute compuncta aqua extrahatur &c. Anaſarca ſiue hypoſarca hisdem met intentionibus indiget, Nam præter regimen calidum & ſiccum, etiam cauſa coniuncta remoueri debet cum medicinis ſoluentibus & alijs ut dictum eſt, Verum hoc plus habet, ut ſectionem uenæ ſuppreſsis hæmorrhoidibus menſtruis, uel ſi ab aliquo apoſtemate fieret & humorum præparationem requirit, quod in aſcite minime dictum eſt, & hoc fit cum rhodomelle ſyro. de duabus rad. de biſantijs oxymelle ſimp. &c. Aduerte tamen q̃ ſyrupos in hoc caſu ſimpliciter ſine aquis & decoctis exhiberem, quum aquæ apud me ſuſpectæ ſint, Laudatur in hoc caſu hiera ſimplex rheub. agaricus, pillulæ de rheub. Mala autem diſpoſitio hepatis, ſi ab apoſtemate, uel ab obſtructione eius proueniat, quo pacto curanda ſit ſupra habuiſti, quæ ſi a mala intemperie oriatur frigida, tunc damus electuarium. diacurcumæ dialacæ rheubar. hepar lupi abſinthium eupatorium, in calida diarhodon ab. triaſand. In cauſa

mixta troc. de rheub. cū speciebus diarhodonis abbatis. Tympanias uero perinde ac dictum est curanda erit, dummodo soluentia pharmaca iam dicta flatuosum uentum una cum aquoso humore resoluant, unde laudatur diaciminum diagalanga diamuscus, elementum de baccis lauri, item fotus ex rebus calidis & siccis &c.

Loci consentientes de cura hydropum.

De regimine uictus loquitur Paul. lib. 3. c. 48. ibi, cibus erit salsamentum sinapi & allia, ex auibus syluestres et siccæ magis. Inter olera asparagus porrum synapi, uinum sit uetus & tenue, potio liberalis uitanda est & aqua in totum, a calidioribus acrioribusq; cibis & auxilijs, ubi fabris cum hydrope fieret, abstineatur &c. Auic. 14. c. 13. oportet comedere cum mensura & dimittere aquam ita ut prohibeatur a uisione aquæ ne dicam a potu quantum possibile sit &c. Lege Alex. de omnibus oleribus piscibus, uolucribus, leguminibus siue bellarijs fusius cap. 30. De curatione per hydragoga loquitur Gal. 7. aphor. com. 56. ibi curatio hydropis fit per medicamēta aquositatem soluentia per epithemata ac per ea quæ ciendi urinam & in uapores talem humorem soluendi facultatem habent.

Item. 14. meth. Triplicē inuit curandi rationē, Prima ut tumorem in uiscere contentum sanemus. 2. ut humiditatem soluamus. 3. ut per medicamēta urina citemus habet etiam q, calidior & siccior temperies exile corpus reddat quod fit ex acuta exercitatione & medicamentis attenuantibus & uictu & animi cogitatione &c. Paul. libro tertio. cap. 48. curatio communis ab euacuatione incipit, uerum ascites & tympanias medicamentum aquam educens requirit, anasarcas sanguinis detractionem, modo affectus ex hemorrhoide uel mēstruis retentis oriatur &c. Gal. 4. de uic. in mor. ac. tex. 3. ibi

hydropum duæ sunt naturæ in comm. anasarca inquit interdum sanguinis detractionem dum incipit expostulat, si ex retentione hemorrhoidarum uel muliebriū, uel ex quapiā quæ ita sit plethorica causa inceperit, tympaniam uero & ascitē nullus per sanguinis missionem sanare ausus est, &c. Lege Auic 14. tract. 4. cap. 13. similiter Mar. Cat. & Arcul. Gord. & Alex. de cura hydropum in particulari. Gal. 3. de tempera. ca. 3. Medicamen id quod cantharides recipit hydropicis, prodest tametsi cantharis ipsa uesicam omnino ulcerat, uerum ubi per ea quæ admiscentur castigata corpori plurimo humore grauato offertur & illum & per urinas expellit, &c. Et. 14. meth. cap. 13. Harum euacuationem medicamentis quæ digerant molimur, uel chirurgia in ascite, adhibita punctione, quam paracentesin uocant &c. lege quomodo hæc fiat punctio ex Arcul. & Gulielmo plac. & ab alijs omnibus qui chirurgiam pertractarunt &c.

Obseruationes de euacuatione.

Auic. 14. tract. 4. cap. 13. Primum in ascite, aqua in anasarca pituita, in tympanite flatus euacuetur. 2. Soluentia ita soluant, ut nihil hepati & uentriculo mali inferant, sed sint leuia. 3. Reiteretur euacuatio ne materiæ multum congregetur, cauendo ne pro uice ita copiosa sit ut uirtutem deijciat. 4. A soluentibus, statim hepar & uentriculus cum stypticitate moderate aromatica 5. Prouocetur uomitus ut materia in uentriculo contenta euacuetur. 6. Enemata conueniunt dummodo causam antecedentem & coniunctam euacuare possent.

Obseruationes de sectione uenæ.

Gal. 4. de uic in mor. ac. comm. 3. primū si expedit in principio fiat. secundum non est fienda nisi sui causa fuerit retentio sanguinis uel aliqua plethorica causa uel inflammatio hepatis &c. & hoc in anasarca Auic. loc. cit. sectio uenæ uitan-

da est quatenus fit poßibile, & si tuum sit consilium de phlebotomando minue prius materias dominantes, &c.

Obseruationes in attenuantibus, & incidentibus medicinis.

Auic.loc.cit. quatuor habet annotatu digna, Primo quod misceantur cum rebus hepar & uentriculum roborantibus. 2. q; uarianda sunt & mutanda eo q; natura ab eo quod est cõsuetum non patitur. 3. q; in puluerem redigantur, ut citius ad partem hepatis gibbam perueniãt. 4. quod post eorum usum iura pinguia exhibeamus, ne urinarij meatus excorientur. B. caue tamen ex hoc textu ne decipiaris quum in omni specie hydropis iura sint suspecta, in puluerẽ intellige ut Gal. craßiculũ. de obseruationibus circa uictũ lege fusius Alex. li.3. c.30.

Nocentia ac conferentia hydropi.

Nocent hydropi, usus aceti aßiduus, bouinæ carnes, lentes cum corticibus mezereon, aloes, & quicquid hepatis temperiem molestant. ac corrumpunt. Conferunt hydropi absinthium, agaricus, anisum, apium, betonica calamentum, calamus aromaticus chamepitis chamedris, cantarides, elacteriũ, cuscute, cicorium, succus rad. ebuli, helleborus eupatoriũ, fœniculus, caricæ, fumus terræ chebuli, lac asininum, caprinũ, lactuca limaciæ, meu, mezereon, myrobalani, myrtus, origanum, pastinaca, perdices, petroselinum, praßium, rheubarbarum rosmarinus, ruta, sansucus, sambucus, sinapis, scilla, scænoanthos, urina hypericon, hyssopus, iris. Composita sunt unguentum agrippæ confectio alchechenge, dialaca, diacurcuma. diatrionpipereon, emplastrum aristarchi et andromaci mes. pillulæ de rheub. de agarico, tyriaca, tryphera ferruginea, troc. de lacca de rheu. de ligno aloes, unguentum artanitæ mag. confectio de mezereon de eupatorio mes. oleum de cherua de mezereõ, pillulæ de mezereon, tyriaca diatesseron &c.

De pronosticis hydropum.

Hip.apho.3.aph.22. *Autumno & plurimi æstiui morbi febres quartanæ & erraticæ & aquæ intercutē &c.* Vide Gal. in com. Et aph.4.aphor.11. *Quibus tormina & circa umbilicum dolores et lomborum dolor qui neq; a medicamēto neq; aliter soluitur in hydropem siccam firmatur.* Et apho.6.aph.8. *Aqua intercute laborantibus ulcera in corpore facta difficulter sanantur.* B. *quia exiccari expostulant sed hoc difficillimum ob humiditatis immoderantiam.* Et aph.6.aph.27. *Quicunq; suppurati aut aquam intercutem patientes, uruntur aut secantur si pus aut aqua uniuersum effluxerit, omnes moriuntur.* B. *eo q, natura subitaneas mutationes non tollerat.* Et aph.6.aph.35. *Aqua intercutem laborantibus tußis superueniens malum.* B. *intellige nisi a materia a capite in subiectas partes stillante tußis oriatur, nam si aquosa humiditas adeo excreuerit ut asperas arterias occupet, periculum de suffocatione imminet.* Et aphor.6.apho.43. *Quicunque lienosi difficultatem intestinorum capiuntur, superueniēte aqua intercute moriuntur.* Et apho.7.aphor.5. *In mania dysenteria aut hydrops uel mentis alienatio malum.* Et aph.48. *eiusdem lib. aqua intercute laborans si a tußi habeatur desperatus est.* Et aph.56. *eiusdem, Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his uenter aqua repletur & moriuntur.* B. *quia effluere ad omentum aqua non potest, nisi aliquo modo excedatur, unde mors sequitur etc.* Et aph.6.aph.12. *A diuturnis sanato hemorrhoidibus, si una non seruatur periculum est, aquam intercutem uel tabem aduenire.* Et aph.14. *eiusdem lib. ab aqua intercute habito, si aqua e uenis in uentrem defluxerit, soluitur, morbus.* Et pronost.2.cap.1. *aqua intercus omnis si ex acuto morbo existit, mali est, non enim sedat febrem, sed dolorem admodum infert ad mortē.* B. *eo quod inuenire remedia quæ*

utriq; affectioni ualida respondeant difficillimum est. Auic. 14. tra. 4, cap. 3. multa habet pronostica, Primo ascites malignior omnibus deinde hyposarca, deinde tympanitis. 2. Deterior hydrops illa est quæ fit cum ægritudine acuta & uehementius timenda quæ homini temperaturæ calidæ & siccæ aduenit, non enim sine causa maxima per contrarium suæ cõplexioni ægrotat. 3. Hydrops ex duritie splenis magis salua est quam quæ a duritie hepatis prouenit. 4. si ex hydrope disnia & constrictio anhelitus contingat & solutio uẽtris, propinquam mortem in tribus diebus sig. 5. Et dicitur quod quando hydropico descendit sicut caro pronuntiat mortem eius. 6. Et habenti melancholiam resoluitur melancholia eo quod hydrops eã humectat. 7. Et scias quod fluxus uentris in hydrope est mortalis. 8. Dictum est q, quando in facie hominis aut in manu eius sinistra mollities, et in naso pruritus accidit in principio quod moritur in secunda uel tertia die. 9. Et si fuerit apostema durum, tunc non speretur in sanatione hydropis quæ sequitur ipsum, nam & si aqua euacuetur qualibet euacuatione reddit tamen & replet &c.

Authores dissentientes circa hydropem.

1 Adserere, cachexiam non præcedere hydropem quæ paulatine facta sit.
2 Adserere, tympaniam ita a frigiditate fieri sicuti ascitem.
3 Adserere, hyposarcam esse ascite deteriorem.
4 Adserere, in ascite hydrope semp incisionẽ esse oportunã.
5 Adserere, omne genus lactis ĩ ascite nullo modo cõpetere.
6 Adserere, tußim in hydrope semper esse signum malum.

Confutatio dissentientium circa hydropem.

Ad primũ Auic. 14. c. 3. quãdo corrũpitur digestio hepatis & antecedit eius debilitas in primis accidit dispositio ad hydropẽ antecedens quæ uocatur cachexia sed semper digestio

hepatis in qualibet species hydropis corrumpitur, & antecedit eius debilitas igitur semper etiam præcedit cachexia, & hæc opinio etiam confirmatur a Dino, unde maxime decipiuntur qui contrarium adfirmant.

Ad secundum Gal.aph.4.com.11 Videtur autem a maiori frigiditate generari aquosus hydrops quem asc item uocant, a minore tympanias, nam humida substantia inflatuosum aerem sine calore aliquo transmutari non potest, & sic isti decipiuntur, qui oppositum astruunt, &c.

Ad tertium Auic.14.cap.3 Ascites est malignior omnibus &c. Præterea illa species est deterior quæ causas & symptomata sæuissima habet, sed ascites est huiuscemodi quum adsit sitis uehemens grauitas suffocatio & syncopis igitur erit hyposarca deterior &c.

Ad quartum, conciliator diff. 199. Refert ex Gal. nemině uidisse ex incisione liberatum, præterea Auic.loc.cit. de incisione myrach, scias inquit quod parum proficit nisi in corpore forti ualde quando potens est tollerare sitim & minorationem cibi nō oportet ut audeat fieri dum possibilis est alia cura &c. immo ut refert conciliator pleriq; ex hac incisione moriuntur.

Ad quintum, Auic.loc.cit. non respicias ad illud quod dicitur in ipso, ex hoc quod decipiuntur sophistæ quod natura lactis est contraria hydropisi, immo scias quod hoc medicamen est iuuatiuum per illud quod est in eo de abstersione, & est conueniens per id quod est in eo de proprietate & paulo infra & scias quod lac camellarum & caprarum arabicarum est uehementis iuuamenti, &c.

Ad sextum, Gal. aph 6. com.35. Neq; enim quum ex alia fit occasione in homine aquam intercutem patiente, tussis est signum exitiale, sed quando ex ipsius morbi ratione, & sic

non est pernitiosum signum.

De leuitate intestinorum .i. lienteria.

Leuitas intestinornm quæ λειεντερία *a Græcis dicitur est celerrima ciborũ expulsio in qua nulla alteratricis facultatis actio cernitur, sed tales cibi quales deuorati sũt secernũtur.*

Loci consentientes de leuitate intestinorum.

Gal. aphor 6. com. 1. leuitas intestinorum est uelox exitus eorum quæ comeduntur ac bibuntur, quæ talia deijciuntur qualia deuorata fuere, quibus egredientibus nulla mutatio alteratricis facultatis inuenitur siue in qualitate siue consistentia colore & odore &c. Lege de hac re Gordonij definitionem & aliorum neotericorum.

De causis leuitatis intestinorum.

Causæ procatarcticæ ipsius lienteriæ sunt cibi potus, & pharmaca secundum qualitatem quantitatem & ordinẽ uentriculum infestantia inter quæ aer quoq; humidus connumeratur. Causæ antecedentes & coniunctæ sunt mala stomaci intemperies, humores uel nimium frigidi uel mordaces, flatus quoq; non sinens stomacho cibum inhærere, unde putrefit & expellitur. Item ulcera abscessus & similia dolorem stomacho inferentia, siue per se, siue per aliorum morborum consensum, ita quod nec uentriculus ciborum contactum tolleret, unde facultas expultrix ad id expellendum irritatur. Item stomaci ac intestinorum imbecillitas, ex qua retinere cõtenta, ne exiguo quidem tempore possunt, sed illico perinde ac si graue aliquod onus deponerent, ea secernunt &c.

Loci de causis.

Gal. aph. 6. com. 1. Causa leuitatis intestinorum est triplex quarum prima est mala retẽtricis facultatis stomachi intemperies, secunda fit ab humorum mordacitate superficiem uentriculi exulcerante, quare cibi & potus, quum ad locum ul-

ceratum perueniũt, membrum illos continere non potẽs absque coctiones illos deijcit. Tertia est, quum pituita in uentriculo continetur, quæ cibum & potum extra uentriculum & intestina lubricare facit &c. Itidem adserit aph. 4 com. 12. Auic. 16. tra. 1. cap. 2. præter causas aßignatas enumerat etiam solutiuarum medicinarum impreßionem in superficie intestinorum & stomachi. Item imbecillitatem digestionis, qua deficiente cibus corrumpitur & expellitur. Item catharrum cibumcorrumpentem item ciborum malam qualitatem quantitatem, malitiam sui ordinis artificium & deniq; uentositatem & inflationem. lege etiam Auic. 13. cap. de lubricitate stomachi. Item Gal. 6. de sympt. cau. cap. 1. Item. 1. de loc. aff. cap. 3. Item. 6. de sympt. cau. cap. 2. ubi de nausea loquitur. Itẽ. 6. de loc. aff. cap. 1. ibi sunt quædã accidentia quæ haud absurde intestinis & uentriculo simul affectis euenire creduntur ut lienteria. Vide etiam Paul. lib. 3. cap. 4. Item Marcum Cat. qui omnes causas ad octogenarium numerũ reducit, cap. de liẽteria.

De signis leuitatis intestinorum.

Signa in genere sunt exitus cibi & potus indigesti, dolor in regione stomachi & ægritudo eius præcedẽs sicut nausea subuersio uomitus & hic fluxus ordinẽ non habet, sed quandocunq; cibus sumitur egreditur, &c. Signa si a medicamine fiat sunt dolor & mordacitas stomachi præceßit pharmacũ, & statim sequutus est fluxus, sapor etiam testatur pharmacum &c. Signa intemperiei frigidæ & humidæ sunt albedo faciei & linguæ, paucitas sitis, tarda digestio, multitudo sputi non adest grauitas uel nausea stomachi, & existente pituita adest dolor stomachi acetosa eructuatio læditur a frigidis nausea adest et uomitus. Signa intemperiei calidæ, sunt oris amaritudo, sitis, uomitus frequens, bilis, sapor amarus & humores calidi per seceßum emittuntur &c. Signa ulcerũ sunt

uomitus saniei, eructatio pus redolens dolor &c. Signa apostematis sunt tumor durities grauitas assiduus dolor febris continua &c. Signa flatus sunt quum sentitur flatuosus motus dolor modo unam modo alteram stomachi partẽ molestat, iuuantur si crepitũ uel ructum emittãt. Signa imbecillitatis facultatum sunt si imbecillis sit digestiua egreditur cibus sine digestione, si retentrix uel expultrix egreditur uelociter. Signa interstinguentia lienteriam stomachi & intestinorum sunt, quia lienteria intestinorũ. i. cœliaca passio habet cibum satis bene eductum, dolor est in intestinis, & præcessit ægritudo intestinorum, & econuerso si fuerit stomachi, &c.

Loci consentientes de signis leuitatis intestinorum.

Paul. lib. 3. cap. 40. Verum in utroq; leuitatis genere celerius quam in celiacis quæ assumpta egeruntur, tamq; intensa est cruditas ut alimenti assumpti genus cognoscatur &c. Lege de his signis Auic. 16. tra. 1. cap. 3. ibi, fluxus stomachichus: non habet ordinem neq; horas in quibus per seipsum crescat, immo est secundum regimen, nam si digestiua est debilis egreditur sine digestione, si retentiua & expulsiua debilis egreditur uelociter &c lege eum fusius de alijs signis. Item Arcu. & Gord. & Mar. Cat. qui breuiter omnia lienteriæ signa exponit, lege etiam alios neotericos.

De cura leuitatis intestinorum.

Considerãda est in primis a qua causa hic morbus proueniat, nam si ex parte cibi corrupti, tunc uentrẽ soluere, uel uomitũ prouocare utile est. Si uero ex nimia cibi quãtitate assumpta fiat, tũc facta euacuatione paucus cibus exhibeatur, deinde mala stomachi cõplexio corrigatur, si autẽ causa fuerit nimia humiditas in uẽtriculo contẽta, tunc medendi insurgunt quatuor intentiones, Prima erit circa uictũ, nam cibandi sunt ex chondro oriza et pane cũ aliquibus adstringẽtibus

ut malis punicis piris malis cydonijs uel diacitonite, conueniunt etiam testes gallinacei & pisces saxatiles &c. 2. Intentio est humoris frigidi præparatio cum rhodomelle sy. de mẽta de absinthio cum decoctis uel aquis mentæ absinthij. 3. Intentio est euacuatio, quæ fit per solutionem uentris ac per uomitum maxime materia in suprema parte uentriculi contenta, cum pillulis aleophanginis masticinis & de hiera simpl. diaphinicone & diacitonite solutiuo 4. Intentio est uentriculi roboratio ac discrasiæ derelictæ ablatio. Et perficitur cum exterioribus unguentis calefacientibus ac stipticitatem in se habentibus quale est oleum de spica de absinthio de mastiche de menta de citonijs, item cum emplastris & ceratis eandem uim seruantibus ex menta absinthio rosis scænoãtho spica balustijs galanga cipero &c. Roboramus etiam cum interioribus electuarijs adhibitis quale est aromaticum ros. diaciminũ diagalanga diacitoniten cum spetiebus & zucharo. Si uero causa fuerit materia calida, uictus & regimen declinet ad frigidum, Digestio fiat cum syr. ros. de granatis de cydonijs de mirto. Euacuatio, cum rheub. aloe lota hiera simpl. Robur deniq; indimos ac malam derelictam intemperiem remouemus cum zucharo ros. Diarhodone abb. confectione de tribus sandalis &c. Si uero causa fuerit ulcus, primo oportet abstergere, deinde consolidare ut puta cum rhodomelle abstergere & conglutinare cum bolo armeno &c. si causa fuerit uentositas, primum fiat euacuatio ac digestio præsertim si materia fouens sit, deinde resoluatur cum electuario de baccis lauri uel fomento uel unguentis et emplastris ex rebus calidis stomacho conferentibus, &c.

Loci consentientes de cura leuitatis intestinorum.

Mar. Cat. Cura uariatur secundum uarietatem causarum, &c. Gal. 8. meth. cap. 5. Cibandi sunt fluente adhuc uentre ex polenta

polenta & pane quem græci oxylipe uocant qui minimum aceti habeat, inspergere tamen polentam debebis ubi. s.uẽter adhuc plus iusto excernit uel mali punici uel pirorũ uel malorum succo citoniorum, si amplius uenter nõ excernit, sufficit alica ad modu ptisanæ præparata hoc est aceti habẽs pauxillum, similiter gallinacei testiculi, saxatiles ex albo iure pisces & fructuum aliquis ex his qui adstringunt. Lege de his cibis Paul. Aeg. lib. 3. c. 40. ibi, si biliosa sit deiectio &c.

Lege etiam Auic. 13. tra. 5. cap. 7. ibi, & sit cibus &c. Vide etiam Gal. in lib de san. tuenda &c. De cura malæ cõplexionis plura habes etiã ex ipso Auic. in loc. cit. ibi. Quod si causa fuerit ex frigore cum calefactiuis curentur ebibitis & si illic fuerit materia euacuetur et administretur uomitus in omni septimana, & si fuerit malitia complexionis calidæ cum materia oportet ut educatur humor cum facilitate, &c. lege fusius & omnem curam intelliges, lege etiam Arcul. 9. alm. & ipsum Aet. lib. 9. cap. 51. Item Auic. 16. tract. 2. cap. 2. de fluxu stomachi lubricatiuo &c.

Obseruationes in cura.

Marc. Cat. cap. de lien. Medicinæ soluentes sint quæ a longinquo non attrahant. Auic. 16. tract. 2 cap. 2. In quibus nõ sunt ulcera fac ut permisceas styptica fortis stypticitatis cum medicinis calefactiuis naturam iuuantibus et confortantibus spiritum ut tyriaca magna, & cæt.

Conferentia leuitati intestinorum.

Conferunt lienteriæ, fotus ex balaustijs, radix bedeguar, castanea cupressus, aqua uel uinum extinctionis ferri, fex uini cum aqua myrti cataplasmatetur fraxinus, charabe, licium, lini semen, margaritæ, ossifraga auis polygonum hypocistis, zingiber. Comp. athanasia nic. diacitoniten nic. mitridatum nic. cum decocto balaustiarum, miua, michleta, pillulæ stypti-

cæ nic. electuarium inuentionis nostræ mes. electuariū de mirto, mes. sufuf de mirto mes. Confectio de seminibus mes. pedes constringere, manus in feruentem aquam mittere.

De pronosticis leuitatis intestinorum.

Hip. aph. 4 aph. 12. Quorum alui intestinorum leuitate laborant hyberno tempore supra purgari malum, &c.

Et aphor. 6. apho. 1. In longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat signum bonum.

Auic. 16. tract. 1. cap. de causis fluxus, Lienteria quæ fit propter complexionem frigidam & humidam est ducēs sua longitudine ad hydropem & est in summo difficilis curationis quum confirmatur. 2. Facta a uirtute medicinarum soluentiū interdum perducit ad dysenteriam & ulcera intestinorum. 3. Inquit Hip. quod omnis fluxus uentris post ægritudinem subito est malus significans mortem propinquam. 4. Et singultus cum accidit habentibus fluxum uentris est significatio mala sig. siccitatem facientem arefactionem. 5. Et Hipp. dixit q̄ habentibus lubricitatem intestinorum uomitus est malus, & iudicium occultam habet causam &c. Arculanus ca. de lien. succedens fluxibus antiquis & ad cronicas ægritudines mortalis. Et perseuerans ex debilitate contētiuæ perducit ad hydropem siccam & tandem ad mortem, &c.

Authores dissentientes circa leuitatē intestinorum.

1 Adserere, cum Erasistrato muscosa & sanguinolenta cum crudis excrementis excerni.

2 Adserere, Non posse inueniri lienter iam speciem in qua semper adsint acidi ructus.

Confutatio dissentientium circa leuitatem intestinorum.

Ad primum Gal. aph. 6. com. 1. Hæc Erasistratus inquit, nescio qua ductus opinione, adijciens crudis excrementis mu=

ſcoſa ac ſanguinolenta, hoc enim nullus appoſuit, neque eorum qui eius ætate claruerunt medicorum, neque eorum qui poſterius fuerunt, &c. Ad ſecundum Gale. eodem comment. Quæcunq; a pituita uentriculum refrigerante, fiunt leuitates inteſtinorum ſemper cum ipſis ſunt acidi ructus ut caſus quidam, & ſic ſpecies lienteriæ inuenitur in qua adſunt iſti ructus acidi.

De Dyſinteria.

Quæ a Græcis δυσεντερία dicitur, latini difficultatẽ inteſtinorũ ſeu tormina uocãt. Eſt autẽ dyſenteria fluxus uẽtris ſanguinolentus cum excoriatione, & ulcere infeſtinorũ, &c.

Loci conſentientes de dyſenteria.

Gal. lib. fin. med. Dyſenteria eſt inteſtinorum ulceratio cũ phlegmone & cruuentorum fæciq; ſimilium ſtrigmentorum ſecretione, non ſine alui inteſtinorumq; morſu ac cruciatu, Lege etiam Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. ibi, ſane in præſentia nomen dyſenteriæ &c. Paul. lib. 3. ca. 42. δυσεντερία ἕλκωσις ἐστὶν τῶν ἐντέρων. Lege etiam Aet. ſer. 9. cap. 43. ibi eſt etc.

De cauſis dyſenteriæ.

Hic affectus uel per ſe, uel per conſenſum fieri poteſt, Per ſe uel ab externa uel ab interna cauſa orietur, Ab externa ſicut a frigiditate, ardore, uenenatorum pharmacorũ potu & ab acribus cibis &c. Ab interna ſicut ab humoribus acribus paulatine erodentibus ſicut a bile pituita ſalſa, ab atrabile exuſta uel ab aliquo abſceſſu abrupto, Per conſenſum fit totius ut in fine febrium, uel partis ſicut a craßioribus inteſtinis a meſeraicis a gracilioribus hepate, &c.

Loci conſentientes de cauſis dyſenteriæ.

Auic. 16. tract. 1. cap. 2. Et excoriatio eſt dolor abraſionis ex ſuperficie inteſtinorum quæ aut eſt a materia cholerica uel ſanguinea acuta aut uirulenta aut ſanioſa &c. lege fuſius hunc locum. Gal. aphor. 6. com. 3. Difficultates inteſtinorum

fiunt ex humoribus acribus intestinorũ summa primum infestantibus, deinde progressu temporis se profundantibus ita ut ulcera putrilagini obnoxia, uentriculo etiam compatiente efficiantur &c. Vide etiam Gal. 5. de loc.aff.ca.ult. Itẽ 1.de loc.aff.cap.2. Vbi demonstrat q̃ affectus a quapiam causa ortus, non semper remota causa remoueatur, sed permanentem habeat dispositionem afferẽs de dysenteria exemplũ. Hip.aph.4.aph.21. Quibus tormina & circa umbilicum dolores &c.Galen. Tormina fieri inquit uel propter morsum uehementem, uel spirituum flatuosum qui non habet exitum. B.Nota tamen q̃ tormina siue στρόφοι non semper pro dysenteria accipiuntur, sed pro intestinorum torminibus qui a mordacitate humorum, uel a spiritu flatuoso fieri solent, ut testatur Gal. aph.5.com.41.

De signis dysenteriæ.

Signa dysenteriæ sunt dolor uentris punctio & frequens assellatio, in qua frustra intestinorum cernuntur. Signa ulceris sunt sanies exiens excoriatio & fœtidus odor, Locus ulceris pluribus modis cognoscitur, primum ex dolore supra uel infra umbilicum existente, nam in superioribus dolor magis uehemens est quam in inferioribus, præterea uomitus nausea et singultus interdum uentriculo ex consensu patiente fiunt. Cognoscitur etiam ex corticibus intestinorum exeuntibus, nam tenues & parui ex gracilibus, craßi uero & lati ex craßis intestinis descendunt. Cognoscitur etiam ex tempore, nam quum inter colorem & assellationem prolixum est tempus, tunc ex gracilibus, si breue ex craßis. Cognoscitur etiam ex qualitate eius quod egreditur, nam a superioribus proueniẽs est magis fœtidum, & sæpe numero loturæ carnis simile, At quod ab inferioribus intestinis prouenit, ex dolore infra umbilicum, & ex sanguine & sanie ante fæces exeunte co=

gnoſcitur. Vlcus plurimæ ſordis eſſe deprehenditur a longa ægritudine & a quantitate eius quod egeritur & ex dolore non ſenſato. Vlcus ſordidum a corroſiuo ſecernitur ex uirulentia aquoſitate albida odore graui, at corroſiuum eſt uehementis doloris fœtorisq; color ad nigredinem uergente. Signa ulceris profundi ſunt ſanguis plurimus exiens poſt abraſionem inteſtinorum, item ægritudo uehemens &c.

Loci conſentientes de ſignis dyſenteriæ.

Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. Dyſenteria non ſtatim fieri ſolet, ſed protinus ab ipſius initio bilis mordax ſecernitur, quum deinde interaneorum abraſiones ſequuntur poſtea paululum cruoris ſimul excerni uidetur, quando affectus ipſe iam dyſenteria eſſe cenſetur, Conſiderandum inſuper num per ſe ſolæ abraſiones exeant aut ſimul cum quopiã pingui excernantur, quia tunc indicium eſt in craſsis inteſtinis ulcus conſiſtere, &c. lege hunc locum fuſius, & omnia ſigna intelliges, Lege etiam primo de loc. aff. cap. 1. ubi pro exemplo inquit quũ inteſtini tunicam per dyſenteriam deiectam cõſpexeris, &c. Vide etiam Gal. 5. de loc. aff. cap. ult. Item lege Auic. 16. cap. 3. ibi, communia ſigna ſunt dolor punctura et alchurati et quod ulcera cognoſcuntur per excoriationem odorem fœtidum et per alchurati. i. abraſiones inteſtinorum &c. Lege fuſius hũc locum, & inuenies quæcunque a me ſub breuitate recitata ſunt lege etiam Arcul. & Aet. ſer. 9. cap. 43. ibi ſi circa inteſtino craſſa ulceratio contingat &c.

De cura dyſenteriæ.

Requiruntur in cura dyſenteriæ quatuor intentiones, prima circa regimen, unde ſi ulceratio inteſtinorum a cauſa calida pendeat, cibaria & aer ad frigidum alteranda erunt, unde conceduntur, oua ſorbilia, hepar gallinarum, ſorbitiones frumentaceæ & permittentibus febribus etiam lac, oriza

dulciarij panes, Amylum & quæcunq; humores obducũt & inspissant & quæ corpora laxata & rarefacta adstringunt, & siccant ut pultes ex halica ex oriza milio, &c. conceditur interdum ob stomachi imbecillitatem, uinum, cæterum aqua pluuialis frigida alias conuenit: secunda intẽtio uersatur circa causam excoriationis quæ si fuerit a biliosa materia primum humores, deinde abrasiones demum sanguinem educente, statim non expectata digestione, euacuanda erit cum Myrobalanis citrinis & rheubarbaro, non usto ut aliqui, & facta aliquali euacuatione, tunc materiam præparamus cũ syr. ros. de citonijs de endiuia Myrtino cum aquis endiuiæ plantaginis acetosæ rosaceæ &c. & facta digestione iterum euacuamus cum Rheub. Et pro roborando hepate epithema paramus cum sandalis rosis aqua endiuiæ Rosarum spodio etc. Deinde styptica exhibenda sunt. Si uero causa fuerit sanguis ultra iam prædicta, uena secetur, tertia intentio est circa excoriationem quæ si fuerit sine ulcere tunc lauare & conglutinare opus est, Lauamus cum aqua hordei, uitellis ouorũ & zacharo rubeo per clysterem infusis, Conglutinamus quotienscunq; in profundo non est immersa excoriatio, sed tantum superiores partes attingit et hoc fit cum albumine ouorum gumi arabico adipe renum caprarum oleo rosaceo cũ bolo armenio dragaganto brodio pingui, uel cum aqua hordei si lauare simul ac conglutinare quærimus omnia per clysterem infusa. Si uero excoriatio cum ulcere iuncta sit, tunc duplex erit intentio quarum prima erit abstergere ac mundificare, secunda consolidare, Mundificamus cũ decocto furfurum frumenti, uel aqua mellis iure cicerũ rub. aqua lactis, urina lixiuio dulci uino rub. Rhodomelle, uel decocto pisciũ salitorum & oliuarum demum cum decocto Troc. de Arsenico &c. Consolidamus postea cum rebus stypticis, quale est

decoctum lentium Rosarum balaustiarum cor, granatorum, sumach coriandrorum, & addimus boli armenij sanguinis draconis terræ sigillatæ Thuris an.3.1. ouorum binos uitellos, ut clystere magis intestinis adhæreat. quarta intentio est fluxus cohibitio, ne ex superfluo fluxu uirtus prosternatur, Idcirco intrinsecus conueniunt syru.ros. de citonijs de granatis Troc. de spodio cum. 5. acetosæ zacharum ros. Triasandali, Myua citoniorum cum corallis spodio sandalis &c. quæ nisi profuerint ad narcotica procedendum ut cum athanasia phylonio romano, uel cum suppositorio ex litio, quod filo complicandum est, ut cum lubeat, possit extrahi, Extrinsecus autem prosunt linimenta ex oleo myrteo Masticino uel de citonijs cum aliquo puluere styptico uel emplastro de diaphinicone mes. Proderit etiam suffumigium siue lauacrum ex uino rub. in quo styptica aliqua incocta sint, lauando manus & pedes uel fumum inferre recipiendo, ferro continue in dicto uino excandescente, &c.

Loci consentientes de cura dysenteriæ.

Paul. lib.3. cap.42. Alimentum erit per initia oua ex lacte, sorbitiones frumentaceæ per se & cum lacte, lac mediocriter coctum holera non sunt necessaria, gustare tamen possunt endiuiam coctam intybum & arnaglossum &c. poma adstringentia dummodo carnes reijciantur cruda æsui danda, & aqua potioni frigida sitq; cœlestis & læso stomacho uinũ propinandum &c. B. lege Auic. 16. Tra. 1. cap. 4. ibi ex cibarijs eligat frigida & facientia conglutinationem &c. & .16. Trac. 2. cap. 7. Ibi & cum uolueris cibare &c. Lege etiam fusius Aet. ser.9 cap.43. & intelliges sigillatim quæcunq; ad uictum pertinent &c. De secunda intentione loquitur Auic. 16. Trac. 2. cap. 7. ibi, oportet te considerare quæ sit dispositio causæ facientis excoriationem & ulcera intestinorum, & an fiat uel

facta sit a ruptura a repletione ab apostemate, & si fiat præpara in abscindendo eam & constringendo ipsam, & si fuerit necessaria euacuatio propter malitiam humoris fluentis fac eam cum timore & cautella &c. Gal. 12. meth. cap. 2. At sanguinis missio quæ. s. uires non deijcit symptoma spectantis medici opus non est, sed eius qui totum affectum adimere studet. B. intellige si in toto fuerit repletio, aut si in causa fuerit iecur sanguinem multiplicans uel sanguis hemorrhoidarum uel menstruorum retentus &c. Auic. loc. cit. Et rheubarbaro inest proprietas mirabilis in ulceribus intestinorum & fluxu excoriatiuo, & proprie quando datur in potu cum aqua Arnaglosse & pauco uino &c Lege Auic. loc. cit. cap. 3. de cura ulcerosi ibi, & multotiens sanat &c et habebis multa pro secunda intentione, Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. Si in superioribus intestinis fuerit ulcus ab epotis medicamentis petendum est præsidium, si uero in humilioribus clysterem submittere magis conuenit. B. hoc idem sentit Auic. loc. cit. ibi, oportet ut cures id quod est in superioribus intestinis &c. De tertia intentione loquitur fusius Auic. 16. Tra. 2. cap. 7. ibi, & non cures in corosione nisi de medicinis conferentibus corosioni et sunt mundificatiua abstersiua cum exiccatione & stypticitate, & quũ scieris quod ulcera sunt sordida mundifica cum eis quæ sunt aqua mellis & fortior aqua salis aqua oliuarum salita, etsi necesse fuerit administra Tro. de Arsenico &c. Lege Gal. 5. meth. cap. 1. ubi methodum sanandi ulcera demostrat, quam non inutile foret, si ad hunc locum transferes, Vide etiam 12. meth. cap. 1. ubi, habet duplicem curandi uiam, altera quarum uacat symptomati altera penitus morbo, lege locum fusius, lege etiam de hac re Arcul. & Sauo.

De. 4. intentione loquitur Auic. eodem in loc. ibi, Et quando non cessat dolor, tunc sedeat infirmus in tinna, in cuius

aqua decocta sint styptica cum aliquanto anethi fænu græci & alteæ, & si adeo gortis fiat ut appropinquet syncopis, non erit excusatio narcoticorum &c. lege de his Marc. Cat. Gord. & Mattheum de grado &c.

Obseruationes circa uictum.

Auic. 16. tra. 1. cap. 4. In cibis eorum oportet ut nõ sit mordicatio, nec salsedo plurima, nec acetositas plurima nociua quæ uirtutem expulsiuam moueant, quantitas cibi sit pauca, secũdo cibaria sint actu frigida ibi, non sumat in potu nisi infrigidatum, Nam frigidum cõstringit, tepidum uero resoluit. tertio. Et rectius est ut non comedant cibos plurium spetierum, quarto & scias quod dormire est ex rebus magis iuuatiuis; quinto. Et si cum fluxu fuerit tussis dimittat, id in quo est acetositas uehemens & stypticitas &c.

Obseruationes circa pharmaca & syrupos.

Marcus Cat. Non exhibeantur solutiua quæ noceant loco ulcerato ut scamoniata. Auic. loc cit. Cunq; administras medicinas tunc incipe cum singularibus, si uero non ualent, tũc tende ad composita, Et sint restrictiuæ aut exiccatiuæ aut constipatiuæ aut infrigidatiuæ aut conglutinatiuæ &c. Et nõ oportet ut sit superfluitas in assatione eorum ne liquefiat eorũ uirtus. B ex his intellige quod noua non sit opinio de non urendo rheubarbaro, sicuti plures existimarunt, sed Auicennæ &c.

Obseruationes circa Narcotica.

Aui. loc. ci. In narcoticis est timor, licet quandoq; accidat, ut sint necessaria, & non oportet ut administrent, quandiu ab eis excusatio esse potest, Et quando necessaria est administratio, non exhibeantur eis quorum infrigidatur corpus & debilitatur uirtus, & id apparet in pulsu &c. Hoc idẽ adserit Alex. libr. 3. cap. 10. ubi de præpostero medicorum imperitorum iudicio facit, Auic. & ex regimine clysteriorum est ut

clyster fiat paulatim per uices, & pinguia clysteria sedant dolorem ulceris corrosiui, sed non sanant.

Obseruationes circa curationem.

Auic.14 cap.15. Nullus creticus fluxus cohibendus est, nisi superfluus fuerit, quia tunc a natura non regulatur, sed a multitudine humorum uel ab eorum acredine prouenit. Item nullus fluxus est constringendus, ni primum materiam peccantem euacuaueris uel saltem minoraueris. Item fluxus diuersorum colorum nunquam cohibendus quia multitudinem humorum ac diuersitatem significat, si uirtus tollerauerit, Item infirmus non adeat sedem quotiēs molestatur, sed retineat etc.

Conferentia dysenterię.

Simplicia frigida ac dysenteriam conferentia sunt, acatia hypocystis balaustia. galla. gumi arab. lutum armenum, spodium, granata. sumach, berberis, acetosa, portulacæ semen, coriandrum, plantago rosa, myrtus, mora, immatura, citonium, glans, aqua calibeata camphora lithargirium, panicum, milium, phlomos, nenuphar, cornu ceruiustum, pira pontica, papauer, lapis ematitis, sanguis draconis, charabæ, agresta, bleta nigra, corallus, corigiola, dragagatum, lactuca, liciū, lentes, nespila, hordeum, opium, partes animalium, semperuiua &c. Composita frigida sunt rhob de ribes de berberis de citonijs, troc. de charabe de terra sigillata de spodio, emplastrum Diaphiniconis mes. electuarium de sorbis michletæ diacitonites diarhodon nic. zacharum ros. triasandali manuschristi parlatum &c. implicia calida sunt uinum nigrum stypticum calibeatum, thus, ciminum anisum cortex, citri, colophonia, laudanum, caseus, coagula, nuclei dactilorum oriza, acorus, althea, aqua piscium salsorum, Butyrum bitumen iudaicū caro leporis, charta combusta in clysteri cypressus fœnugræcū, lignum aloes mastix rheubarbarum adeps caprina, hircina,

arietina, composita sunt theriaca antiqua et phylonium athanasia magna Mes. & nic. troc. de eupatorio &c.

De pronosticis dysenteriæ.

Hip. apho. 4. aph. 24. Difficultas intestinorum si ab atrabile inceperit lethalis est. B. quia nihil ab ulcerato cãcro differt, uel quia nullum pharmacum illi continuo adhærere potest pro expositione apho. huius lege. 22. apho. ibi deiectiones nigræ &c. usq; ad 24. Et aph. 4. aph. 26. a difficultate intestinorum habito si ueluti carũculæ exeant lethale est. B. quia carnem in his concrescere uel cicatricem induci non speramus, nota tamen quod dysenteriam habet triplicem differentiam. Prima quum pinguia quædam corpora excernuntur. 2. quum ex superficie intestinorum interiore, quædam ramenta exeunt. 3. quum intestinorum substantia abraditur, & hæc est incurabilis, &c.

Hip. aphor. 6 aph. 3. In longis difficultatibus intestinorum inedia ex fastidio malum, & cum febre peius. B. intellige si accidat in processu morbi, nam dictum est aph. 7. aphor. 6. In morbo diuturno fastidium cibi malũ. Et aph. 6. aph 43. Quicunq; lienosi difficultate intestinorum capiuntur, ijs superueniente longa difficultate intestinorum aut aqua intercute, aũt leuitate intestinorum moriuntur. Et aph. 2. aph. 14. In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat &c. Et aph. 5. aph. 34. mulieri utero gerenti si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiatur. Et aphor. 6. aph. 48. lienosis difficultas intestinorũ aut dysenteria superueniens, bonum. Et aph. 7. aph. 5. A furore difficultas intestinorum bonum. B. ratione transmutationis quum a capite ad inferiora humores noxij transferantur. Et aph. 7. apho. 24. A deiectione sincera difficultas intestinorum malum, lege etiã aph. 30. li. 7. ibi quibus in alui profluuijs excrementa spumosa

ſunt &c. Aet. ſer. 9. cap. 43. dyſenteria in colo aut recto conſiſtens facile curatur, quæ uero in tenuibus inteſtinis maxime in ieiuno difficulter, ſecundo quæ poſt abſceſſuum eruptiones fiunt, graues ſunt, & quæ cum inflammatione oboriuntur, & quæ cum febre & appetitus perditione, peßimæ quæ pori aſpectum habent, ſuntq; nigra plurima graueolentia, & quæ una cum excrementis pelliculas cum ſordibus mixtas emittunt, tertio magis in his deficiunt mulieres quam uiri, magis ſenes & pueri quam iuuenes &c. Auic. 16. tract. 1. cap. 2. Primum magna effuſio ſanguinis puri poſt dyſenteriam, ualde mala, quia adintima adeo penetrarunt ulcera ut uenæ ſcindantur, Secundum ulcera inteſtinorum perducunt ad hydropem, Tertium conuulſio uomitus ſingultus & cõturbatio rationis poſt dyſenteriam, mortem ſignificant, Quartũ in libr. Hip. qui habet dyſenteriam, & appareat poſt eius aurem ſiniſtram ueluti res nigra ſimilis orobo cum uehementi ſiti moritur in decima & non tardatur nec euadit, &c.

Authores diſſentientes circa dyſenteriam.

1 *Adſerere, omnem uehementem fluxum in principio morbi factum eſſe compeſcendum.*

2 *Adſerere, dyſenteriam a ſanguine deterioris eſſe curæ, quam a bile.*

3 *Adſerere, dyſenteriam ab atrabile ſemper eſſe lethalem.*

Confutatio diſſentientium circa dyſenteriam.

Ad primum, Damaſcenus in aphoriſ. ſi quis per multum tempus neq; uomitum neq; ſolutionem uentris habuit, & ei ſubito eueniet, uidendũ ne reſtringere feſtines quia huic corpus a prauis expurgatur humoribus, unde Aui. 16. tertij, dixit fluxum fluxu curari uerum ſi imbecillitas uirium ex fluxu fieret eſſe reſtringendus. uide concil. differentia. 200.

Ad ſecundum, dicimus quod deterioris curæ eſt dyſenteria

ab atrabile, nam Gal. 4. aphor. com. 24. quæ ab atrabile fit insanabilis est deinde quæ a bile & a pituita salsa, deinde quæ a sanguine.

Obiectio.

Auic. ponit deteriorem esse quæ est per adustionem cholerae amaræ quam nigræ, itidem Halyabb. in sua praxi, quomodo igitur deteriorem dicis quæ ab atrabile fit.

Responsio.

Dico q ratione subitæ impreßionis deterior est quæ a bile adusta fit, sed ratione eradicationis deterior est quæ fit ab atrabile. De hac re lege concil. differentia. 101.

Ad tertium, respondet Gal. aph. 6. com. 43. q qui durũ habent lienem, ijs superueniens dysenteria soluit dispositionem, quare si atrabilis aliunde prouenerit, nec fixam ac permanentem causam in intestinis habuerit, salubris est & non lethalis & hanc solutionem habes ab Auic. 3. can. cap. de solutione uentris omniũ modorũ, & sic non est semper lethalis.

De fluxibus hepaticis.

Omnis fluxus qui uitio hepatis accidit hepaticus solet appellari, & eius species sunt nouem, ut chylosa, pituitosa, biliosa, atrabilaris, sanguinea lotiua fœtida uirulenta, & ultima quando caro hepatis nigra & crassa expellitur chylosa est quando pars chyli uel totus chylus egreditur & hoc uitio hepatis & non uentriculi. Pituitosa duplex altera a craßiori pituita altera ab aquosa.

Biliosa uero etiam uaria & multiplex est iuxta bilis species sicut flaua uitellina praßina eruginosa, &c. Atrabilaris similiter fluxus niger est sicuti sanguis niger, aut nigri uini fex aut melancholiæ per adustionem bilis genitæ, aut melancholiæ naturalis uel per adustionem præter naturam genitæ, Sanguinea quam cruentam uocat Gal. interdum retinet proprium colorem, interdum niger est sanguis, interdũ paucus

aut multis interdum continuus & interpolatus. Lotiua uero est fluxus rei aquosæ quæ tendit ad colorem rubeum, et est sicuti carnis recentis lotura. Fœtida est fluxus rei fœtentis siue sit humor siue sanies siue hepatis substantia corrupta, Virulenta est fluxus rei subtilis tendentis ad citrinitatē aut rubedinem admodum uirulentiæ. Vlt. est fluxus ex quo res nigra non facile diuisibilis egreditur, & est substantia hepatis per putrefactionem uel adustionem separata.

Loci consentientes de fluxibus hepaticis.

Quod tot sint species fluxuum hepatis quot nuper recitauimus lege Arcul. & Sauonarolam & maximæ Auic. ubi facit de solutione uentris omnium modorum, & de expulsionibus rerum ex hepate & splene. Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. Nonnulli antiquorum præter hanc quæ ab ulceratione intestinorū fit dysenteriam, aliam quoq; cruuentam ob excretorum speciem nominarunt, in qua syncerus interdū & plurimus sanguis, interdum ueluti limus & feces ipsius non paruæ quantitatis excernitur &c lege etiam Gal. 2. de loc. aff. cap. 5.

De causis fluxuum hepaticorum.

Causæ chylosi fluxus sunt quinq;. Prima quum chylus est pluris quantitatis, quam pro nutriendo corpore deceat. 2. est paruitas hepatis copiā chyli continere non ualentis. 3. est abscessus, in meseraicis uel in concauo hepatis. 4. est obstructio attenuatoria aut carnosa aut coarctatoria harum partium. 5. est imbecillitas attractricis siue retentricis facultatis etc. Causæ pituitosi fluxus est mala cōplexio frigida hepatis destruēs alteratricem siue digestiuam facultatem, causa aquosi fluxus est corruptio alteratricis facultatis & fortitudo expulsoriæ facultatis, Causa biliosi fluxus est copia bilis genita ab intemperie hepatis calida, uel regimen calidum, qualis est usus ciborum acrium amarorum & salsorum, Item ira, & motus

in Sole, febres ardentes, absceſſus calidi, obſtructiones chyſti= fellei, & quæcunque poſſunt ſanguinem adurere, & bilem gignere, & cæt.

Cauſæ fluxus melancholici, ſunt ſex mala intemperies hepatis calida adurens aut frigida congellans, ſecunda ulcus in ſubſtantia hepatis emittens pus nigrum, tertia obſtructio hepatis qua patefacta exeunt denigratæ materiæ, iandiu retẽtæ, quarta fortitudo uirtutis tales feces ſeperantis ac expellentis, quinta imbecillitas facultatis retentoriæ & alteratricis fecalem fluxum inducentes &c. Cauſæ ſanguinei fluxus uel eſt sciſſura uenæ, uel copioſa eius multitudo, aut obſtructio uenæ chylis, aut abſceſſus aut imbecillitas attractricis facultatis, Cauſæ lotiui fluxus, uel eſt imbecillitas concoctricis facultatis aut retentoriæ, quæ non adeo uſq; chylum retinet, ut perfecte digeri poßit, aut eſt imbecillitas ſecernentis facultatis non ſeperans aquoſitatem a ſanguine ob hepatis imbecillitatem, Cauſa harum imbecillitatum ſunt interdũ mala intemperies aut abſceſſus aut obſtructio, Cauſæ fœtidi fluxus ſunt longa mora humoris retenti in loco præter naturali, uel ulcus uel apoſtema a quibus ſanies male omnes ſecernitur, interdum ipſius hepatis putrefactio, Cauſæ fluxus uirulentis eſt facultas expulſoria humores cretice uel ſymptomatice expellens, uel ſanguinis ex aliquo apoſtemate in hepate aut meſeraicis rupto reſudatio, Cauſæ fluxus ſubſtãtiæ hepatis ſunt putredines aduſtiones ulcera corradẽtia ſubſtantiam hepatis.

Loci conſentientes de cauſis fluxuum.

Vide inter alios neotericos Arcul. de his fußißime diſſerentem, Gal. in art. med. cap 88. de ſignis hepatis patientis. Itẽ de diff. eorum quæ excernuntur, multa habet quæ ad hunc locum adduci poſſunt, Paul. lib. 3. cap. 42. Iecoraria dyſenteria fieri ſolet qui iecur alimentum diſtributum non probe con=

ficit & retentrix eius facultas uel alteratrix imbecillis est, Gal. 1. de na. hum. text. 41. fieri inquit frequentissime a multa sanguinis copia in uenis contenta quæ a natura per uenas, perinde excernitur ac in mulieribus per uterum & alijs per nares uel mariscas: Vide etiam Gal. 9. de comp. med. per loc. cap. 5. Item. 2. de loc. aff. cap. 5. Vide insuper Alex. lib. 3. de Iecoraria dysenteria. Item Gord. & alios neotericos.

De signis fluxuum hepaticorum.

Signa fluxus chylosi sunt nota, illis, qui chylũ cognoscunt, & est albus subtilis, ut ptisana hordeacea, signa quũ fit a paruitate hepatis sunt, quia a generatione contractus est hepar, & quod iuuatur a paucitate cibi. Signa quod fiant ab apostemate siue ab obstructione, sunt satis nota per ea quæ dicta sunt de imbecillitate hepatis, Signa fluxus biliosi cognoscuntur per colorem & substantiam eius quod egreditur, Signa fluxus pituitosi aquosi cognoscuntur ex præcedenti regimine ut ex comestione fructuũ, ex potu aquæ superfluo, Signa malæ conplexionis hepatis & apostematis, & obstructionis patent ex supradictis. Signa fluxus humoris melãcholici cognoscuntur ex colore nigro tendente in rubeum & interdũ est ueluti fex uini uel sanguinis nigri congellati, Si est a caliditate humor magis lucet magisq; fœtet & præcedit liquefactio humorum & fluxus uentris uirulentus & febres, &c. Quando fit a frigiditate adsunt signa in contrarium, &c. Si proueniat ab apostemate rupto primo præcesserint signa apostematis sicuti grauitas dolor & febris continua. Si ab obstructione præcesserunt signa obstructionis. Signa sanguinei fluxus ex hepate, sunt hepatis nocumenta præcedentia, si a ruptura uenæ præceßit casus uel percußio hepatis, sanguinisq; copia egreditur, quæ nec facile nec statim supprimi potest, sanguis acutus cognoscitur ex ciborum acredine,

dine,& ex eo quod per loca dum transit,mordicat, Obstructio hepatis cognoscitur ex grauitate tumore &c. Signa lotiui fluxus cognoscuntur a chylo non probe digesto exeunte simili loturæ carnis,Cognoscitur ab imbecillitate retentricis uel digestiuæ ex caliditate & frigiditate in hepate contenta, Nam a frigiditate debilitatur digestiua siue alteratrix a caliditate retẽtrix uirtus.Signa fluxus fœtidi sunt ipsæ fœtor rei egredientis.Signa uirulenti,sunt signa hepatis calidi sub cute subtili & signa inflammationis hepatis liquefacientis. Signa substantiæ hepatis exeuntis sunt nota,quoties Res exiẽs similis est hepati qui nil aliud est quam sanguinis coagalum, nec diuidi potest, nec in aqua solui sicut frustrum sanguinis concreti, & cæt.

Loci consentientes de signis.

Arcul. omnia hæc signa habet & multo plura quam dixerim. 9.alman.cap.proprio Gal.6.de loc.aff. cap.1. Discernitur hæc a uera dysenteria,quia ab initio tenuis sanies sanguinis ab hepate reijcitur deinde aucto malo crassus humor fecibus uini haud absimilis, Præterea in Iocineris excrementis nihil abrasum expellitur et interim per duos uel tres dies euacuatio supprimitur, sed rursus reddente malo excrementa prioribus multo peiora excernuntur, quod in intestinorũ ulceribus haudquaquam apparet &c.Paul.lib.3.cap.42.si retentrix uel alteratrix imbecillis est sæpe eiusmodi descendunt ut recens ineis caro lota esse uideatur,Lege Aet.de hac re et Alex. Gord.& alios neotericos.

De cura fluxuum hepaticorum.

Fluxus chylosus si a nimia quantitate chyli proueniat, cibus detur in minori quantitate,Si fuerit nimium crassus uel uiscosus dentur attenuantia & incidentia, sicuti ius cicerum & decoctiones aperitiuæ cum rad.fœniculi petroselini &c. Si fiat ab hepatis paruitate cibari debet frequẽtius cum cibis

tenuibus, boni nutrimenti & paucarum superfluitatum, sed parum pro uice. Si fiat ab apostemate, tunc fiat diuersio & euacuatio cum sectione uenæ, Deinde topica suis temporibus congruentia adhibeantur, Si uero fiat ab obstructione uel ex debilitate attractoriæ facultatis, tunc tres opus sunt intentiones, prima digestio quæ fit cum syr. de duabus radicibus bisantino oxymelle simp. sy. de eupatorio de cicorea cũ rheub. cum aquis aperientibus qualis est aqua absinthij, fœniculi cuscutæ cicorij quibus etiam interdum adhibemus syr. de endiuia. ros. &c. Secunda est euacuatio quæ fieri poterit cũ rheu. Agarico pillulis de rheub. de eupatorio. Tertia est malæ cõplexionis derelictæ, in hepate ablatio, quæ perficitur cũ confectionibus & electuarijs qualia sunt Diacalamentum, Diacinnamomũ, Theriaca, Diacurcuma Troc. de laca de Rheubarbaro, de eupatorio. Et in causa calida Diarhodõ Triasandali cum seminibus frigidis aperientibus &c. Omnis præterea fluxus hepaticus siue a caliditate, siue a frigiditate productus, quatuor intentionibus curari debet. Primo Regimine uitæ, secunda remouendo causam ipsius fluxus, tertia roborando omnes hepatis facultates, quarta corrigendo symptomata. Regimen in fluxu chyloso erit ex calidis uel frigidis prout hepati discrasia requiret, ut plurimum tamen ad siccum cum stypticitate aliqua temperata uictus tendat, In fluxu bilioso regimen sit frigidum & humidum cum temperata stypticitate. In fluxu melancholico interdum ad frigidum interdum ad calidum, interdum ad tenuitatem, interdum ad crassitiem, iuxta longitudinem et breuitatem morbi uictus ordinetur, cum uirtutis robore. In fluxu lotiuo sit ex his uictus qui nutrimentum bonum paucarum superfluitatum inferat facilisq; digestionis, spargaturq; per uices. Causa fluxus remouetur in pituitosa fluxu, euacuando primum humorem

pituitosum cum decocto Iridis & myro balanorum chebulorum, & educendo per urinam cum dialaca et uino albo, etc. In fluxu cholerico euacuetur per cholagoga cum decocto prunorum tamarindorum myrobalanarum cit. rheub. etc. In fluxu melancholico cum myrobalanis indis epithimo sena in sero decoctis cum confectione hamec. Et si multitudo sanguinis adfuerit fiat sectio uenæ, & aperiantur hemorrhoides, & menstrua prouocentur, in fluxu lotiuo educatur aquositas multiplicata, per secessum, per urinam, per sudorem. In fluxu fœtido procedatur. Primum cum mundificantibus, & solutiuis, prout humor corruptus exigerit, ut puta cum decocto hordei aut hydromelle oxymelle &c. Similiter in uirulento mundificetur uirus cum decocto prunorum tamarindorum myrobalanorum cit. &c. Roborantur facultates hepatis & discrasia frigida aufertur cum calidis temperatis quales sunt passulæ phistici auellanæ, cinnamomum, hepar, lupi, carolimatiarum crocum &c. In causa calida cum endiuia cicorio. s. sandalis uino granatorum aqua plantaginis portulacæ cum camphora &c. In melancholico cum syr. de absinthio de eupatorio, de epithimo cum diagalanga diacalamento theriaca metridato etc. In lotiuo cum electuario de passulis Aui. & quibuscunq; in capite debilitatis hepatis dictis. Corriguntur accidentia ut si adsit excoriato cum mundificantibus ac abstergentibus, ut puta cum aqua hordei adipe renum capræ albumine oui & uitello, oleo uiolaceo &c. Dolor auferatur cum clysterijs modo abstergẽtibus, modo anodinis, modo stupefacientibus, prout opportunum uidebitur, &c.

Loci consentientes de cura fluxuum hepaticorum.

Auic. 16. tra. 2. cap. 1. Iam sciuisti causas fluxus hepatici, et sciuisti curam cuiuscunq; causæ, oportet igitur ut redeas ad id, & cures malitiam complexionis eius & apostemata &

& debilitatem & opilationem, & repletionem eius .s. unũquodque cum eo quod dicitur in capitulo suo, & cum hæc feceris iam curasti. Lege Arcul. Gord. Marcum Cat. Aet. & Paul. Aegin. & intelliges omnia.

Obseruationes in euacuatione.

Marcus Catin. oportet cauere ne euacuemus cum rebus nocentibus hepati, ideo utimur rheubarbaro, in infusione.

Obseruationes in topicis agendis.

Auic. 16. tra. 2. cap. de cur. fluxus hepatici, & multotiens linit insipiẽs hepar in hac assellatione cum inspissantibus sanguinem & extinguentibus hepar per hoc quod sunt frigida, & in hoc est mors & præparatio ad putrefactionem, &c.

Conferentia fluxui hepatico.

Conferunt fluxui hepatico bolum cipricum potũ uel per clystere impositum emplastrum diaphiniconis mes. & quæcunque supra recitauimus, &c.

De pronosticis fluxuum hepaticorum.

De fluxu chyloso loquitur Arcul. sic fluxus chylosus nisi pendeat ab apostemate ut plurimum curatur.

Hippo. aph. 7. apho. 56. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs uenter aqua repletur & moriuntur.

Arcul. fluxus cholericus perducit ad excoriationem & ulcera intestinorum, prout cholera erit magis uel minus acuta ac adusta, & curatur nisi ab apostemate ortum habuerit. De fluxu melancholico lege aph. 4. aph. 21. ibi deiectiones nigræ qualis est sanguis niger sponte uenientes siue cum febre, siue sine febre pessimæ, &c.

Et aph. 4. aph. 22. Morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis uel supra uel infra exierit læthale. Et apho. 4. apho. 23. Quibuscũq; ex morbis acutis aut diuturnis uel ex uulneribus siue quouis alio modo extenuatis, nigrabilis siue uti sanguis

niger desubter exierit, postridie moriūtur. Et aph. 4. aph. 24. Difficultas intestinorum si ab atrabile inceperit læthalis. Et aph. 4. aph. 25. Sanguis quidam supra, qualiscunq; fuerit malus, infra autem bonus est. Arcul. fluxus sanguinis nigri fœtentis & sanguinis rubei est deterior quam fluxus nigri, alij uero fluxus si ab humoribus ortum habeant ut plurimum curantur, si ab apostemate uel ulcere nōnunquam aut difficulter sanantur.

Authores dissentientes circa fluxum hepaticum.

1 Adserere, in omni fluxu hepatico conuenire styptica.
2 Adserere, in fluxu hepatico tenuē uictū nō esse exhibendū.
3 Adserere fluxum hepaticum esse facilis curationis.

Confutatio dissentientiū circa fluxum hepaticum.

Impugnat primum Auic. 16. tertij, de cura eius ubi inquit illud quod cadit de errore in hoc est ut dentur illi qui habet fluxum hepaticum opilatiuum, medicinæ constipatiuæ, addentes in opilationem, ipsam confortantes ut stringant materiam, & id ad errorem maximum perducit.

Ad secundum, respondet conciliator differentia, 202. dicēs sunt quidam modernorum qui in hac paßione præcipiunt non esse dietam tenuem exhibendam, cuius contrarium indicat Auic. dicens in assumptione aselationis hepaticæ plurimū est ut non appropinquet panis, quia hepar non recipit ipsum immo, rectius est, ut sit contentus aqua sauic bis in die. &c. Igitur iuxta conciliatorem & Auicen. tenuis uictus conuenit, & non econtra, &c.

Ad tertium, Halyabbas. 7. practicæ Dysenteriæ hepaticæ medella per difficilis est, & per pauci liberantur ab ea, & subdit, multi enim parum cognoscunt hepatis debilitatem et eius causam. Gal. 5. de loc. aff. quosdam cognouisse ait, quibus fluxus hepaticus acciderat ex debilitate hepatis et perijsse ex

pauca curatione. Praeterea *authores succintam huius morbi causam idcirco scribunt quia parum fidunt de eius salute & sic potius est incurabilis quam curabilis &c.*

De tinesmo. i. intestinali fluxu.

Tinesmus est mala recti intestini dispositio, in qua egerendi prompta quaedã cupiditas cum gemitu ac conatu aegri adest, paucis admodum sequentibus excrementis muscosis ac sanguineis. Hic duplex *est uerus & mendosus.* Verus *quum causam sui recto intestino affixam tenet,* Mendosus *quum causa non est fixa, sed aliunde ueniens eum* producit *sicuti materia fluens per intestina ad anum &c.*

Loci consentientes de tinesmo.

Gale. lib. fin. med. Tinesmus est dispositio recti intestini ad partes inferiores pertinens, in qua impetus cupiditatesq; desidendi plures, sed paucae excretiones sequuntur &c. Aet. *ser. 9. cap. 43. Tinesmus est egerendi promptitudo quae differri ac deuitari non potest, nihil tamen praeterquam pauca cruuentum aspectum habentia* propellens *& caet.* Lege de hac re Paul. *lib. 3. cap.* 41. Et Gale. 6. *de loc. aff. ca. 1. ibi, at ulcera quae recto intestino oriuntur &c. lege etiam Mar.* Cat. *& Arcul Auic* 19. *tra. 2. cap. 16.* Primum *oportet te scire in dispositionẽ tinesmi, an sit tinesmus uerus an tinesmus mendosus, &c.*

De causis tinesmi.

In genere considerandum, num causa in lõganone existat uel a supernis partibus descendat, Si causa erit fixa in recto intestino tunc erit uel inflammatio uel ulcus corrodens, uel fistula uel occultae hemorrhoides uel ragadiae uel abscessus durus, Si uero a supernis partibus defluat, uel erit humor impactus pungens ac stimulans ut pituitosus salsus biliosus aut atrabilaris adustus, uel erunt cibi acuti salsi uiscosi, uel pharmacum acutum mordax, aut suppositorium acre, uel

mala intemperies frigida absq; alio complexu, &c.

Loci consentientes de causis tinesmi.

Paul lib. 3. cap. 41. Causa tinesmi est inflammatio in longanone facta cum molli ac laxo tumore, quod ædema uocãt, quæ stercoris insidentis suspitionem præbet, quod exitũ quærat. Auicen. 16. tract. 1. Et causa zair. i. tinesmi, aut est apostema calidum aut durum, aut mollificatio lacerti, aut tensio ex qua lacertus impeditur, ab operatione sua, aut superfluitas salsa aut baurachia aut chylus grossus, aut cholera ingrediẽs, aut frigus adueniens, aut longitudo sessionis super durum, aut crassities fecis aut eius durities aut hemorrhoides aut fistula, aut ragadiæ, aut rugitus, aut corrosio, aut grauitas sensata &c. lege Arcul. & alios, &c.

De signis tinesmi.

Signa quod adsit tinesmus sunt desidendi cupiditas cum conatu ad excernendum, ubi primũ pingue deinde muscosum, & cruentum egeritur. Signa inflammationis uel abscessus sunt grauitas dolorq; continuus, qui nec emissione stercoris, remouetur, excrementaq; difficulter excernuntur, mollientia & anodina ualde conferunt alijs in contrarium lædentibus. Signa ulceris sumuntur a præcedentibus rebus, ut ab humoribus ulcerãtibus sicut in dysenteria aut a fluxu flauo prasino & nigro præcedente, aut ex abscessu ad uomicam deueniente, aut ex pharmaco exulcerante iam assumpto. Signa fistulæ & hemorrhoidarum uel ragadiarum cognoscentur ex his quæ suis in locis dicentur. Signa humorum sunt quia si a bile efficiatur tinesmus cognoscetur ex uictu præcedente bilem multiplicante, & ex alijs bilem indicantibus sicut ex punctione in recto intestino, ex flauis excrementis, & quod a calidis læditur &c. Si pituita, cognoscitur a pituitosis excrementis a pruritu in intestino recto & ab alijs pituitam in=

dicantibus, si ab intemperie frigida absq; alio complexu, ade rit desidendi uoluntas & conatus ad excernendum, sed nihil egreditur a calidis deinceps iuuatur. Si a flatu incluso, tunc indicium erit quod emisso flatu statim tinesmus cessat & retento augetur &c.

Loci consentientes de signis tinesmi.

Aet. ser. 9. cap. 43. In principio si grauis distentionis sensus circa imum uentrem fiat, & maxime circa partem dextram coniectare oportet stercorum multitudinem in cœco intestino insitam esse &c. Gal. nulla alia signa ponit præter quædam communia, quæ sunt desidendi cupiditas cum conatu ad excernendum ubi primo, pingue deinde cruentũ egeritur, &c. Auic. 16. cap 3. multa signa affert, ibi, tinesmi autẽ diuisiones significant id quod egreditur &c. Vide in hoc Razen. 8. cont. & Arc. 9. alm. De curatione tinesmi.

Si causa tinesmi fuerit bilis uel pituita salsa tũc clysterijs lauatiuis indiget, sed primum prohibeatur causa antecedens cum diuersionibus & euacuationibus deinde causa coniuncta; remoueatur cum clystere ex aqua hordeacea zuch. & uitellis ouorum in causa calida parato, aut in frigida cum rhodomelle aqua cicerum sero caprino, &c. Quod si ab inflammatione uel alio abscessu fieret tinesmus, considerandũ num per uiam defluxus fiat, & tunc fluxus causam euacuatione et diuersione si opus fuerit, amputabimus. Euacuatio fiet per sectionem uenæ uel cum pharmaco leniente. Diuersio fiet cũ urinam uel sudorem prouocantibus cum cucurbitulis frictionibus &c. In causa coniuncta si fuerit calida in principio repellendum cum anodinis ut cum oleo rosaceo myrtino, & in causa frigida cũ oleo camomillino anethino sysamino. In augmento repellentibus, calida resoluentia & emollientia addantur, quale est oleum liliorũ alborum adeps renum capræ

bdellium butyrum. Quod ſi ab ulcere fiat tineſmus, tunc eductis primum ſi quæ fuerint fecibus, ulcus abſtergatur cum hydromelle, uel rhodomelle, uel ſi putredo cogat, addatur aqua ſalſa, uel decoctio aluminis quibus interdum addi poteſt unguenti Aegyptiaci untia una, quo deinde repurgato, tunc his quæ ad cicatricē perducūt, opus erit. Si uero fiat a fecibus ſiccis curetur cum emollientibus ſæpe reiteratis. Si a mala intēperie frigida cum calefacientibus tam in uictu q̃ in medicamine exhibitis. Si ab intemperie calida, cum refrigerantibus anodinis. Si a flatu per ea quæ flatum reſoluunt. Quod ſi dolor magis urgeat, nec per anodina ceſſare uelit, tunc urgente neceßitate ad ſoporifera ueniendum, inter quæ laudatur, ſuppoſitorium de licio fillo tamē appenſum, ut ad libitum poſſit remoueri, item Athanaſiæ Nicolai. 3. 1. & c.

Loci conſentientes de cura tineſmi.

Aet. ſer. 8. c. 43. Si impacta fuerit ſtercorū multitudo in cæco inteſtino, tollēda erit cū emolliētibus clyſteribus, ut furfurū decocto fœnigræci melle oleo etc. lege eū fuſius. Aui. 16. t. 2. c. 16. Si fuerit fex ſicca cura cū clyſteribus lenitiuis. Si fuerit caliditas indigebis eis quæ ſunt caſia fiſtula & ſy. uiolaceus. Si fuerit cauſa frigus adueniens cum potionibus & clyſteribus calidis & c. Et ſi fuerit cauſa apoſtema calidum, ſtude in retinēdo id quod currit ad apoſtema et curetur in principio ſui cum phlebotomia et cū minoratione cibi & c. lege eum fuſius, lege etiam Arcul. 9. alman. & Mar. Cat. & reliquos practitantes, Serapio, cura tenaſmonis uertitur ad cauſam & ad morbū ad cauſam triplex intētio, Prima prohibitio materiæ imbibitæ in inteſtino. 2. eius reſolutio. 3. eſt ſedatio acuitatis materiæ & æquatio malæ cōplexionis eius etc. Razes lib. diuis. c. 7?. In fine, inquit, iuuantur habentes tenaſmonē ſuppoſitione colyrij pluſquā reliquis curationibus etc.

Obseruationes in curatione.

Arcul.9. almans. clysteria communiter debent esse paucæ quantitatis ut decem uel 12. untijs non enim oportet ut transeant ultra intestinum rectum, & cum hoc melius retinentur, Item colyria sint usq; ad digitos septem. Auic.16. tra. 2. cap.16. Et scias quod frigus facit tenasmon in pluribus horis.B. quia materiam frigidam siue calidã impingi illic cogit.

Arcul. sint omnia cibaria humida insipida paucæ dulcedinis uitentur sicca amara acria salsa acetosa, & quæcunq; fecem exiccãt & exasperãt. Vide Aui. ibi, & cũ eum cibas, etc.

Inducentia ac conferentia tinesmo.

Inducunt tinesmum, colocynthis, euphorbium, sarcocolla, scamonium, conferunt tinesmo adeps porci capræ clysterizatus balaustia bdellium brasica cauda equina, colophoniæ suffumigium fœnugræcum, ferruginis cum aceto suffumigiũ, gumi arab. Ius galli ueteris, piscium, charabe lac asini, litiũ lini semen coctum cum oleo ros. Malua, meu encatisma, factum, nasturtium myrrha cum olibano et croco, oleum persicorum origanum pini cortex porrum psylium sauina spica, storacis suffumigium, phlomos, Therebentina Ruta, confectio de storace mes. electuarium nigrum haly. 16. ant. Michleta Auicen. 4. 5. Troc. de Almezereon, de balaustijs Aui. 8. quinti, & cæt.

De pronosticis tinesmi.

Razes.8. cont. tenasmus plurimum fit post dysenteriam, et quod non fit post dysenteriam est leuioris curæ, idem adserit Auic. dicens facilius est id quod non succedit dysenteriæ Hyp. aph. aph. γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἐπιγενόμενος τεινεσμὸς ἐκτρῶσαι ποιεῖ. *i. Mulieri in utero habenti tinesmus innatus abortire facit, qui aphor. tantum in translatione Constantini inuenitur, nulla nec a Theodoro, nec a Leoniceno facta men=*

tione Auic.16. Tra. i. cap. 2. Et singultus cum accidit habentibus fluxum uentris, & proprie habentibus tinesmum est significatio mala significãs siccitatẽ facientẽ arefactionẽ, etc.

De doloribus in genere.

Altius nunc exordiar, de doloribus in genere aliquid demonstrans, deinde ad morbum colicum me conferam. Dolor est tristis sensatio a subita ac uiolenta mutatione facta, et tantummodo ad tactum & non ad alium sensum pertinet, Dolorum igitur differentiæ sumuntur a loco, ut si dolor sit in omnibus intestinis, uel in eorum parte, Si uero sit in omnibus, tunc erit uel cum motu, uel cum quiete, Si cum motu, erit tertio, si cum quiete uocabitur nomine generis, dolor, At si in parte uel erit, remissus & uocatur ab Auic. punctio, uel intensus & in crassis intestinis, & erit colica dispositio. Si in gracilibus erit ileus siue uoluolus, Rursus dolorum species sunt sex. s. punctoria, Grauis stimulans, extensiua pulsatilis, & ulcerosa, Punctorius dolor circa membranas potissimũ consistit, Grauis circa hepar lien renes, Stimulans circa partem oßibus uicinam & in cute fieri potest. Extensiuus pertinet ad partes quibus nullæ sunt arteriæ, ut membranæ cutis, Adenes quibus nullæ insunt arteriæ nam inflammatæ extensiuo tantum dolore uexantur Pulsatilis circa ipsas arterias uel in partibus ipsas continentibus & in inflammationibus consistit, Vlcerosus non solum ad cutem sed ad imas quoq; partes uelut ad ossa extenditur.

Causæ horum sunt, quia punctorius ulcerosus & stimulans fiunt a bilioso uel a pituitoso humore salso aut a corrupto sanguiue aut a uermibus suis aculeis pungentibus, aut a quopiam ulcere, Grauis uero extensiuus ac pulsatorius a materia pituitosa crassa, uel ab atrabile grauante & extendẽte uel a flatu incluso aut a copia alicuius materiæ extẽdẽtis etc.

Loci consentientes de doloribus in genere.

De diff. doloris lege Gal. 12. meth. cap. 7. Item de elemẽtis primo. Item in lib. de placitis hip. & platonis. Quod ad sensum pertineat lege Gal. in libro de consti. art. med. ca. 8. Item de Inæquali intemperie cap. 3. Item. 3. de sympt. diff. cap. 3. uide de diff. Dolorum Auic. Arcul. & plerosq; alios practitantes. De speciebus dolorum lege Gal. 2. de loc. aff. cap. 3. 7 & 8. ubi loquitur de morbo colico.

De dolore colico.

Morbus intestini plenioris quem Græci colicon uocant, nihil aliud est quam dolor satis intensus in intestinis crassis, maximeq; in colo uocato, cum quo ea quæ a natura ad inferiora expelluntur, difficulter exeunt ut sunt humores excrementa uermes flatus.

Loci consentientes de dolore colico.

Gal. lib. finit. med. Colica dispositio est constitutio plenioris intestini diuturna in qua spatijs temporis interiectis cruciatus intollerabiles, difficultates spirandi sudores perfrictionesq; adoriuntur Auic. 16. Tra. 3. cap. 6. Colica est passio integra intestinalis dolorosa cum qua fit difficilis exitus eius quod egreditur per naturam, &c.

De causis doloris colici.

Causæ uel per se uel per consensum fiũt, per se binæ sunt, altera a mala intemperie cal. frig. sicca, non autẽ humida quũ per se dolorem nõ efficiat, Altera a soluta continuitate, Intemperies calida dupliciter colicam efficit, uel nimis calefaciendo uel nimis resoluendo & feces exiccando, Frigida uel obstruendo, uel facultatem expulsoriam imbecillem reddendo. Soluta continuitas fit ab incisione exesione fractione tentione, & tunc uel ab humore acri uel multo uel flatu uermibus & abscessu. Causæ per consensum fiunt uel a uentriculo

humores uel flatus aggregante, uel ab hepate uel liene, materias ad inteſtina expellente, uel a renibus lapidem patientibus, uel a ueſica, aut utero abſceſſum patiente aut a toto ſicuti in febribus, quum ex uenis ad inteſtina humores extrudantur, &c.

Loci conſentientes de cauſis doloris colici.

Gal.12.meth.cap.7. Porro naturalis notitia nos docet uitium id corporis ex quo ſit doliturum aut continuitatis diuiſionem eſſe aut alterationem aliquam, primum illud ſpeculabimur, cuiuſnam naturæ eſſe debeat quod continuitatem ſoluit, Neceſſe igitur eſt quod ſit uel ruptio uel contuſio uel eroſio &c. Et in art.med.cap de ſig. Thorac. Dolor quemcunq; obſederit locum, aut continuitatis ſolutionem, aut ſubitam alterationem oſtendit, ſoluitur continuitas inciſione exeſione fractione tentione, Alteratur ſubſtantia a caliditate frigiditate &c. lege etiam Gal.2. de loc.aff.cap.5.

Pau.lib.3.cap.47. Dolores grauiſsimi fiunt plures ob cauſas uel enim a craſſo & pituitoſo humore intra uenas ſubſidente, uel a ſpiritu craſsiori flatuoſoq; exitum non habente, aut ab inteſtini inflammatione uel ab ulceribus ac mordacibus ſuccis infeſtantibus &c. Lege de his Gal.4.de loc.aff.ca.7.ibi, plures ſunt diſpoſitiones, quas per uehementes motus dolor comitatur etc. Et Auic.16.Tra.3.cap.8. has cauſas etiã enumerat & multifacit obſtructionem ex qua fieri colicam aſſerit, Vide illũ fuſius, Vide etiam de cauſis ſpiritus flatuoſi Gale.12.meth.cap ult.ubi a duplici cauſa fieri inquit &c.

De ſignis doloris colici.

Indicia incipientis colicæ ſunt, quia primũ minimũ quid excernitur, cõſuetudoq; excernẽdi uariatur, appetitus minuitur, quum uero ad incrementũ tendit, dolores creſcunt, aluus ſiccior euadit, ita ut flatus ne qdẽ egredi poſsit. Vigiliæ ſitisq;

multiplicantur etiam si quid excernitur simile bubulo ster= cori cernitur, quum uero ad salutem tendit excrementa ac flatus exire incipiunt, dolor de loco ad locum mutatur, nec adeo frequẽs est, sed per enemata remittitur, Si uero ad mor tem tendat dolor est intensissimus non minuitur non remit= titur, nil excernitur, uomitus ad uomitum succedit, sudor fri= gidus apparet, &c. Signa distinguẽtia colicam a nephritico sumuntur a quantitate, a loco, a motu, ab exeuntibus, a causis præcedentibus, a quantitate quoniam nephriticus dolor par uum occupat spatium, colicus quam maximum, nam totum uentrem & stomachum obtinet, A loco quoniam nephri= ticus in renibus, Colicus Paulo altiori loco cõtinetur, A mo= tu quoniam colicus ad plures partes mouetur, Nephriticus fixus ac immobilis permanet, Ab exeuntibus, quoniã in co= lico feces retinentur, sed non in nephritico, uerum Areno= sa materia in urinis apparet, A causis præcedentibus, quia in colico deijcitur appetitus, Nausea & uomitus fiunt gra= uiores, sed in nephritico non ita, sed præcessit urina areno= sa uel crassa, Signa interstinguentia, colicum a dolore uteri, sunt, quia ad inferiora uelut ad pubem & coxas dolor ute= ri, sed colicus ad superiora magis tendit. Item in dolore ute= ri præcesserunt mensium suppreßiones et si aluus leniatur ac feces educantur, non cessat, At colicus habita sede placatur, Item in dolore uteri mulieres suffocari uidentur ex uapori= bus eleuatis, quod colicæ non accidit &c. Signa humorũ co= licæ sumuntur ab ætate regione tempore uictu præcedente & similibus, Signa pituitosæ colicæ habentur, si uictus pitui tam generans, si senilis uel puerilis ætas si hyems, si regio fri gida & humida præcesserunt, si satietas cruditas otium, si adsit grauitas, si obtusus dolor, si longioris moræ absq; du= bio colicam pituitosam esse conijcies, Caue tamen ne inter=

dum ex siti & inflammatione & urina rubea decipiaris tanquam colicam calidam putans ut inquit Auic. quoniam illud cōmune est omnibus colicis. Signa flatuosæ colicæ sunt, quia præcesserunt causæ flatus sicut potus aquæ frigidæ holera fructus, ructus extēsio, nulla adest grauitas sicut in pituitosa. Interdum etiam inflatio manu percipitur, nec egrediētibus humoribus dolor mitescit eo quod in tunicis crassus flatus retinetur, Signa colicæ ab inflāmatione sunt tumor durities tensiua, dolor continuus extendens grauis permanens ac pulsās, febris acuta, sitis uigilia, & interdum urinæ retentio similiter cum stercore ob abscessum uias comprimente.

Loci consentientes de signis doloris colici.

Gal. 2. de loc aff. c. 5 protinus affecto colo inflatio quædam & extensio & flatus complures & tormina & excrementa flatibus plena uidebuntur, quæ stercori bubulo silentur, quin etiā cibi tū cupiditates tum cōcoctio deterior euadit etc.

Lege Auic. 16. Tra. 3. cap. 7. ubi de signis colicæ absolutæ agit, & inuenies quæcunq; a me sub breuitate enarrata sunt, Lege etiam Razen. in. 9. almans. cap. de doloribus uentris, et ibi etiam Arcul. Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. & . 2. ponit signa interstinguentia colicum a nephiritico, ibi, primum uomitus & nausea urgent, sed grauiores & magis aßidui dolente colo &c. Lege etiam Aui. 16. Tra. 3. c. 10. Paul. lib. 3. cap. 43. Qui ex humore pituitoso laborāt per totum abdomen, ac si pertunderetur colon, in alto excruciantur, Adsunt tormina, ructus, Nausea, uomitus potißimum pituitæ, aluus retinetur, Præceßit continuus ciborum frigidorum craßiq; succi usus, satietas cruditas otium &c. Lege Auic. 16. Tra. 3. cap. 11. ibi quandoq; significat colicam phlegma anteceßio causarū phlegmatis ex satietate nauseatiua, & ex speciebus ciborum & ætas & regio & hora &c. Lege Gal. 12. meth. cap. ult. nam

multa indicia declarat dum curam aggreditur.

De cura doloris colici.

Omnis dolor in genere curam admittit dupliciter, primo remouendo eius causam, qua ablata dolor euanescit, sed quia in ablatione causæ plura requiruntur ut sunt humorum præparatio, Reuulsio, Resolutio, & euacuatio quæ morã ad longum tempus trahunt, Idcirco alia insurgit curandi intentio, quæ est doloris remotio cum anodinis ex caliditate ac humiditate temperata constantibus, ex quibus plerunq; mala intẽperies illius membri aufertur, quibus etiam non proficientibus. 3. medendi intentio oritur. quæ dolorem cum narcoticis membra stupefaciendo remouet alijs præsertim non iuuantibus. Si igitur inducias dederit dolor ab ablatione causæ incipiemus, Si minus. sed intensißime ægrum cruciet cum secunda intention, procedemus. s. cum anodinis dolorem mitigantibus, quæ tum intrinsecus cum extrinsecus applicari possunt in quorum numero laudantur enemata anodinia et lenitiua sicut ex decocto camomillæ anethi mellilotí. s. lini fœnugræci Maluæ alteæ cum ontia casiæ extractæ & tantundem zuchari cum oleo de. s. lini butyro &c. Conueniunt etiam Iura pinguia cum croco aqua decoctionis camomillæ &c. Extrinsecus conueniunt inuntiones cataplasmata fœtus balnea quæ parari possunt ex oleis camomillæ anethi &c. cataplasmata ex rebus anodinis &c. quæ omnia nisi contulerint ad narcotica transeundum, inter quæ debilior est egethea quæ stupefacit & resoluit, parum ualidior athanasia, Valentius est philonium, A proprietate curant colicam, stercus lupi, ossa mespillorum castoreum, lumbrici tesrestres puluerizati. Cura colicæ pituitosæ quinq; intentiones requirit, prima est uentris lenitio, secunda est humorum digestio tertia est euacuatio, quarta residui resolutio ac membrorum roboratio, quæ

inten=

tiones non solum in pituitosa sed etiam in biliosa & melancholica conducunt, Ventris igitur lenitio perficitur per lenientia, qualia sunt clysteria cum caßia zucharo hieræ simp. &c. Digestio fieri potest cum syr. de duabus rad. bisantino oxymelle simpl. & rhodomelle, modo materia sit uiscosa ac crassa, Euacuatio perficitur cum hiera simpl. cum diaphinicone, &c. Et nota quod materia in uijs ductuum existẽs, absque alia præparatione euacuari debet iuxta duo carmina a Iacobo Forliuiensi posita quæ sunt, Synocha cum colica frenesij squinantis & antrax, Materias crudas euacuare iubẽt, Resolutio residui fit cum oleis rutæ liliorum alborum camomillæ in quibus concocta sint cyminum fœniculum Abrotanum pulegium anisum etc. uel fiat cum electuarijs calidis, ut cum diamusco electuarij de baccis lauri, Aromatico ros. Dia galanga diacimino &c. Cibaria sint in colica lenientia ac roborantia ob appetitus imbecillitatem, sintq; calidiora & sicciora in frigidis doloribus qualia sunt porra & Allia, sed ab initio morbi ieiunare oportet, In sequentibus diebus cibaria sint boni succi, Vitentur cruditas & satietas, In doloribus a materia acri, Victus sit humidior & frigidior uitẽtur acria tam in cibo quam in potu, Vitentur etiam in genere omnia holera legumina graueolentia &c. Conueniunt aqua carnis, uitelli ouorum, medulla panis in uino caricæ & passulæ &c. Cura fecum siccarum perficitur cum lubricantibus ac mollientibus ut cum clysteris ex camomilla anetho althea Violis fœnugræco cum oleo amyg. dulcium butyro &c. uel cũ Iure galli in quo coquantur Tamarindi sebesten &c. Cura inflãmationis in colica, est ut primũ sanguis mittatur a uena cubiti, secũdo considerandũ, num inflãmatio ad suppurationẽ, uel ad resolutionẽ tẽdat, Si ad resolutionẽ in primis repercutientia, In incremẽto resoluentia cũ repercußiuis et molliẽtibus,

In statu discutientia cum mollientibus conueniunt. Si ad suppurationem, tunc suppuratio adiuuanda deinde ad uomitum irritanda quæ rupta abstergentibus primo, & lenientibus, deinde conglutinatione indiget.

Cura flatuosæ colicæ consistit tantum in resoluentibus flatum qui si habeat materiam fouentem frigidam obstruentẽ, primo abstergentibus lenientibusq; clysterijs, deinde incidentibus ac attenuantibus & de obstruentibus indiget, quibus pactis educatur materia fouens deinde resoluatur flatus.

Loci consentientes de cura doloris colici.

De cura in genere lege Arcu. & Mar. Cat. De cura pituitose colicæ, lege Gal. 12. meth. cap. 8. ibi, Dolores igitur quos humor crassus excitauit &c. Et de cura biliosæ, ibi, sin mordens humor sit qui affligit &c. Et de cura ex inflammatione facta, ibi in eodem loco, si sanguinis abundantia sit quod distendat ueluti in phlegmone fieri solet protinus ubi uires ægri, ualentes fuerint, sanguis mittendus est, &c. Et de cura flatuosæ etiam ibi, mentionẽ agit, ibi pari ratione qui ex flatuoso spiritu &c. Auicen. 16. tra. 4. cap. 2. etiam curam habet, ibi curatio uera est incisio causæ &c. lege Paul. & Aet. fusius de hac re. De cibarijs loquitur Auicen. 16 tra. 4. cap. 28. et 27. ibi colici indigent cibo leniente & roborante ob imbecillitatem appetitus &c. Lege etiam Paul. lib. 3. cap 43. ibi, In doloribus frigidis uictus sit calidior & siccior & per initia morbi a cibo abstinendum, deinde acria assumantur ut porra & alia in sequentibus sint boni succi concoctu facilia &c. lege Aet. ser. 9. cap. 30 particularem de uictu mentionem facientem. Lege etiam Razen in diuis. ibi, quum sedatur dolor etc.

Obseruationes in uictu.

Auicen. 16. tract: 4. cap. i. In regimine colicæ interdicatur repletio, & si qua sit per uomitum expellatur, item sitis tol=

leretur, aut si abstinere nequeat, bibat parum &c.

Obseruationes in curatione.

Marc. Cat. oportet aduertere ne differatur cura colicæ, quia est dolor intensissimus cito uirtutem prosternens &c.

Obseruationes de soluentibus pharmachis.

Auic. loc cit. Cauendum ne in principio pharmacum ualde solutiuum exhibeatur, nam humores & schibalæ sunt plures & forte penetrare non possunt. sed incipiendum a lenientibus ac lubricantibus & c. 2. In tribus casibus medicamenta ualde soluentia exhiberi debent. Primus si materia antecedens inconiunctam causam transeat ut si a uenis ad intestina. 2. si humores adeo crassi existant qui nec clysterijs uel leui pharmaco educi possint. 3. si usq; adeo uehemẽs sit obstructio ut nullo pacto per prædicta aperiri possit, itẽ nullo modo hieræ addatur agaricus, nã facit eã retineri & profundari &c.

Obseruationes in clysteribus.

Auic. loc. cit. debemus esse contenti de clysteribus, quoniam a longinquis partibus non attrahunt, nec humores commouent, nec febrem excitant sicut pharmaca solutiua præterea clysteres absq; nocumento reiterari possunt. 2. Si clysteres acuti non soluunt super sedendum, donec concocta sit materia, quandoq; enim hepati cordi & capiti sua acredine nocent. 3. Non fiant clysteres si quid crudi fuerit in uentriculo ne ad inferiora trahatur, & hoc aduerte propter eos qui in omni colica, & in omnibus horis enemata imponi iubent. Marc. Cat. si in intestinis causetur excoriatio non debemus fortia & acuta clysteria administrare. Sed loco eorum lauatiua & dolorem sedantia. 2. quod æger se taliter debet situare ut clysteria declinent ad locum doloris. 3. ꝗ reiterãda sunt pluries. 4. ꝗ suppositoria debent esse longa ad mensuram septem digitorũ ut uirtus eorum possit lõgius cõmunicari etc.

Obſeruationes de Narcoticis.

Mar.Cat. Non debemus narcotica a principio approximare, ſed quando alia non ſufficiunt quia ex his materia infrigidatur ac incraſſatur, ſi fuerit frigida, ſi opilatiua magis opilabitur, ſi uentoſitas magis incraſſabitur. Hoc idem ſenſit Gal.12. meth.cap 8.ibi cauendus eſt magnopere in affectibus qui a craßis & glutinoſis humoribus fiunt &c. Item dicit quod extrinſecus hæc adhibentur, & ſi intrinſecus præbeantur ſint bene retificata, &c.

Obſeruationes de balneis & fomentis.

Auic. 16.tra.4.cap.1.Cauendũ ne caput uapores balneorum & fomentationum ſuſcipiat & hoc cum frigidis applicitis. Mar.Cat. Non debemus uti fortibus calefactiuis, neque applicentur alia fortia reſoluentia ubi ſtet repletio materierum, nam augent dolorem & materias craſſas ſubtiliant & in uentoſitatem conuertunt, nec competit remedium de alleo a Gale.7.meth.cap.15. deſcriptum niſi ſit minorata materia.

Nocentia & conferentia dolori colico.

Inducunt colicam aqua aluminoſa, capita animalium, caſeus, uſus citri, citonia pontica cucurbita, faba, fungi, granatum ſylueſtre, lac omne, melones, menta, hordeum, pira, tubera, &c. Conferunt ad colicam amygdalæ amaræ & dulces apium, betonica, calamentum chamaleonta cartamus catapu tia caßia fiſtula, centaurea colocynthis, enula, eſula, euphorbium, galanga galerita auis, cardellus, gith, ius galli decrepiti, hyoſciamus laurus limaciæ matricaria myrobalani chebuli, naſturtium, ozimum, cyclamen, polypodium, radix piperis, ruta, ſagapenum, ſiſamus, ſtercus canis capræ columbi lupi porci, urtica, aqua mellis, ferrea, diaphinicon, electuarium de baccis lauri diapraßium nic. diacitoniten laxatiuũ, diaciminum, electuarium indum eleſcoph, phylonium rom.

oleum de carthamo, laurinum, rutaceum, de piperibus, nardinum, liliorum, pillulæ iliacæ almans. fœtidæ maiores mes. sagenea Auic. theodoricon magnum Auicen. thyriaca magna troc. de uiolis troc. de epithimo.

De pronosticis doloris colicis.

Hippoc. pronost. 2. ca. 13. Dolores qui cum febre affligunt circa lumbos & inferas sedes, si præcordia attigerint, inferas sedes reliquētes exitiales admodū sunt, sed consideranda sunt alia signa, nā si quod horum prauū fuerit desperandus est æger. B. Intellige de his quæ symptomatice mouētur ab una parte ad aliā. Hip. aph. 2. aph. 6. Quicūq; dolentes parte aliqua corporis dolorē non sentiūt, ijs mēs ægrotat. B. i. quicūq; dolet et doloris qualitatē non sentit hic sensu ægrotat, nō refert si sensum uel γνωμην uel animā dixeris. Et aph. 6. aph. 7. dolores uētris sublimes leuiores, qui uero nō sublimes, fortiores. B. Nota non secundū corporis longitudinē intelligi Hip. sed secundū profunditatē. i. non secundū infimam & supremam corporis partē, sed secundū exteriorem & interiorē, etc. Et aph. 6. aph. 40. qbus dolor circa precordia fit absq; inflāmatione, ijs febris supueniens morbū soluit. Et aph. 7. aph. 26. In forti dolore uētris partiū extremarū frigiditas malū. B. Frigiditas fit uel ab inflāmatione, uel ob caloris innati defectū. (Deficit calor uel qa extinguitur uel a multitudine suffocatur) uel ob dolorē uehementē medias corporis ptes occupantē ad quē natura cōtracta cū sāguine partes extremas tāq̄ exāgues relinquit. Et aph. 7. aph. 22. A uētris dolore diuturno suppuratio. Et aph. 4. aph. 11. Quibus tormina et circa umbilicū labores et lumborū dolores, q neq; medicamēto, neq; aliter soluitur in aquā intercutē siccā firmatur, siue ὑδρωπεται.

Gale. 12. meth. cap. ultim. Colica quæ a siccitate contingit, insanabilis est, cuius rationem postea ipse reddit, lege eum

Auic.16.tract.3.cap.8. & 9. Si colica erit incolumis retentio non erit uehemens & dolor mutabitur, & patiens ex administratione clysteriorum, ob exitum flatus & excrementi quietem inueniet, Si uero fuerit mortalis aderunt fortitudo doloris, uomitus ad uomitum, sudor frigidus, extremitatum frigus, rationis turbatio, spasmus & retentio excrementorum, & si uestigium nigrum, uel bothor apparuerint, postridie moriuntur, &c.

De ileos.

Ileos, quem latini uoluulum uocant, est tenuium intestinorum dolor uehementißimus cum quo excrementorũ per secessum difficilis sit exitus &c.

Loci consentientes de ileos.

Gal.aph.6.com.44. Ileos est intestinorum tenuium passio, in qua ob interclusam inferiorem uiam nulla excrementa inferius excernuntur Aet. ser. 9. Voluulus est intestinorũ affectio lethalem dolorem inferens. Gale. 6. de loc.aff.cap.1. Hunc ileon. i. uoluulum uocant, nonnulli etiam chordapson quum.s.tumor aliquis eminat in tenuium intestinorum parte, ut uideatur intestinum chordarum similitudinem conuolutum. B. chordapson ab Aet. exponitur intestinorum emollitio quæ fieri dicitur quoties admota manu, durities tactui succumbit, sed quomodo emollitio, si durities adsit, intelligere nequeo, quare Galeni expositio mihi magis placet, Vocatur etiam hic morbus acelso chordios.

De causa ileos.

Causa ileos est intestinorum uel obstructio, uel retentricis facultatis fortitudo & attratricis, uel potio frigida, uel intestinorum descensus in scrotũ, Obstructio deinde fit uel ab inflammatione uel a tumore duro, uel ab alio quopiam abscessu uel ab excrementis siccis uel ab aliam intestinorum

compreßione facta, aut a ueneni cuiuspiam potione &c.

Loci consentientes de causis ileos.

Gal.aph.6.com.44 uisum est antiquioribus medicis, uel ab inflationibus uel ab aridi stercoris obstructione huiusce=modi tenuium intestinorum affectus oriri. Itidem ait.6. de loc.aff.cap.1. Vide etiam Gal.9.de simpt.cau.cap.2.ibi, fit etiã ab humoribus præter naturam adeo intestina obstipantibus &c. Paul.lib.3. cap.44.& Aet. ser.9. cap.28. fieri uoluulum dicunt intestinis una cum stercore in scrotum descendenti=bus, Item ex plagis quibusdam ex frigore uehementi & ex aceruata frigidæ potione, Auic.16. tract.4.cap.29. & quan=doque accidit propter potionem uenenorum facientiũ ileos. Interdum fit ex fortitudine uirtutis retentricis, nam graci=lia intestina ob suam gracilitatem magis ad retinendũ sunt parata quam crassa. Vide Gal.6. de sympt.cau.c.2.ibi, quem=admodum stercus per lethales uoluulos &c. Et Auic.loc. cit. uult quod ileos ab hisdem met causis fiat ac dictum est in co=lica. Halyabbas lib.9.cap.de col.enumerat. Primum apostema calidum, obstructionem ex fimo sicco uel ex humore crasso, rupturam abdominis, priuationem ciborum & potum le=thiferi medicamenti. &c.

De signis ilei.

Signa ilei sunt dolor supra umbilicum, nihil ex fœcibus ad inferiora descendit, Vomitus interdum fœcum humorum & uermium, Ructus inanes, fœtor oris & totius corporis, sequuntur etiam mala symptomata, qualis est tremor cordijs uigiliæ, animi deffectus, frigus extremarum partium, sudor frigidus, urinæ difficultas. Signa ueneni sunt imbecillitas ui=rium mollificatio & tremor cordis, nec ab alia causa ista fiant. Signa inflammationis sunt dolor durities fœcis tumor febris &c. Signa interstinguentia ileum a colica sunt i. do=

lor uehementior quam in colica.2.locus ilei supremam umbi lici partem occupat, colicæ infimam.3. ileus magis tendit ad uomitum quam colica quum sit stomacho propinquior.4. Ileus non iuuatur a clysteribus & suppositorijs sicuti colica. 5.In ileo maiora sunt & grauiora symptomata quam in colica, sicuti syncopis tristitia &c.

Loci consentientes de signis ilei.

Gal.aph.7.com.10. primũ nihil in ileis ad inferiora descendit & hoc est propriũ & inseperabile indiciũ,uomitus non semper adest,nisi quãdo exitiales sunt si uehemẽtius distorqueãtur ascendit eis stercus et singultiũt, quidam desipiũt & conuellũtur compatiente neruorũ principio paßione uentriculi.Et.6.de loc.aff.c.1. Dolores uehemẽtißimi in sublimioribus intestinorum partibus eueniũt grauiter uomitionibus cruciãtes etc. Aet.ser.9.c.28. In principio adest dolor circũuolutus uẽtriculi humiditas multa, exolutio ructus inanes et nihil alleuiãtes,murmura intestinorũ,stercoris & flatus perfecta cohibitio, In uigore morbi,omnia sursum ferũtur, adest uomitus bilis & pituitæ,totius corporis frigiditas, spirandi difficultas etc. De signis distinguẽtibus inter colicã et ileũ lege Aui.16.t.4.c.30.ibi, Amplius signa distinctionũ colicæ cũ signis ileos sumũtur etc. Lege ẽt de signis apostematũ,ibi,Et factũ ex apostemate &c.Et nota hic in Aui.ꝙ dicit.Et illic febris nõ erit et tamẽ Gal.apho.6.com.44.inquit quãto magis maior ac grauior euadit tãto maiorẽ febrẽ effici cõtingit etc.

De curatione ileos.

Cura perficitur ac dictum est in colica per quatuor intentiones. Prima cum regimine uitæ. 2. cũ eius causæ ablatione. 3.cum euacuatione.4.cum resolutione et roboratione.Victus igitur sit tenuior quam qui dictus est in colica sitq; boni succi &c.Ablatio causæ ita erit ut si uenenum sit, danda erit opera

uu uomitus prouocetur propinato calente oleo uel aliquo iure pingui demum thyriaca exhibeatur, uel quidpiam aliud prout species ueneni magis requirit. Si uero in causa fuerit obstructio procedatur tunc cũ dissiccantibus ac attenuãtibus pharmacis, deinde purgãte pharmaco aluus soluatur, Si fuerit inflãmatio, eadẽ erit cura ac dictũ est in colica, Si causa sit descẽsus intestinorũ in scrotũ tunc intestina ad suũ locũ compellantur & resupinato patiente fascia constringatur, Interim sectione uenæ opus est tum ob uenarũ meseraicarum copiam, tum ob uehementissimum dolorem cætera fiant ac dictum est supra.

Loci consentientes de cura ilei.

De prima intentione loquitur Aet. ser 8. cap. 28. ibi, Cibi sint boni succi &c. De secunda intentione loquitur Paulus lib. 3. ca. 44. ibi, Qui ueneni causa ileon patiũtur, compellendi sunt ut aquæ calidæ potu euomant, deinde oleo calente propinato uel iure aliquo pingui, deinde interpositis aliquibus diebus Thyriaca exhibeatur. Quod si obstructio discutiatur purgante aliquo pharmaco aluum inanire confert, Si ex intestini in scrotum descensu ileus accidat in inguina intestinũ compelletur & fascia supinato patiente ligabitur. Aui. 16. t. 4. c. 31. tria notat, primum q̃ ileos est colica fortior, idcirco in cura properandũ iuxta illud Hip. extremis morbis extrema sunt opportuna remedia. 2. q̃ id quod bibitur magis iuuat in ileo quam in colica, nec multum referre, an; a bibitis uel a suppositis inchoetur. 3. quod in ileo magis sectio uenæ conuenitur quam in colica &c.

Nocentia ac conferentia ileo.

Inducũt ileõ argentũ uiuũ et caro porcina. Conferũt ileo absinthiũ acorus, agaricus, alleũ, betonica, chamedrys, chamepitis, camomilla, cẽtaurea, cyperus, eupat oriũ, pastinaca, ruta, sauina, stechas thurbit. Cõposita sũt ung. alabast. aragõ,

aureum ung. nic. ung. laxatiuum nic. Marciaton nic. oleum lilij bibitum, oleum de cherua, confectio phor. Auicen. 1. lib. 5. Confectio hermetis Auic. Diacitoniten nic. electuarium ducis nic. phylonium chatarcticum imperiale nic. stomaticũ calidum nic. theriaca magna, pillulæ sine quibus & fœtidæ etc.

De pronosticis ilei.

Hip. *aphor. 6. apho 44. Quibus ex stillicidio urinæ ileos superuenerit in septem diebus pereũt nisi febre superueniente satis urina fluxerit. B. quoniam adulterinum ac spuriũ uocauit apho. Gal. idcirco damnatur ab Auic. eo q; causam aph. ignoraret, quasi id non legerit Auicen. quod in fine commẽti inquit Gale. q. s. si ueritatem debet habere aphor. oportet multitudinem humorũ crudorum una cum multa frigiditate causam arbitrari, quam febris superueniens liquefaciat ac dissoluat, & per uiam urinæ dissolutã natura emittat &c. Et aph. 7. aph. 10. ab ileo uomitus singultus desipientia uel conuulsio malum. B. quia intestina coguntur tandem ex fecũ molestia contra naturam uiolenter materiam molestantem extrudere unde singultus uomitus &c. proueniunt. Aet. ser. 9 cap. 28. familiaris ileos est puerulis, sed naturalis beneficio humiditatis euadunt, senibus uero si accidit nunquam conualescunt, in chordopso uocato subitum instat periculum ut plerunq;. 3. uel. 4. horam non excedat. In inflammatione uero si suppuratio uel longa mora contingat periculo non uacat quanquam sint ex eis qui seruati sint. Auic. 16. c. 29. & deterior ileos est in quo expellitur per superiora stercus, deinde in quo est sudor fœtidus habens fœtorem stercoris, deinde in quo est hanelitus fœtidus & eructatio fœtida &c.*

Authores dissentientes circa ileon & colicam.

1 *Adserere, in colicæ principio conuenire narcotica.*

2 *Adserere theriacã nouã esse uenenosã et nõ esse exhibendã.*

3 Adſerere, Ileon cum Auic poſſe generari ex ſtranguria.
4 Adſerere, Ileon curari non poſſe per fluxum urinæ mediante febre.

Confutatio diſſentientium circa colicam & ileon.

Ad primum, reſpondet conciliator differentia. 204. per plures diff. 1. ſumitur a morbo uel ab accidente, uel a uirium robore, unde niſi ſymptoma ſuperet morbum ſtante uirium robore quod nullo modo conueniunt. 2. diff. ſumitur a cauſa morbi uel a complexione morbi, unde permanente uirium robore & cauſa exiſtente frigida cum dolore remiſſo non conueniunt narcotica, ſed adhibenda ſunt anodina, uerum ſi ſymptoma eſſet uehementiſſimum, & cauſa eſſet calida ubi eſſet timor de caſu uirtutis, tunc poſſet ſed magna cũ cautella exhiberi. Ad ſecundum, Gal. 5. meth. cap. 13. mulieri cum dormitura eſſet dedi theriacem quatuor menſes ante confectam, habet enim id ætatis adhuc præualentẽ papaueris ſuccum, qui in antiquitatis ignauus redditur, igitur non eſt uenenoſa, & poteſt exhiberi. Ad. 3. Gal. aph. 6. comm. 44. aiunt enim quod ueſica inflammata anguſtia loci facta ex cõpreſſione in inteſtinis paſſionem affert quæ ileos nominatur, ego uero multos me puto in tota uidiſſe uita, nonnullos tantum periclitãtes, non paucos etiam mortuos non potentes mingere quorũ nullus factus eſt ileoſus & ſic tenet quod ileos nõ generetur ex ſtranguria. Ad quartum, reſpondetur per id quod dictum eſt ex Gal. in eodem aphor. ſupra contra Auicen. ibi, multitudinem humorum &c.

De renum & ueſicæ calculo.

Morbus calculoſus qui a græcis λιθιασις dicitur, eſt lapidis generatio ex humoribus uiſcidis & immenſo calore orta, in qua urinæ excretio retinetur, Id tamen notum eſt quod pleriq; medici atteſtati ſunt, quod non ſolum in ueſica & re-

nibus sed & in colo, pulmone, fellis folliculo, iuncturis stomacho & inguinibus lapides oriantur, unde lapides inter se differunt magnitudine duritie asperitate colore numero loco & materia agente, de quibus satis copiose infra mentionem faciemus.

Loci consentientes de renum & uesicæ calculo.

Gal. lib. finit. med. lithiasis. i. calcularis morbus est calculi generatio in renibus & uesica ex qua urinæ excretio prohibetur. Quod calculi in partibus enumeratis gignentur, lege Gal. 6. de loc. c. 1. ibi, nõnulli a forti excernẽdi conatu &c. Et 4. de loc. aff. c. ult. ibi, Quidã diuturna tußi uexatus frustrum quoddã paruo grãdinis grano etc. Deinde se uidisse lapidẽ in fellis folliculo attestatur Gẽtilis, & in iũcturis & stomacho quidã Gilbertus & in inguinibus Arcul. Aet. ser. 2. c. 4. Consistunt lapides in renibus iuxta ipsorũ uẽtriculos aut parui aut maiores interdum plures et pauciores magnitudine, forma, colore, asperitate, & multitudine inter se differentes, &c.

De causis renum & uesicæ calculorum.

Causæ initiatrices sunt cibus potusq; crassus ac uiscidus, causæ coniunctæ sunt binæ quarum altera erit materialis altera efficiens. Materialis a crasso terreoq; humore cõficitur. Efficiens est ignea renũ aut uesicæ caliditas quæ tum naturalis tum aduentitia esse potest, ut quæ ab aliqua re calida renibus adnota proueniat. Causæ uero humores in renibus tardãtes, erunt, uel expultricis imbecillitas, uel obstructio quæ tum attenuatoria a superflua frigiditate tũ coarctatoria a superflua ac uiscosa materia, tum carnosa ab aliqua carne innata, uel ab apostemate proueniens, &cæt.

Loci de causis renum & uesicæ calculorum.

Gal. 2. de natura humana tex. 13. Pleriq; pueri qui plurimũ uoraces sunt humorẽ non modicũ aggregant quẽ crudũ pro-

prie uocamus qui calculo gignẽdo in primis opportunus est, accedẽte calore tanq̃ causa effectrice. Itidẽ asserit.3.aph.com. 26.ibi, lapis est propria paßio puerorũ qui ob edacitatẽ non paucos humores crudos coaceruant &c. Auic.18.cap.16.tres causas calculi aßignat, materiã. s. quæ est humiditas uiscosa et crassa, uirtutẽ agentẽ sicut est caliditas ab æqualitate egressa, & materiæ retentorẽ qui est expultricis imbecillitas quæ ab intemperie uel ab inflãmatione & ulceribus oritur, &c.

Gal.14.met.ca.4. Similiter & calculi generãtur in renibus asso. s. in his crasso glutinosoq; succo, prouenit.n. hæc affectio ex ciborum crassorum succo si quis liberalius his utatur, etc.

Obiectio.

Quur non omnibus hoc uitium contingit, quum utraq; causa sit omnibus parata.

Responsio.

Dilucidatur hæc tua dubitatio a Gal.14.meth.cap.16. ibi siquidẽ credendum est quibusdam esse densos admodũ renes uel p angusta, in iocinore ora etc. lege eũ & rẽ intelliges, etc.

De signis renum & uesicæ calculorum.

Signa generationis calculi sunt urina exiẽs pura et aquosa, in qua non excernũtur arenosa iam prius uisa, sed retinentur. Signa iam generati lapidis sunt dolor grauitas urinæ suppreßio, maxime si in utrisq; renibus lapis extiterit.

Signa motus lapidis sunt dolor uehemens usq; ad inguina cõmunicans ad scrotum et testes. Vehemẽs inquã ob loci angustiam & sensibilitatem, sed quũ iam in uesica lapis fuerit, dolor mitigatur & tandẽ mingitur. Signa lapidis in uesica sunt pruritus pudẽdi ex cuius cõtractione penis intẽditur, urina supprimitur, nec nisi magna cũ difficultate & conamine emittitur, sunt qui duos lõgiores digitos ano intromittãt eleuatis prius sursum uersus cruribus et aluo ab excremẽtis purgata ut lapidẽ manifeste adesse sentiãt, arena insup q̃ subsidet

si rubra uel flaua fuerit, e renibus descendit, si alba & cineri tia ex uesica. Egreditur autem harena dũ confirmari & dissolui lapidem contingit, quo confirmato, & obstructione completa non amplius arena exit &c. Item lapis renum est rotundus uesicæ est oblongus &c.

Loci consentientes de signis calculorum.

De his signis lege Auic. 18. tract. 2. cap. 17. ibi, signorum lapidis in renibus, primum est urina crassa quæ deinde incipit conuerti ad tenuitatem propter retentionem turbidi &c. lege locum fusius. Gal. 1. de loc. aff. cap. 1. Indicia lapidis in uesica sunt aquæ similis urina, in qua subsident fabulosa quædã, laborantes aßidue pudendum scalpunt, idq; uel laxum uel intentum præter modum, postea de repẽte urina supprimitur. Vide Gal. 6. de loc. aff. cap. 1. ibi nephritici dolores eodem in loco stabiles permanent &c. Lege fusius Aet. ser. 2. cap. 4. ibi adest loci color absq; tumore foris apparente, & plura de signis annotatu digna inuenies, Lege etiam Arcul. 9. alm. plura enarrantem. Item Gal. 6. de loc. aff. cap. 1 ubi Hip. damnat n illo aphor. Quibus in urinis arenosa subsistunt, ijs uesica laborat calculo. uide insuper Alex. tract. lib. 3. cap. 34. Item Gord. & alios.

De cura calculorum renum & uesicæ.

Corpora quæ parata sunt ad calculum præseruatiuam curationem expostulant, atq; actu ægrotant curatiua indigent, præseruatio has igitur in se intentiones requirit, prima ut materia quæ lapidem generat, nullo pacto efficiatur, secunda ut si quæ facta sit, ne ad renes uel uesicam fluat, sed ad intestina mittatur, superest, tertia ut si quid ex hac materia ad renes casu euenerit, ne illic figi ac retineri permittit, quarta calorem renum qui est causa efficiens remißiorem efficit. Prima igitur intentio prohibet omnia crassa & uiscosa tam in

cibo quam in potu, unde panes azimi caseus & animalium extremitates & lacticinia procul absint, similiter uitentur satietates & cruditates, sed attenuatoria sit dieta urinam ciens, uitentur etiam dulcia &c. Secunda qua ex renibus ad intestina materiam diducimus, completur per pharma lenientia. s. cum casia uel decocto glyzyryzæ. s. alchechengi uel per enemata lubricantia uentrem uel per terebintum assumptum, nam ualde iuuat, tertia non permittit figi materiam in renibus, sed eam expellit cum diureticis ut cum brodio ciceruum rub. cum decocto glyrizæ in iure galli decrepiti, cum paritaria in sero lactis decocta uel cum eius succo etc. Quarta remouet ac calorem intensum mitigat cum oleo uiolaceo nenupharino amygdalino dulci uitando ea quæ euidẽter adstringunt &c. Curatiua uero ratio concretum in uesica, uel renibus lapidem auferre intendit, primo lubricando uias cũ casia & minuendo materiam per ea quæ frangunt lapidem & urinam proritant & ora uenarum reserant, facta in primis sectione uenæ si sanguinis multitudo ob acutos dolores ad partem læsam se contulerit. Comminuunt igitur lapidem quædam a proprietate occulta, quædã uero a manifesta qualitate, quæ igitur hoc a manifesta qualitate efficiunt, sunt pulegium calamentum origanum saxifragia radix graminis amygd. amar. Item radices petroselini asparagi brusci fœniculi apij decoctum cicerum rub. cort. fabarum & rad. maluarum &c. Frangunt a proprietate occulta lapis iudaicus puluis leporis combusti, uitrum multoties in aqua saxifragiæ extinctum, puluis lapidum cancrorum limatiarum, & mandibularum lutij piscis. Item sanguis hircinus cortex lauri, & inter composita laudatur Iustinianum liontripon dia laca, &c. Competunt etiam clysteres ex decocto maluarum paritariæ camomillæ melliloti fœnugræci cum butyro, oleo

de ſcorpionibus &c. Similiter & brodia pinguia exhibeant &c. Ad roborationem ſtomachi, qui plerunq; imbecillitatem in hoc morbo ſuſcipit iſta conferunt. ſ. oleum de abſinthio de menta ung. de abſinthio &c. Si quæ uero opus fuerit digeſtione perficietur cum oxymelle ſimp. uel compoſito cū aquis ſaxifragiæ paritariæ granorum iuniperi &c. Quod ſi delatus ex renibus lapis circa collum ueſicæ detineatur, tunc ſupinatus æger eleuatiſq; ſurſum coxis, adeo concutiatur, donec ex ipſo meatu lapis excidat, deinde ſi minus per urinam exierit, tunc per catherem inſtr̄m, uel per ea quæ calculos confringunt, amoueatur, quod ſi minus per hæc, curatio ad uota ſucceſſerit, tunc per inciſionem inter anum & teſtes in ueſicæ collo factum adunco ferreo euelletur lapis.

Loci de cura calculorum renum & ueſicæ.

De primis intentionibus lege Auic. 18 tra. 2. ca. 18 ibi intentiones in curatione ſunt, abſciſsio materiæ & prohibitio generationis ipſius cum abſciſsione cauſæ & retificatio eius, deinde mundificatio & comminutio & fractio & cōpreſsio & eradicatio eius quæ omnia longo ſatis ſermone explicat. De uictus ratione lege Aet. ſer. 11. cap. 6. ibi deligāt cibos e quibus neq; ſatietates neq; cruditates contingunt &c. Gale. 10. de comp. med. per loc. cap. 1. Quæ calculoſis auxiliant unica facultate indigent quæ ſeccare & extergere cum manifeſta caliditate poteſt, ſunt autem talia fere omnia amara etc. Paul. lib. 3. cap. 45. Medicamentis uti oportet quæ confringere ſiue ſeccare calculos poſſunt abſq; manifeſta caliditate: ſic enim græce habet ἄνα τοῦ θερμαίνειν ἐπιφανῶς: unde uereor ne menda ſit in Paulo, nam quæcunq; ab eo in hoc affectu recitantur ſunt manifeſte calida ſicut & in Gal. qui utitur pipere myrrha aniſo dauco apio &c. Aet. ſer. 11. cap. 5. Si timor adſit ne multitudo ſanguinis ob acutos dolores, ma

terias

terias ad affectam partem aduocet, secanda est uena cubiti a latere affecto, nec copia extrahenda quum ex hoc futurũ non sit, ut a renibus lapis excidat, &c. Gal. 1. de loc. aff. cap. 1. Itaq; supinato ægro ut crura reliquo corpore sint sublimiora, multifariam ipsum concuties ut lapis ex meatu recedat, deinde iube ut æger urinam reddere tentet, ꝙ si urina supprimitur rursus uehementius concute, & si sic permanserit demissa fistula ænea lapidem a ceruice uesicæ repelles, &c.

Generantia ac curantia calculos.

Inducunt ac efficiũt lapidem Amylum, caseus, camphora condrus, farina cum lacte, lac coctum, lagana, porcinæ carnes, triticum coctum. Curant lapidem radix acetosæ, acorus, amygd. amar. anisum, urina porci, apium montanum abrotanum, aqua mellis & cicerum rub. batheca, cap. uen. betonica camaleonta cancer fluuialis cum myrrha carui agreste, cinis rad. caulis, cicada, ciminum, cinis testarum choclearũ cyperus, cõdisi, cordumeni, cotula, cubebe, daucus, sion i. cresconi fœniculum syluestre, lac ficus genista, gumæ cerasorũ prunorum cum uino graminis, semen & radix, lapatium, lauri cortex & radix, renes leporis lumbrici terreni, Malua, Matricaria, semen mellonum, mille peda, stercus muris cũ aqua mellis, nigella, polium montanum, porri semen, succus raphani, rubus, saxifragia, sauina, senation, segapenum, serpillum, scolopendria cinis scorpionum. scenoãthos, fimus turturis et ius, tribulus, uitis aqua candẽs, uitrum ustum tritũ succus urticæ, iringi, usnea, hypericon, Agaricus cõposita sunt Adrianum confectio nic. Antidotum emagogum, Camerina confectio hali cõfectio conabaris Aui. 1. f. Dialaca magna mes. diasulphur mes. Diapiretrum nic. Diaprasiũ nic. elm. Ducis nic. electuarium cabadij haly, phylonium rom. Iustinianum confectio nic. Imperialis confectio Auic. 1 f. liontripon nic. miliũ

ſolis cum myrto ſylueſtri, Nephrocatarcticum nic oleum benedictum nic. oleum de granis citri, oleum de ceraſis mes. de piperibus de ſcorpionibus, oleum alchechengi de ſauina petroleum ſy. maior nic. Theodoricum magnum Theriaca magna ung. laxatiuum nic. Zeneliten confectio Auic. præſeruãt a generatione lapidis aqua mellis caſia ſyringa, geniſta grana pini maioris comeſta.

De pronoſticis calculorum renum & ueſicæ.

Auic. 18 tr. 2. c. 16. In illo in quo eſt ſedimen arenoſum non aggregatur lapis, quoniã materia non eſt coarctata, Et ſcias ꝙ *parum accidit puellis & mulieribus, quoniam meatus ueſicæ earum ad exteriora, breuior ac latior eſt & paucorum anfractuum, &c. Et ſcias* ꝙ *lapis renum & ueſicæ eſt ex ijs quæ hæreditantur, &c. B. quod dicit, mulieribus non accidere lapidem mihi non placet, Nam ſua ratio potius ad facilẽ expulſionem quam ad lapidis generationem pertinet, ſed forte ratio potior eſt, quia mulieres calorem non uſqueadeo uehementem habent ut materia in lapidem uerti poßit, uel quia ex menſtruis omnia ſuperflua expurgantur &c. Hip. aph. 6. aph. 6. Renum & ueſicæ uitia in ſenioribus difficulter ſanantur. B. quia in motu ſemper ſunt dum contrahuntur & dilatantur uel quia in ſenibus ob calorem innatum imbecillem, nec aliæ ægritudines longæ curantur &c.*

Authores diſſentientes circa morbum calculum.

1 *Adſerere, calculum generari poſſe a calido temperato.*
2 *Adſerere, calculoſis dormire ſuper dorſum ualde nocere.*
3 *Adſerere, lapidem renum curari poſſe per inciſionem.*
4 *Adſerere, Diuretica in principio calculi conuenire, nulla facta euacuatione.*

Confutatio diſſentientium circa morbum calculi.

Primum impugnat Gal. aph. 3. com. 26. dicens quod mate-

ria crassa cui uehementia caliditatis, accedit est causa genera tionis lapidum, & Auic. inquit uirtus uero augens est caliditas quum egressa est ab æqualitate, ubi inquit Gentilis nõ nisi ab excellenti caliditate lapidem posse generari. Ad. 2. Auic. 18. c. 16. Et dormire super dorsum est ex eis quæ lapidi conferũt nam ad resolutionem materiæ confert, & sic non semper nocet, imo plerunq; iuuat &c. Ad. 3. Auic. loc. cit. Et sunt quidã qui laborant extrahere ipsum per incisionẽ ilij & dorsum, sed est timor magnus in eo qui rationem non habet, quoniã oportet penetrare per musculos per dorsum per ossa magna per neruos & arterias & uenas magnas in quo casu accidit syncopis & mors & sic cura est potius impoßibilis quam fieri posse putetur. Ad. 4. Respondet Conciliator diff. 205. q. diuretica non conueniunt in corpore chachochimo uel plethorico nisi facta euacuatione & digestione, Item nec conueniunt in ulcere recenti, nec ubi fuerit obstructio, nam ut ipsa calida resoluunt ac petrificant, Præterea in ardore urinæ nõ sunt adhibenda, eo q. ad locum læsum materias ducũt, & plus ad mingendum stimulant, ex quo dolor augetur &c.

De inflãmatione & abscessu & ulceratione renum.

Dictum est sæpius quid inflammatio quidue abscessus & ulceratio, quare non est ut toties a nobis repetatur. Continet in se omnes hos affectus nomen nephritis iuxta Gale. 10. de compos. med. per. loc cap. 1. Vnde Nephritis lib. fin. med. ita describitur Nephritis est renum phlegmone cum dolore uehementi interdum cum meiendi difficultate ac fibrosis uel arenosis excrementis cum modico sanguine &c. Variãt deinde abscessus tum ab efficiente materia, tum ex parte locorum pro quibus uide Auicen. 18. cap. 1.

De causis horum affectuum.

Causæ inflammationum renum extrinsecæ sunt equitatio-

nes, percußiones, attritiones plagæ, pharmacorum potiones &c. Causæ intrinsecæ sunt, uel repletio totius corporis, uel membrorũ consentientium, uel sanguinis mala qualitas, uel excoriatio lapidis, uel urinæ retentio renes extendens, causa coniũcta est sanguinis calidi influxus. Causæ aliorum abscessuum sunt aliorum humorum influxus, uel multitudo uaporosorum spirituum. Causæ ulcerum sunt quæcunq; sunt causæ solutionis continui sicuti apostema disruptum, uel humores erodentes biliosi acres uel lapis egrediens, & quicquid scindere uel aperire uel erodere has partes possunt, &c.

Loci consentientes de causis horum affectuum.

Aet. ser.2.cap.16. Renum inflammationes non solum humores corrupti, sed & plagæ & pharmacorum potiones et attritiones, & præsertim continuæ aquilonares. Auic.18.c. 1. Causæ apostematis renũ sunt repletio in toto corpore, aut in membris communicantibus aut qualitas & quantitas sanguinis aut excoriatio lapidis aut retentio urinæ apud renes extendens, Gal. aph.4. comm.75. fit magna ex parte a lapide acuto uel admodum aspero aut a dirupto aliquo abscessu. Et in lib. de tumorib. c.2. causa. inflammationis est sanguinis calidi influxus &c. Et.2. de glauc.c.6. Abscessus fiunt ab aliorum humorum influxu, & a multitudine uaporosorum spirituum &c. Auic. loc. cit. Causæ ulcerum sunt causæ continuitatis solutæ & apertionis, &c.

De signis nephritidum.

Inflammationis renum & uesicæ indicia sunt loci affecti ardor, & cum grauitate dolor, febris continua, Mentis alienatio, bilis synceræ uomitus, Mingendi impotentia præsertim existente in uesica inflammatione. At si circa ilia dolores fuerint & horror inæqualis et febris inordinata abscessum in renibus cum loci cruciatu testantur. Signa ulcerum renum

uel uesicæ sunt urina crassa cum exiguis carunculis, Dolor in affecto rene, interdum exiguũ pus mingitur, interdũ sanguis & ramenta, Itẽ furfuracea urina squamulæ & grauis odor cum mictu sanguinis & puris ulcerationem uesicæ denotãt. Cognoscitur affectus esse in renibus uel in uesica per dolorem qui in differentibus locis accidit. Nam si ulcus sit in uesica dolor erit in pube, si in ilijs & dorso erit in renibus, si in urinæ meatibus, erit in media regione, &c.

Loci consentientes de signis.

Hip. aph. 3. aph. 36. Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresq; circa spine musculos fiunt, siquidem circa exteriora fient, abscessus quoq; exterius futuros expecta, si uero dolores magis circa interiora loca fiant etiam abscessus interius futuros expecta. Lege Gale. 6. de loc. aff. cap. 2. ibi, renem affectum esse cognosces, si dolores cum horrore interpellato uarioq; infestare uideantur. Hip. apho. 4. aph. 76. Quibus in urina crassa existente, carunculæ paruæ aut ueluti capilli una exeunt his a renibus excernitur etc. Et aph. 4. aph. 77. Quibus in urina crassa furfurea quædam simul exeunt, ijs uesica scabie laborat. Et aph. 4. aph. 75. Si sanguinẽ aut pus mingat aut renũ, aut uesicæ, exulcerationẽ significat. B. disce in com. Gal. quõ renũ affectus et uesicæ inter se distinguãtur. Vide etiã Aui. 18. tra. 2. c. 2. ibi, signa ulcerũ. Et Hip. ap. 4. aph. 81. si sãguinẽ aut pus minxerit aut squamulas et grauis dolor adsit uesicæ exulceratione sig. uide de his signis Arc. 9. almans. De curatione nephritidum.

Cura inflãmationis renũ & uesicæ cõsistit in ablatione causæ, causa aũt est influxus sanguinis qui si adhuc influit prohibendũ est, ne influat diuertẽdo cũ sectione uenarũ quæ in cruribus circa poplitẽ consistunt & cũ cucurbitulis frictionibus etc. Quod si quidpiã iam fluxum est ꝑ euacuationẽ sanguinis

in cubito, deinde inflammationi ipsi per cataplasmata et fotus medendum, ita tamẽ ut si ad resolutionem tendat cum his quæ pluries dicta sunt, sicut in principio cum reprimentibus, in uigore cum mixtis, in decremento cum resoluentibus etc. Cura ulcerum etiam in abstergentibus ac mundificantibus cõsistit, deinde cum his quæ cicatricẽ inducũt ac consolidãt, etc.

Loci consentientes de cura nephritidum.

Aet. ser. 11. cap. 16. Si inflammationis acumen non remittatur sed uehementior exurgat dolor, uena cubiti seccanda est sanguinis detractione repetita, & si quid inflammationis relinquatur ad cataplasmata procedendum &c. lege eũ fusius Auicen. 18. tract. 2. cap. 3. Initio curationis est abscißio causæ per phlebotomiam ex basilica si sanguis est uicens, interdum fit incuruatura poplitis uel ea non apparente in saphena & si sint cum sanguine humores acuti calidi, per solutionẽ uentris cum casia fistula, & aqua casei. Et de cura ulcerum lege eum fusius. 18. cap. 12. ibi, In curatione ulcerum renum, &c. Lege de hac re Gord. et Arcul. ibi causæ antecedenti hæc cõueniunt, digestio, euacuatio, & diuersio, sed coniunctæ quæcunque a me dicta sunt.

Obseruationes circa uictum in inflammatione.

Auic. loc. cit. oportet ut detur in potu aqua dulcis frigida, sed non ita frigida ut probibeas maturationem. 2. Abstineat a carne & dulcibus aqua calida & omne calidum nocet eis, & aqua plurima, non euacuetur quin laborare faciat renes suo incessu & motu. 3. Et non est ulceribus & apostematibus aliquid magis congruum quam quies. 4. Et balnea non conueniunt eis nisi in declinatione apostematum calidorum &c.

Obseruationes circa medicamenta.

Gal. 10. de comp. med. per loc. cap. 1. Quæ ad inflammatas & ulceratas affectiones medicamenta componuntur, medi-

camentis mitigatorijs opus habent, Quum uero impoßibile ſit hæc cito ad regiones renum peruenire, ob id ipſis pharmaca urinam cientia miſcemus &c. Itidem ait. 4. *meth. cap.* 7. *ibi quoties in ueſica &c.* Gal. 13. *meth. cap.* 6. Nec *quum circa ſedem uel aliam huic uicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deijcies neq; cum in ueſica uel cole uel renibus eſt cœpta, pharmaca quæ urinam prouocent bibenda dabis.* Itidem ait. 13. *meth. cap.* 11. *ibi, ſi quum in renibus &c.* Et 13. *meth. cap.* 16. *Calida quoq; uitanda ſunt quum renes faciliime in duritiem occaleſcant &c.*

Aet. *ſer.* 2. *cap.* 16. Notat *non eſſe exhibendum pharmacum purgatiuum, ſed per clyſterẽ aluum eſſe leniendam, nec multam clyſteris copiam infundendam, ne repleta inteſtina renes comprimant, &c.*

Obſeruationes circa topica.

Auicen. 19. *tract.* 1. *cap.* 10. *Reprimentia frigida non longo tempore applicanda, nam illud nociuum eſt & indurant apoſtemata uelociter.* 2. *ſtatim ſi fieri poteſt ſedandus eſt dolor, quum ueſica ſit membrum neruoſum.* 3. *quod ſcimus ſoliciti in prouocanda urina quum frequentius retineatur in apoſtemate ueſicæ, &c.*

De pronoſticis nephriticorum.

Hip. *aph.* 6. *aph.* 2. *Atrabile uexatis & renum paßionibus hæmorrhoides ſuperuenientes bonũ.* B. *ob id quod mala qualitas humorum euacuatur &c.* Auic. 18. *tract.* 2. *cap.* 1. *Omnia renum apoſtemata uelocia ſunt ad hoc ut in lapidem conuertantur.* Et *quando apoſtema calidum eſt in rene, & nõ ſit uacuum a febre, deinde accidat cõmixtio rationis, tũc eſt mortale.* Et *cap.* 10. *loquens de ulceribus inquit ꝙ multoties ex ulceribus renum proueniunt fiſtulæ quæ nullo modo ſanantur, & ille cuius ren diſrumpitur moritur ſecundum plurimum,*

quod si scindatur non incarnatur nisi in parte carnosa, &c.

De Diabete.

Hunc affectum uocant quidam hydropem matellæ, alij urinæ fluorem, alij dipsacon ab inexplibili siti, alij diabetẽ qui nihil aliud est q̃ renũ affectio, in qua potio statim qualis assumpta est per urinam reijcitur, & raro accidere solet &c.

Loci consentientes de diabete.

Gal. 6. de loc. aff. cap. 2. *Diabetes est proprius renum affectus, qui caninæ in ore uentriculi cupiditati proportione respondet accedente, præterea retentricis facultatis imbecillitate.* Paul. lib. 3. cap. 43. ὁ διαβύτις ταχεῖα τοῦ πινομένων ἔστι διέξοδος οὐρουμένων τοοιύτων. σοῖαπερ ἐπόθη διὸ καὶ διψῶσιν ἀμέτρος, ὅθεν καὶ διψάκος ἐκληθὴ τὸ πάθος, *&c.* Auic. 19. tract. 1. cap. 17. *est ut egrediatur aqua sicuti bibitur tempore breui & proportione respondet ad lubricitatem stomachi.*

De causis Diabetis.

Causæ sunt uel retentricis facultatis imbecillitas, uel facultatis attractoriæ uehementia, Prima fit a mala intemperie frigida intrinsecus uel extrinsecus adueniente, Secunda fit a uehementi renum calore nudo uel complexo attrahens a uenis emulgentibus, & ex eis ad hepar extenditur & ex hepate ad stomachum et ad omnia mẽbra, unde humiditates membra irrorantes attrahit & fit sitis uehemens, quæ potu non sedatur, unde διψακος *dictus est. i. siticulus morbus & cæ.* Fit *etiam a resolutione lacertorum colli uesicæ &c.*

Loci consentientes de causis Diabetis.

Auic. 19. ca. 17. *Causa diabetis est dispositio renum ob imbecillitatem accidentem & dilatantem orificia meatuũ, quare fit ut aquositas noo figatur in renibus.* Et *quandoque fit ex frigore, toto corpori uel renibus dominante, aut a potu aquæ frigidæ, aut propter uehementiam attractiuæ etc.* Le

ge eum diffusius Galen. 6. de loc. aff. cap. 2. fit hic affectus a retentricis facultatis imbecillitate &c. Vide eum fusius, & plura intelliges.

De signis Diabetis.

Signa quando fit ex caliditate sunt lumborum caliditas, urina multa in principio, sicut lotura carnis recentis minus tam infecta et rubea, ac si deffectu hepatis id proueniret, deinde processu temporis in qualitate & colore potus egreditur. Si fuerit a frigiditate, tunc circa lumbos percipitur frigus, & urina in principio est quantitatis consuetæ, deinde multiplicatur, & erit sicuti lotura carnis, sed minus tincta, quam in fortitudine attractricis facultatis, Adest semper sitis, nec ex bibitis satiatur, Sed quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ, & cæt.

Loci consentientes de signis Diabetis.

Aet. serm. 11. cap. 1. Comitatur sitis pertinax ex qua nulla ex potu satietas contingit, quare aßidue bibere coguntur, &c. Vide de hac re Gal. 6. de loc. aff. cap. 2. Auic. nullam de signis Diabetis mentionem facit. lege tamen fusius Marc. Cat. cap. de Inuoluntario exitu urinæ, ibi adest sitis intensißima, & cæt.

De curatione Diabetis.

Cura in duabus intentionibus consistit, quarum altera ad ablationem causæ studet, Altera ad membrorum urinæ roborationem. Si causa igitur fuerit acritudo humorum euacuatione demitur, Deinde renes intrinsece & extrinsece cum succo granatorum & limonum infrigidentur. Si causa fuerit frigiditas ex qua retentrix imbecillis sit, roboranda erit cum calidis stypticis sicut cum decocto myrti, sumach, balaustiarum absinthij cum uino calibeato, aut cum puluere tali, recipe cupularum glandium. ℥. i. Thuris myrrhæ ana. ℥. quinque pelliculæ stomachorum gallinarum. ℥. iij. Misce &

fiat puluis. Conueniunt etiam Troch. de spod. cum. s. acetosæ T. de terra sigillata de balaustijs cum uino uel aqua absinthij. Si causa fuerit uehemẽtia attractoriæ facultatis a superflua caliditate innata, tunc expedit infrigidare & stypticare qua ratione conueniunt. sy. de agresta de acetositate citri cũ aquis portulacæ lactucæ, & ung. sandalinum comitissæ infrig. Galeni, si causa esset relaxatio musculorum colli uesicæ, conueniũt quæcunq; de paralitide scripta sunt qualis est diacorus, Acorus conditus &c. Sitis remouetur si dato potu euomatur, & rursus frigidiore dato, iterum reuomatur, donec sitis extinguatur & aquositas a renibus diuertatur. Somnus etiã hac in re commendatur. Quod si prædicta morbum omnino nõ abstulerint, non erit præter rem si stuporem inducentibus utamur sicuti lactuca papauere uel cerata ex succo papauere cõfecta & renibus admota.

Loci consentientes de cura Diabetis.

Auic. 19. Trac. 2. cap. 18. Diabetes ut plurimum accidit ex caliditate ignea, quapropter plurimum curationis eius est infrigidatio & humectatio &c. lege eum fusius.

Aet. ser. 11 cap. 1. Scopus medendi est ut humorum acredinem auferamus sanguinemq; ac cum eo permixtum humorẽ serosum, ad tardiorem motum reddamus, & renum intemperiem reuocemus. Vide etiam Aet. ibi, uictus sit boni suci mordacitate carens, ut sunt oua sorbilia, halica, carnes porcinæ, uinum ruffum craßius frigidum dilutum. Item caseus recens sine sale, Vide etiam Paul. & Marc. Cat.

Obseruationes in cura diabetis.

Auic. 19. Tract. 2. cap. 18. Quæ oportet ipsum agrum uitare est labor dorsi & assumptio diureticorum &c.

Obseruationes in euacuatione.

Gal. 7. meth. cap. 13. inquit quod euacuatio est renum tho-

racis arteriarum & uenarum & cordis, & utriusq; uesicæ commune quoddam opus, fit tamẽ euacuatio leniens ut Auic.

Conferentia Diabeti.

Infrigidant renes ac diabeti conferunt, Camphora illinita uel bibita caßia syliqua, cucurbitæ conditæ, oleum cucurbitæ, Plumbum &c.

De pronosticis Diabetis.

Aet. ser. 11. cap. 1. Si amplius mordens caliditas in uisceribus augeatur Venter superior corrugatur & uenæ in ipso eleuantur, uniuersumq; habent gracilem habitum & tabes totius corporis accedit, qui uero non mingunt nec ex eis potus transpirat ob potus satietatem & humoris inundationem et uesicæ circuntensionem, aceruatim uentre rumpuntur B. si quis Aet. intelligere uoluerit supponere habet duas diabetis differentias, Alteram in qua talis potio qualis assumpta est per urinam reijcitur, Alteram in qua nihil penitus mingitur, nec potus per alia loca transpirat, Qui igitur primo diabete, laborant, incurrunt marasmum uel tabem, consumpta. s. omni uenarum humiditate unde gracilis habitus oritur, & tandem mors, Qui uero non mingunt, nec per alia loca potum excernunt, dum bibere non desinant, uentre rumpũtur, Vide Gal. 6. de loc aff. c. 2. ad finem, Et Auic. 19. cap. 17. quandoq; perducit ad liquefactionem & ad ethicam &c.

De urinæ stillicidio & eius difficultate.

Mingendi actio bifariam læditur in emittendo. s. urinam & in retinendo, Actio emittendi urinam, uel abolita est uel imbecillis, uel deprauata, si abolita tunc ἰσχουρία dicitur, & est quum nullo pacto æger mingere potest. Si uero imbecillis fuerit tunc δυσουρία a Græcis dicitur, a Latinis difficultas urinæ, quæ nil aliud est quam meiẽdi desiderium cum urinæ difficultate & trifariam consideratur, primo quum

tenuiter mingitur secundo quum in mingendo patiens longã moram occupat, tertio quum mingere incipit & in mingendo perseuerare non potest sed plerunq; intercipitur, Si uero actio mingendi fuerit deprauata tunc excretio urinæ non nisi guttatim destillabit & uocatur στραγγουρία *a Græcis a Latinis uero urinæ stillicidium & est & excretio urinæ guttatim stillantis &c. unde uersus.*

Aegrum guttatim stranguria mingere cogit
Supprimit urinam, sed non disuria semper
Vrinæ quicquam nec uult ischuria reddi.

Loci consentientes de stillicidio urinæ & diff.

Gal. 6. de sympt. cau. cap. 2. At huiuscemodi ambo uesicæ morbi unum commune symptoma, iscuriam. i. urinæ suppreßionem, Est & aliud symptoma quum nihil penitus urinæ in uesicam delabitur, abolita nimirum renũ actione &c. Et aph 5. com. 58. Quando aliquis parum & frequenter mingit hæc paßio urinæ stillicidium nominatur &c. Vide hac de re Alexand. lib. 3. cap. 38. Item Arcul. 9. almans.

De causis stillicidii & difficultatis urinæ.

Causæ primitiuæ uel sunt extrinsecæ qualis est casus percußio et læsio instrumentorum urinæ, uel non extrinsecæ sicut sex res non naturales assumptæ &c. Causa antecedens est triplex, uel ex parte uesicæ, aut a læsione facultatum eius, aut a dispositione urinæ, Si ex parte uesicæ, tunc læsio aut est in meatu colli uesicæ, aut uirgæ, & tunc uel est aliquis abscessus uel ulcus uel scabies ex quibus dolens natura timet extra mittere urinam, uel erit quædam obstructio obstruens urinæ meatum, Si uero a læsione eius facultatum, tunc uel erit uirtus sensibilis læsa quæ nec mordacitatem aut grauitatem urinæ percipit, uel motiua uis uoluntaria læsa, dum musculi relaxantur, & incontinentia urinæ accidit, uel retentricis &

expulsoriæ facultatis imbecillitas quæ a mala intemperie, aut à deffectu spirituum prouenit. Si a dispositione urinæ, tũc urina quantitate, aut qualitate, peccat, quantitate quum ipsa uel nimis sit pauca, uel nimis copiosa, unde expelli non potest, qualitate quum nimis calida mordicans ulcerans, & cæ. Causa etiam potest esse imbecicitas renum non ualens aquositatem attrahere uel expellere ob malam intemperiem frigidam aut calidam aut ob earum obstructionem, Causa per consensum erit ex parte membrorum principalium, sicuti hepatis in sequestratione aquæ deficientis, uel ex parte cerebri spiritum animalem retrahentis, &c.

Loci consentientes de causis.

Auic.19.tract.2.cap.6. Et fortasse causa est frigus, aut calor de foris aut percußio aut retentio urinæ plurimæ &c. Aut fit propter causam in meatu colli uesicæ & capitis uirgæ. Aut propter causam in uirtute, aut propter causam in instrumento, Aut propter causam membri mittentis, Aut propter causam in urina &c. Gal.aph.3.com.16. & aph.com.58. causam esse inquit imbecillitatem retentricis facultatis, quæ ab intemperie et aliquo præter naturam tumore fieri solet, uel acrimoniam urinæ quæ etiam a renum paßione uel a superfluitate serosa ex uenis ad ipsas percolata prouenit, Et stillicidium urinæ fieri inquit recto intestino & utero inflãmationem patiente, & hoc per compatiendi rationem aut a pure ex renibus ad uesicam euacuato.

Obiectio.

Gal strang uriam esse quoddam retentricis potentiæ symptoma hic inquit. Et tamen 6. de sympt. cau. reposuit eam inter expultricis potentiæ symptomata.

Responsio.

Soluit dubium Gal.6. de loc. aff cap.1. dum inquit humores mordaces omnia intestina & uesicam ad excretionem excitant, qui uero mordaces non sunt imbecillitatem intestinorũ

sequi consueuerunt, quia retinere contenta nec exiguo quidẽ tempore possunt, ac si dicat. Si a mordacitate humorũ stranguria fiat ad expultricem pertinebit facultatem, si uero ab imbecillitate ad retentoria, lege de his causis Aet. ser. 11. cap. 19. & Paul. &c.

De signis stillicidii ac difficultatis urinæ.

Stillicidium urinæ, & eius difficultas ex se manifesta sunt, Signa eius causarum erunt (si prouenit a frigore) urinæ tenuitas uel craßities cum albore & frigus sentietur. Signa ab humorum acrimonia habentur ex urina acri bilem attestante, uel ab habitu ipso uel a colore & ab his quæ intemperiem calidam denotant. Signa apostematis sumuntur ex febre, uel quia paulatine fit affectus et ex dolore loci et eius extensione & tumore. Signa lapidis & obstructionis per syringam intromissam habebuntur. Signa humoris craßi cognoscuntur ex grauitate sensata & pondere. Signa flatuosi spiritus est tensio sine grauitate loci, quæ interdum permutatur. Signa mollificationis musculi uesicæ sunt egreßiones urinæ absq; uoluntate. Signa contracti musculi uesicæ sunt, quia urina retinetur, nec potest educi nisi cum ualida compreßione, Signa debilitatis sensus sunt quod æger mordacitatem urinæ non sentit, Signa expultricis facultatis læsæ sunt, si ex compreßione facilis fiat urinæ eductio. Signa difficultatis urinæ per consensum hepatis & cerebri, sunt eorum ægritudines præcedentes, & quod non apparent læsiones aliæ in instrumentis urinæ.

Loci consentientes de signis.

De his signis lege Auic. 19. Tract. 2. cap. 7. ibi, Signa eius cuius causa est frigus, est albedo urinæ cũ craßitie & tenuitate, & multitudo surgendi ad mingendum, & sensibilitas frigoris, &c. lege diffusius librum & plura inuenies, Paul. li.

3. cap. 45 si neq; ab inflammatione, neq; a calculo, sed ab urinæ acrimonia dependeat cognosces per signa bilem attestantia, Si uero a frigido fiant, aderit urinæ tenuitas alborq; & præter alborem craßities quæ humorem pituitosum denotat, lege Arcul. Alex. & Gord. &c.

De cura stillicidii & diff. urinæ.

Cura huius morbi consistit tantummodo in eius causarum ablatione, ac in urinæ prouocatione, Inquiratur ergo omni studio eius causa, nam si fuerit a frigore tunc calefaciendo et regimen calefaciens instituendo facile curabitur, proderunt interim clysteres ex rebus calidis, inunctiones & fotus calidi prout sermo erit. Si causa erit obstructio coli uesicæ, uel fiat ab apostemate cura erit apostematis prout millies dictũ est, si a materia lapidea recurratur ad caput calculi, Si a materia pituitosa saniosa uel sanguinis coagulatione, tunc intentio erit materiam attenuare cum incidentibus attenuantibus ac apertiuis. s. cũ syr. bisantino de duabus rad. oxymelle simp. cum aquis fœniculi apij etc. deinde urinam prouocare, Prouocatio urinæ multifariam fieri potest, primo leuiter uesicã comprimendo uel cum suppositorio ex sale gemeo, uel cum titillatione in capite uirgæ cũ fricatione in collo uesicæ propeanum, Proritant urinã ualidius inunctiones ex oleo scorpionum & liliorum alborum. nam præter quod calefaciunt etiam resoluunt ac relaxant, Similiter fotus ex pari taria ex senetione cum dictis oleis in sartagine frixis & pubi admotis, uel ex rebus magis calidis ut cum calamento pulegio sabina, Intrinsecus conueniunt clysteres ex hiera picra benedicta caßia zacharo & oleis scorpionum, Conueniunt etiam Decocta fœniculi aßparagi brusci apij petroselini, uel decoctum Iuniperi sabinæ. Item puluis corticis oui, a quo pullus egreßus sit a suo cortice depurati ad quantitatem drac. unius:

Item rubea tinctorũ cantarides amotis pedibus et alis, Prouocant etiam urinam Dialaca diacurcuma Iustinianum, & confectio de cineribus scorpionum, &c.

Loci consentientes de cura stillicidii, & difficultatis urinæ.

Paul. lib. 3 c 45. Si ab acrimonia humorum dependeat cõuenit ptisanæ cremor pisces; balnea uictusq; idoneus; Acria uitanda sunt uinum exercitium & tarda commestio. Si uero a frigida intemperie conuenit uinum calidum & cibi qui urinam prouocent, & hæc de regimine, Aet ser. 11 c. 19. Considerandæ sunt præcedentes causæ, nam si fuerit frigiditas cum calefacientibus & urinam prouocantibus tollenda est, addito etiam ad pectinem fotu, Si uero caliditas præcesßit sicut urina acris & biliosa attestatur, tunc sane exuberantem humorem uitiosum quam celerrime purgare oportet, uitatis interim omnibus salsis & acribus, Quod si nec acrimonia adhuc auferatur lac ipsum cum amylo in uesicã deijciatur, &c. Auic. 19. tr. 2. cap. 8. Si causa est humor uel sanies opus ut curatur cum apertiuis ac diureticis &c. lege eum fusius, lege etiam Arcul. 9. almans. Item Mar. Cat. & rem aptius ac dixerim, intelliges.

Conferentia strangguria.

Conferunt stranguriæ decoctio Acori. cap. uen. Alteæ Allei, Amygdala amara, Apium, casia lignea, cicera, cyperus, Semina cucurbitæ, Gladiolus, gramen, chamedrys assarum, phu, cardamomũ, locustæ suffumigium, maiorana, mel, meu, mezereon, millefolium, ruta, serpillum, sisimbrium asparagus, scilla, terebinthus, porcelliones, uirga pastoris, usnea, rapa satiua, raphanus, milium panicum. Composita sunt confectio alchechengi Auic. Egezea conf. mes. philonium romanum, mitridatum, oleum amygdal. de sabina, de oßibus per-

sicorum,

ficorum, oxymel fcilliticum, focrita conf. haly. Theriaca. T. de abfinthio.

De pronofticis ftranguriæ & difuriæ.

Hip. aph. 6. aph. 6. Renum & ueficæ uitia in fenibus difficulter fanantur. B. *& hoc aut propter inquietudinem renũ, aut humorum acrimoniam aut uirtutem fenum imbecillem, Nam qui morbi fenibus accidunt longi plerunq; ad mortem ipfos concomittautur. Auicen. 19. tract. 2. cap. 6. Expertum eft in pluribus hominibus & dictum eft, qui habet difficultatem urinæ et aduenit ei poftea tenafmon, moritur in feptimo nifi accidat febris & plurimam prouocationẽ urinæ faciat, etc.*

Aet. fer. 1 cap. 19. Si acris humor diutius in uefica moretur partes ipfas corrodit & exulcerat &c. Hip. apho. 3. aph. 16. in fine, in ficcitatibus lippitudines articulorum dolores, urinæ ftillicidia diffuriæ &c. Lege etiã. 22. aph. 3. & 31. eiufdem, ibi, fenibus fpirandi diff. urinæ ftillicidium diffuriæ fiue urinæ difficultates. Et aph. 5. aph. 58. Recto inteftino aut utero inflammationem patiente, urinæ ftillicidium accidit & renibus purulentis urinæ aduenit ftillicidiũ. Et aph. 49. li. 7. Vrinæ ftillicidiũ & mingẽdi difficultatẽ. feu diffuriã, uini potio & uenæ fectio foluit, incidere autem interiores intalo eft bonum, &c.

De urinæ retentione.

Quæ a græcis ἰσχουρία dicitur eft exacta prorfus urinæ retentio periculum afferens &c. Et hoc atteftatur Gal. li. fin. med. ibi, Ifchuria eft exacta prorfus etc. uide ẽt Gord. etc.

De caufis retentionis urinæ.

Caufæ huius affectus funt octo, inflammatio, durities, fanguinis grumus expultricis refolutio, lapidis procidentia, membrorum compafsio, ulceratio, & lithiafis uel alia obftructio, Retinetur etiam urina ob negotiorum importunitatem uel per fomnum &c.

Loci conſentientes de cauſis retentionis urinæ.

Gale. 6. de loc. aff. cap. 3. *Iſchuria prouenit quum circa id quod continetur contrahi non poteſt ut ipſum exprimat, interdum obſtructio inferioris meatus, aut a craßis humoribus, aut impacto lapide, nonnunquam ab inflammatione, uel alio tumore efficitur ut anguſtior meatus reddatur, uel omnino obſtruatur, lege locum hunc fuſius & antedictas cauſas inuenies &c. Lege etiam Aet. ſer. 2. cap. 21. ibi accidit & ſanis ſæpe urinam ipſorum cohiberi ob negotiorum importunitatem, ac ſi diutius in cōcionibus foro iudiciario ſomnisq; mictionem retinuerint &c. Lege Galen. loc. cit. & Auic. & Arcul. & alios modernos.*

De indiciis retentionis urinæ.

Iſchuria ex compreßione urinæ ſtatim cognoſcitur, ſed cauſarum ſuppreßionis indicia, non tamen uſquequaq; ſunt nota. Signa igitur q̧ ex facultate excretoria hæc fiat cognoſcitur ex compreßione uehementi ex qua urina excernitur. Signa obſtructionis erunt ſi minus per compreßionem urina excernatur, & tunc obſtructio erit agrumo ſanguinis, ſi nulla adſit lapidis nota, & ſanguis effluat, uel erit ab abſceſſu ſi pus excernatur, uel inflammationis notæ nō aderint, uel erit a caruncula ſi ulcus & ulceris indicia præceſſerint, uel erit a lapide ſi intromiſſa fiſtula ænea lapidem remouendo urina euacuetur. Similiter ſi a craßis humoribus fiat obſtructio, cognoſces ex uictu præcedente, ſi in otio educatus, ſi multis cibis craßis ac uiſcidos humores generantibus uſus fuerit etc.

Loci conſentientes de ſignis retentionis utinæ.

Gal. 1. de loc aff. ca. 1. *Intueri oportet præterita & præſentia, nam ſi a reſoluta facultate ueſicæ iſchura proueniat, tunc hominem ita figurato, ut decliuis ſit ceruicis ueſicæ poſitus, ac tumorem præter naturam comprime, ut urina expellatur,*

quod si minus profeceris tunc facultatem non resolutam, sed potius urinæ fistulam obstructam cōijce. Si igitur obstructio a lapide fiat &c. lege totum hunc locum et inuenies quæcunque a me supra posita sunt. Lege etiam Gale. 6. de loc. aff. ca. 3. *ibi, non fungente suo naturali munere uesica &c.*

B. Nota *quod in omnibus corporis partibus est naturalis quædam uis excretoria quæ excremēta secernuntur, naturalis dicta eo quod uoluntati non obediat, sed naturaliter agit, unde musculus ceruicem uesicæ circundans, tanquam uoluntati ipse obediens uolentibus nobis eo usq; ab actione quiescit, donec uesica suo munere fungatur &c.*

De cura retentionis urinæ.

Quam primum ischuriæ causam agnoueris facilis erit cura, nam suppreßionis urinæ causas ammouere est curatio. Si igitur inflammatio causa sit retētionis urinæ, curetur, inflammationum curatione, quod si pus uel humor, uel sanguinis grumus in causa sit per dissoluentia pubi admota (uitatis urinam cientibus ne maior uel obstructio uel extensio circa uesicam fiat) statim curabis, uel his non conducentibus, ea imittenda sunt in uesicam quæ dissoluunt per syringam. Si uero propter obtusum uesicæ sensum urina supprimatur, irritando excitare eius actionem expedit cum inseßionibus aut cimicibus capiti uirgæ admotis. Si causa sit lapis, tunc admota syringa lapis excutiendus est, & sic de singulis, prout supra de distillationis urinæ cura dictum est, &c. Aduertendo *etiam quæcunq; a* Paul. *superius de regimine dicta sunt, &c.*

Loci consentientes de cura retentionis urinæ.

Aet. *ser. 2. ca. 21. Si ex inflammatione urina supprimitur, sectione uenæ curabitur adhibitis etiam fomentis et cataplasmatis quæ sæpius ad inflammata, dicta sunt, si uero supprimitur a sanguinis grumo, tunc grumus eo pacto dissoluendus,*

quo de eruptione sanguinis dictum est, si uero lapis urinam supprimat, a loco excutiendus est &c. lege Arcul. 9. almās. ubi de sectione agitur quæ alijs non iuuantibus in collo uesicæ fieri solet, &c.

Stranguriæ & ischuriæ conferentia.

Conferunt stranguriæ & ischuriæ abrotanum, acorus, agaricus, alleum, althea, ameos, amygd. amar. anethum, apium, arthemisia, bacca lauri, balsamum, baucia, chamedrys chamepithys, carpobalsamum, castoreum, centauream, ciminum cimices, cinnamomū, cyperus, cypressus, cuscuta, crocus, daucus, elenium, epithimum, fœniculus, fex uini usta, filipendula auis, furfur tritici, galbanum genestra, melanthion, iuniperus, caßia, therebinthus, lapatiū, lithospermō, locustarū suffumigium, lūbrici terreni, maiorana, matricaria, mirtus, nasturtium, origanū, ocimum, paritaria, peonia, peucedanū, ca. uen. portulaca raphanus, rapa, satiua, siser, ruta, rosmarinus, saluia sabina, saxifragia, senation sepia, serpillum, siler, sysimbriū, sinapis, scordeon, asparagus, scenoāthos, stechas, tamariscus, trifolium, betonica, uinum scilliticū, hypericō hyringus, iris, porrū, cæpæ, asphodellus, petroselinū iuncus odoratus, calamus odoratus, resina mulei pini, lentiscus, hordeū, mel, eruū, pepo, piper, capparis centauriū. Composita sunt aureū ung. nic. diapraßium, diapiretrū nic. Iustinū conf. nic. etiā mucos mingētibus pillulæ diacastoreæ, nic. ung. mellinū dio c. antidotum emagogum nic. & cæt.

De pronosticis retentionis urinæ.

Hip. aph. 4 aph. 80. Si sanguinem mingant & grumos & stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat uentrem & pectinem & fœmen, circa uesicam labor est. B. intelligit pro labore morbum, nam non refert siue πονεῖ, siue νοσεῖ quis dixerit & intelligitur de omnibus urinæ instru-

mentis, nam partem pro toto .i. pro uesica totum quod uesicæ annectitur, hic accipit &c. Et aph. 4. aph. 82. Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur, ijs suppuratione facta & eruptione, solutio, B. hic subauditur quod ex his tuberculis ischuria fiat, quibus diruptis proculdubio sanatur, Nota tamen ꝙ *in antiqua translatione Gal. pro ischuria legitur male strãguria etc. Aet. ser. 2. c. 24. quũ non eijciãt locium, subiecta membra mortificantur, neq; ita longe post moriuntur.*

De urinæ incontinentia.

Quum urina inuoluntarie excernitur tunc resolutione uesicam laborare dicimus, &c.

Loci consentientes de urinæ incontinentia.

Aet. ser. 2. cap. 24. Quibus resoluta est uesica ijs uel præter uoluntatem urina excernitur uel supprimitur, Lege Aui. 19. cap. 13. de Inuoluntario exitu urinæ. Et Pau lib. 3. de urinæ incontinẽtia, Lege etiam cap. 18. ubi de resolutione, quæ unamquanque particulam obsedit, mentionem facit, Lege etiã Arcul. 9. almans. & Sauonarolam, &c.

De causis incontinentiæ urinę.

In causa est ut plurimum resolutio musculi, qui ceruicem uesicæ ambit, Item facultatis retentoriæ imbecillitas, Item nimius potus, hepatis imbecillitas, segregare aquositatem non ualens, item nimia renum caliditas & superfluum frigus, acuitas urinæ, & luxatio uertebrarum spinæ.

Loci consentientes de causis incontinentiæ urinæ.

Gal. 6. de loc. aff. cap. 3. si musculus qui uesicam claudit resoluatur tunc inuoluntaria urinæ excretio prouenit & cæt. Auic. 19. tract. 2. cap. 13. fit ut plurimum propter superfluitatem frigoris & mollificationẽ lacerti, & debilitatem uirtutis attractiuæ in uesica & renibus et propter caliditatẽ plurimã attrahentẽ ad uesicam resudationẽ a corpore, et propter

coarctionem stercoris comprimentem & propter acuitatem urinæ &c. Lege Aet. ser. 2. cap. 24. Et Gale. 6. de loc. aff. ca. 3. ibi, Alter luxatis ad extremas partes spinæ uertebris inuitus urinam profudit, nullo infestante uesicam dolore, cõiecimus eius musculi neruum qui uesicam claudit esse affectum, proinde spinam curare uoluimus, &c.

De signis incontinentiæ urinæ.

Nota esse possunt signa tum ex relatione infirmi, tum ex his quæ dicta sunt, nam quotienscunq; copia urinæ frequenter emittitur, & in minctione ardor non sentitur, nec sitim æger patitur, nec corporis extenuationem, tũc iudica musculum uesicæ esse resolutum a quo excretio inuoluntaria urinæ procedit, & cæt.

Loci consentientes de signis.

Lege Razen. 9. almans. de fluxu urinæ, & Auic. 19. cap. 13. ibi & scire facile fit ex eis quæ præterierunt &c.

De cura incontinentiæ urinæ.

Cura talis sit qualem diximus in cura diabetis, pro quibus lege diffusius Aet. ser. 2. cap. 24. & ubi ad eos qui se in somno permingunt remedia scribit, & Auicen. ubi de mictu in lecto sermonem facit & est fen. 19. tract. 2. cap. 15. Item curam de inuoluntario exitu urinæ &c.

Conferentia iuuoluntario exitui urinæ.

Conferunt inuoluntario exitu urinæ & mollificationi uesicæ, Acetum. scilliticum, Acorus, calamus aromaticus, chamepythis, ciminum, cinis ungularum apri, cyperus cochleæ pulmo hedi, helenium, carnes eritij fœniculum agreste, chubebe, laurus alexãdrina, cerebrum coagulum leporis, lignũ aloes, mumia, ostraca. granapini, cortices pupuli, sisimbrium. scolopendria, uesica apri, mures elixæ & commestæ. Composita confectio aristomachi Auic. Confectio philosophorũ Auic.

ibi.i.5. Vinum extinctionis ferri, oleum nardinum oxymel scilliticum, electuarium piperis haly tamaricon conf. hali, trifera magna, trifera de scoria maior Auic. Tro. Alchechengi *Auic. hiera Galeni.*

De pronosticis incontinentiæ urinæ.

Aet. ser.2 cap.24. Qui præter uoluntatem urinam emittunt quãto plus eis cõtingit eo minus periculo sunt obnoxij.

De ramicum generibus.i. de hernijs.

Quod ramicen siue herniam latine dicimus græci κηλας *omnes fere testium tumores uocant & sunt numero octo: primus hydrocele quæ est incocti humoris in parte scroti collectio.2. Enterocele est intestini in alterum locũ paulatim uel semel delapsus.3.* Hidrenterocele *& est delapsus intestini aqueiq; humoris collectus in scroto.4. Cirsocele & est quorundam uel omnium uasorum quæ testent alunt dilatatio.5. hydrocirsosele & est dilatatio uasorum unde aluntur testes, & crudi humoris in scroti aliqua parte collectio.6.* Epiplocele *& est omẽti lapsus in partem scroti.7.* Enteroepiplocele, *& est intestini, et omenti, & in scroti partem delapsus 8. Sarcocele.i. carnosus ramex, Inuenitur etiam exõphalos.i. procidens umbilicus & est umbilici prominẽtia diuersis de causis proueniens, sed nos de hernia aquosa & intestinali tantum & inguinali uerba faciemus, &c.*

Loci consentientes de generibus ramicum.

Gal. lib. de Tum. præter naturam. c.17. & .18. Induratis testibus σαρκοκηλην, *nomen imposuere, quum uero in testium tunicis humor aquosus colligitur,* υδροκηλην, *si uero omentum in testium tunicas descendat* επιπλοκηλην *si uero peritoneum in inguina profluat* βουβωνοκηλην, *si circa umbilicum* εξομφαλον, *& uide Gal. libr. finit. med.* Auic. 2?. cap.2. *enumerat etiam octo species herniarum quæ sunt uentosa,*

aquosa, saniosa, carnosa, uaricosa, Zirbalis intestinalis & apostemosa, & hoc sub rupturæ nomine, caput deinde aliud facit de umbilici augmento quod alij de eminentia inscribũt et habet tot speties quot de hernijs nuper diximus. Vnde uentosa a græcis dicitur πνευμονφαλον, carnosa σαρκομφαλον aquosa ὑδρομφαλον, Zirbalis ἐπιπλομφαλον et est omenti in umbilicum decursus, & sic de singulis, lege de his fusius iuxta Aet. ser. 14. cap. 22. 23. & 24. De causis ramicum.

Causæ sunt intrinsecæ & extrinsecæ sicut casus percußio plaga saltus uel quicunq; alius motus uiolentus. Causæ intrinsecæ sunt per se notæ, nã a flatu flatuosa in parte abdominis contenta dicitur, Varicosa a latitudine uenarum, & ab earũ imbecillitate prouenit. Aquosa ab aqueo humore in scrotum delapso & sic de reliquis. Hæc autem proueniunt peritoneo membrana aut nimium extenta aut rupta, &c.

Loci consentientes de causis ramicum.

Aet. ser. 14. ca. 22. Aquosa hernia interdum ex occulta interdum a manifesta causa contingit, ex occulta quum aquosus humor circa partes corpusculorum quæ scrotum contexunt ac implicant, sanguini admixtus, collectus fuerit, ex manifesta quum ex plaga collisis uel fractis uasis sanguis afflũes in substantiam aquosam transmutatur. Gal. lib. de Tum. præter naturam cap. 18. Interiori membrana quam græci περιτόναιον uocant, uulnerata ac rupta fiunt ramices &c. Lege hunc locum fusius lege etiam Auic. fen. 22. cap. 2 ibi Ruptura fit propter solutionem paniculi &c. lege etiam Arc. et Paul.

De signis ramicum.

Signum commune omnibus rupturis est tumor inter abdomen & peritoneum apparens. Signa herniæ apostemosæ sunt, signa abscessuum communia. s. tumor durities, grauitas, dolor, & quod paulatine augentur. Signa herniæ zirbalis sunt

quia paulatine aduenit, nō sentitur, rugitus, est paruæ quātitatis nec multū ad profundū oseі se extēdit, nec resupinato ægro ita facile reuertitur ac intestinalis. Signa enteroceles. i. intestinalis sunt facilis reductio, quū resupinatur, rugit dum intromittitur, nisi uel flatus uel siccæ feces in causa sint, nec tā cito introducatur, est præterea magnæ molis, accidūtq; dolores uehemētißimi, dum oseū extendit & testiculum cōprimit. Signa aquosæ sunt qui a tactui cedit & extēditur oseum, cognoscitur etiā per eius splendorē, lenitatē, Itē quia cū mollitie grauis est et paulatine fit, nec quomodocunq; æger situetur interiora petit. Signa flatuosæ sūt quia redit absq; dolore statim facta cōpreßione, absq; q̄ æger resupinetur, etiā percussa resonat, nec adest grauitas, nec lubricitas sed cū lenitate tēdit signa sarcoceles. i. carnosæ sunt quia cū duritie tumet & est absq; dolore nō augetur nec minuitur. Signa uaricosæ sunt q̄a ipsa est dura oblōga ueluti uirga, cuius craßities excedit quādo craßitiē digiti, cognoscitur ēt ex repletis uenis etc.

Loci consentientes de signis ramicum.

Auic. 22. c. 3. Signū aūt cōe rupturis est additio apparēs et sentitur inter sifach & mirach. Signū herniæ intestinalis est redditio eius cū uelocitate cū resupinatur, & sensibilitas rugitus & proprie quū premitur, hernia uero ex zirbo & sifach cognoscitur ex aduētu eius, paulatine &c. lege eū fusius lege ēt Arc. 9. alm. Item Aet. ser. 14. c. 22. & plura intelliges.

De curatione ramicum.

Scopus curandi hydrocelē & flatuosum ramicem, est causā a qua humor aquosus uel flatuosus gignitur, amouere. Q̄d fiet primo, cū phlegmagogis uel aquosum humorē educentibus pharmacis siue clysteribus, deinde cū resoluentibus sicuti cū farina fabarū cimino, emplastro de baccis lauri & similibus deinceps prohibendum est ne noua eodem in loco aqua

uel flatus generetur. Prohibent nonnulli extrahendo aquam, alij cum cauterijs urendo usq; ad epidimin quem arabes didimum uocant, sed reuera in hoc casu ustionem ualde timeo, nam si epidimis totus uratur, uereor ne testes corrumpātur. Si minus, certum est quod per partem non ustam adhuc aqua descendet, quare satius mihi uidetur aquam resoluētibus extrahi quam urentibus. Cura enteroceles & epiploceles. i herniæ intestinalis & zirbalis in duplici intentione consistit in reductione. s. intestinorum ad suum situm, et in retentione in situ suo conuenienti & in constipatione seu consolidatione rupti ac laxati. Reducuntur ad suum situm intestina et omentum si resupinato patiente cum cruribus sursum uersus eleuatis, cum leui manu comprimantur & leuiter agitentur, quibus obuentum renitentibus primum cum resoluentibus ac discutientibus mollientibusq; flatum succurrimus, ut cum decocto altheæ camomillæ mellilotí s. lini. fœnugræci, anisi, cimini, cum spongia applicato, uel cum oleis camomillæ, anethi, amygd. dulci, adhibita interim diligentia, ut emollientibus ac unctuosis clysteribus feces extrahantur. Retinentur etiam in suo situ intestina pluribus medijs, primo cum fotu ex aqua uino & aceto decoctionis gallarum nucum cupreßi, & aluminis, secundo cum cerato de pelle arietina, descriptione, gentilis, stringendo locum in quo eminentia apparet cum cingulo quod uulgo bracherium dicunt, nō mutando id nisi ad 14. diem. 3. cum potionibus constipantibus, unde aliqui utuntur scrupulo uno limaturæ calibis cum uino, in quo hepatica terrestris gallæ uirides, & nuces cupreßi incoctæ sint. 4. cū manuali operatione sicut cum incisione ac actuali siue potentiali ustione. Et modum incidendi docet Auic. & Albucasis & plerīq; alij, quos uidere poteris. Cura sarcoceles. i. carnosæ herniæ, eo modo erit perficienda, ac si esset quidam scirrhus. Si-

militer apostemosum ramicem curabis non aliter ac curari solent alij abscessus, eminentia uero umbilici eandem fere curationem requirit ac de hernijs dictum est &c.

Loci consentientes de cura ramicum.

Aet.ser.14.cap.22. Tutißima itaq; curatio herniarum chirurgia & ustione perficitur, si peritus artifex contingat, potest etiam medicamento scrotum inuri, & consumpto humore & cicatrice inducta firmari etc. Gal.meth.14.cap.13. quod humor qui in hydrocellis uisitur, alienus a corporis substantia tota natura sit, sicuti etiam quæ in ascitis hydropibus continetur aqua, dixisse sufficit, quarum certe euacuationem uel medicamentis quæ digerant molimur, uel chirurgia in hydrocele quidem immisso syphone, in asciti adhibita punctione quam paracentesin uocant &c. Vide hac de re Arc.9. almans. Auic.& Marc.Cat.Auic. 22. cap. 5. Si ambo ad oseum descendaat (.i. ad οσχεον.i. scrotum,) poßibilis est reductio cum resupinatione, & qualibet compreßione cum manu, quod si addatur ruptura incipiatur in desiccando illud quod dilatatum est propter humiditatem, & adunando quod scissum est, & ingenietur in consolidatione eius quod si fiat inobediens ad redeundum sedeat æger in aqua calida & emplastretur ruptura donec redeat, deinde constringatur &c. De cura sarcoceles lege Galen. 14. meth.cap.17. nam cum scirrhis eum enumerat.

Obseruationes circa regimen.

Auic.22.cap.4. Regimen uniuersaliter habentibus rupturam est, dimittere repletionem & motum plurimum & saltus & incestum subitum & coitum, Item dimittere cibos inflatiuos & non multum uti potu aquæ & dimittere omnes res mollificantes &c.B. considera quod cuiq; ramicis speciei uictus ratio sit in contrarium exhibenda.

Conferentia enterocelis & hydrocellis.

Conferunt enterocelis & hydrocellis barba hirci, bdelliũ adeps canis cum alumine scisso, cupreßi folia & nuces, gluten, de corijs, muscus herba, plantago, psylium, semen lini cũ resina & myrrha, pentaphilon ruta siluestris symphitũ, betonica, tritici paleæ, filix herba cum asungia, lenticula in modũ emplastri, peucedanum, cerotum de pelle arietina, lege de his in consilijs montagnanæ. Item Gord. *Sauon. &* Arcul.

De pronosticis ramicum.

Auic. 22. cap. 2. Et scias q ramex intestinorũ & zirbi est ægritudo multum difficilis quãtumuis sit parua, et ramex aquæ est ægritudo facilis & si sit magna, ramex uero ramicosus ac carnosus difficulter aut nunquam sanatur, & tandẽ omnes ramices inueterati ac lõgo tempore facti, suspecti sunt ne testes corrumpãt. Aet. ser. 14. c. 24. cæterũ nosse expedit intestinorũ herniam qualiscunq; fuerit semper aquosa deteriorem, Gord. *& quũ pertransit septem dies tunc labia fiunt dura & obturata quorum unio uidetur impoßibilis, &c.*

De gonorrhea.

Quod seminis profluuium latine dicitur, græce γονοῤῥοια ἀπὸ τῆς γονῆς *quod est genitale semen &* ῥεῖν *quod est fluere appellata est, quæ nil aliud est quam inuita ac præter uoluntatem & pudendi tensionem, seminis excretio, sunt tamẽ qui differentiam inter semen & genituram esse dicant, ut semen tantum in his esse uelint qui generare adhuc non possunt econtra uero genituram.*

Loci consentientes de gonorrhea.

Gal. 6. de loc. aff. cap. 5. *Gonorrhea est inuita ac præter uoluntatem seminis excretio. Et Paulo post significantius dices esse asiduam seminis excretionẽ haudquaquam colẽ extẽso Aet. ser. 11. cap. 33. Gonorrhea est seminis excretio præter uo*

luntatem ac pudendi regimen. De causis gonorrheæ.

Causæ sunt uel spermatis copia uel eius tenuitas & acrimonia, uel multitudo eorum quæ generant sperma, uel erunt imbecilltas retentricis, aut facultatis expulsoriæ fortitudo in seminarijs uasis, uel Gonorrhea ex conuulsione contingere potest, aut ex renibus ob eorum adipis liquefactionem, quæ fieri potest a nimio coitus desiderio, aut a multitudine coitus aut eius cogitatione.

Loci consentientes de causis gonorrheæ.

Gal. 6. de simp. cau. cap. 4. Gonorrheæ si pudendo non intento euenerit retentricis facultatis in seminarijs uasis imbecillitatem sequitur, Si uero intento cole acciderit conuulsioni quoddammodo similis erit affectus &c. Vide Gale. 6. de loc. aff. cap. 5. ibi, Nam sicut retentio &c. Vide etiam Aet. 11. c. 33. ibi fit Gonorrhea ex uasorum seminalium fluxione &c. Vide etiam Auic. 20. ca. 30. ibi causa aut est in spermate aut in uasis seminalibus aut in renibus & lacertis aut in principijs ex spermate uel ob eius copiam, & tenuitatem, &c.

De signis gonorrheæ.

Signa quando fit ex multitudine seminis sunt, quia ad copiam coitus nulla corporis imbecillitas siue diminutio sequitur, Signa tenuitatis seminis sunt manifesta inspicienti sperma. Signa mordacitatis seminis sunt, quia in exitu dolor percipitur, adest ardor urinæ & color eius ad flauitiem decliuis est. Signa imbecillitatis retentricis, sunt quia sine erectione uirgæ semen egreditur, si a conuulsione hoc malum proueniat aderit erectio &c.

Loci consentientes de signis gonorrheę.

Auic. 20. c. 31. illa in qua causa est spermatis multitudo, nõ seqtur debilitas et diminutio cũ multitudine coitus etc. Et illa q̃ fit a tenuitate eius cognoscitur cũ turmis spermatis pñtia.

Et illa quæ fit propter acuitatem & mordicationem eius sentitur ipsa in egreßione &c. lege Aet. ser. 11. cap. 33. & Ga. 6. de loc. aff. cap. 5. &c.

De cura gonorrheæ.

Similis erit huic cura qualis in omni fluxu parari solet, primo cum pauco cibo & potu & si a læsa retentrice gonorrhea oriatur cataplasmatis inseßionibus adstringentibus utendum ex lentisco rubo Myrto, acatia, hypocisthide paratis, Si fiat a multitudine seminis, euacuetur primum, deinde sperma exiccetur, Exiccant sperma rad. nenupharis. s. lactucæ portulacæ rutæ Agni. i. casti, folia salicis ciminum, calamentum, Myrrha, euphorbium, item diacimum etc. Si fiat a tenuitate spermatis temperetur cum stypticis calefacientibus exiccando & craßitiem inducendo, Si a facultate expulsoria, tunc utendum est frigidis, et parũper stupefaciẽtibus etc.

Loci consentientes de cura gonorrhæ.

Auic. loc. cit. cap. 32, Minoretur cibus, fiat euacuatio, & administrentur ea quæ exiccant sperma & minorãt ipsum, Equatio tenuitatis eius est cum eis quibus inest stypticitas & calefactio cum exiccatiuis permixta &c. Vide illum fusius Aet. ser. 11. cap. 33. primum inquiete & pauco cibo, & aquæ potu affectos adseruare oportet, cibi non facille corrumpantur nec difficulter permutentur, & resiccandi uim habeant, &c. B. q. sint inquiete intelligendus est Aetius in primo morbi tempore, nam post hoc exercitijs ægros esse committẽdos ait Paul. quibus totum corpus & affectæ partes firmentur.

Obseruationes circa curam.

Cauendum est primum ne quum craßitiem tenuitatis geniture inducere quæras, aliquid in medicamentorũ compositione addatur, quod genituram adaugeat &c.

Conferentia gonorrheæ.

Conferunt gonorrheæ agnus.i.castus, aqua frigida calamentum, camphora, lac capræ cum melle potatum, castoreũ cum succo agni casti, corium, hematites lapis, eructa, lactucæ semen, nymphea, portulaca, plumbi lamina, s.rutæ, ireos dia praßium Nicolai electuarium Sauo.

De pronosticis gonorrheę.

Aet.ser.xi.cap.33.non solum autem uiris sed & mulierculis hoc malum accidit, & in fœminis ægre tollitur, &c.

De priapismo.

Priapismus est genitalis membri tentigo in longum & latum citra ueneris appetentiam aucta, et denominatur a priapo qui talem membrum habuisse suapte natura finxerunt homines sunt qui hanc affectionem satyriasim nominent a satiro etiam priapo dictam, sed quum Paul. distincta capita de satyriasi & priapismo habeat, describaturq; ab ipso ἡ σατυρίασις ἐστὶ παλμὸς τοῦ αἰδοίου &c. fecit ut rem a priapismo distinctam aliqualiter esse dubitarem ob eorum causam, de qua infra fusius dicitur.

Loci consentientes de priapismo.

Gal.6. de loc.aff.cap.5. Priapismus est quum coles & in longitudine & circulo totus augetur, nullo stimulante ad libidinem desiderio, aut acquisito calore ut quibusdam accidit qui supini decumbunt, lege similẽ descriptionem iuxta Gale. 9. de compos. med. per loc. cap. 9. ibi, priapismus est auctio pudendi, & cæt.

De causis priapismi.

Causæ huius affectus sunt tres prima Arteriarum ora immodice patientia secunda uaporosus spiritus infistuloso neruo ortus tertia est rei ueneræ abstinentia, Ora arteriarum patent uel ob humorum uitia, uel ob flatuosum spiritum sine ordine & uiolenter euacuatum flatuosus uero spiritus fit ab

humore uiscoso crassoq; cum caloris paucitate, Abstinentia rei ueneree accidit ob seminis retenti multitudinem & cæt. Satyriasis de qua superius mentionem fecimus est aßidua colis palpitatio quæ uasorum seminis inflãmatione interdum cum intensione accidere solet, quæ si tantum a flatuoso spiritu fiat nullo modo a priapismo differre potest.

Loci consentientes de causis priapismi.

Gal. 6. de loc. aff. cap. ult. fit priapismus uel ob arteriarum ora immodice patientia & c. lege etiam Gal. in li. de Tumo. præter naturam cap. 15. ibi pudendorum tensiones præter naturam quæ non desistunt quidam σατυριασμὸν quidã πριαπισμὸν nuncuparunt, uide horum differentiam postea. 6 de loc. aff. cap. ult. Vide etiam causas flatuosi spiritus. 14. meth. c. 7. Item. 6. de simpt. cau. cap. 2. De Satyriasi uide Paul. de prima palpitatione loquutum, De secunda fecit mentionem Aet. una cum priapismo, Auic. 20. cap. 37 causa propinqua tensionis est multitudo uẽtositatis crassæ in partibus membrorum coitus aut materiæ uentosæ in ipso neruo cõcauo aut superueniens eis ex arterijs aut uasis spermatis.

De indiciis priapismi.

Indicia per se sunt manifesta ex definitione data, & ex infirmi relatione lege tamen Gal. 14. meth. cap. 5. In ijs qui sic sunt affecti etiam inuitis pudendum arrigitur quod ubi uiderit quispiam statim intelliget esse ex Inflammationum genere, & c.

De cura priapismi.

Si causa fuerit materia flatum efficiens tunc tres medendi intentiones insurgunt prima regimen uictus, secunda est euacuatio. 3. mannæ discußio & resolutio, Regimen sit attenuãs absque manifesta caliditate, Euacuatio fiet uel per sanguinis mißionem uel per purgationem, tum per uomitum, tum per ea quæ per inferiora soluunt, Residuum materiæ discutitur

per

frictiones crebras per exercitium & balnea ex aquis dige=rentibus,& per ea quæ unico uerbo calefaciunt & exiccant, ſed interim per initia ſi calidior materia fuerit ea imponenda quæ caloris proportioni reſpondeant, ut cum cerato roſaceo,infrigidante Galeni,cum lamina plumbi, &c. Digeſta materia tunc ad diſſoluentia accedendum ſine calefactione uehementi ſicut cum camomilla agno.i.caſto &c.

Loci conſentientes de cura priapiſmi.

Aet.ſer.2.ca.32. loquens de regimine inquit hac affectione prehenſos in edia uſq; ad tres dies adſeruare cõuenit,utendumq; eſſe cibis qui leniter attenuare ualeant citra manifeſtã caliditatem,&c. Itidem ait Gale.14.meth. Et cap 8.& 9. de compoſ.med.per loc.cap.9.ibi palam eſt non oportere membra ipſa calefacere ſed refrigerare leniter per ceratum roſaceum &c.Lege etiam fuſius in meth. cap.8. ibi principiũ curationis commune eſt ut totum corpus ea quam ferre poteſt euacuatione euacuetur,euacuatio fiet per remiſsionem ſanguinis &c.lege eum fuſius & plura à me recitata intelliges etc.

Obſeruationes in cura.

Aet. ſer.2.cap.32. ait cauenda eſſe quæcunq; urinam citare poſſunt,& omnia quæ uenerem prouocare ualeant. Auicen. fen.20.cap.39. Dimittatt coitum omnino & cogitationem in eo,& conſiderationem ad id quod mouet deſiderium niſi acciderit priapiſmus propter emiſsionem coitus, Nam tũc coitus eſt curatio, &c.

Prohibentia ſatyriaſim & Venerem.

Prohibent ſatyriaſim et uenerem,uitex,alleum,berbena, camphora,cicuta,cataplaſmata,coriandrum,eruca, ruta, lactuca,menta, fimus muris et nymphea ſalicis folia, portulaca,roſa,plumbum,ſtannum,nepita,faba,& diaolibanũ nic.

De pronoſticis priapiſmi.

Aet.ser.2.cap.32. Cæterum dolores eis contingunt quales tetanici habent & hi qui reliquis membris distendunt, & ex præcipiti hoc modo affecti pereunt nisi confestim eis auxilium feratur, quum uero moriuntur uentre inflantur & frigidum exudant &c. Auic.loc.cit.c.37. Et hoc accidens quando non curatur peruenit ad tenanum uasorum spermatis & accidit apostema calidum cum eo, & interficit, &c.

Authores dissentientes circa Venerea.

1 Adserere, desiderium coitus esse tantum ex crebro ob uirtutem imaginatiuam.

2 Adserere, gonorrheam esse paßionem propriam pudendi & expultricis facultatis.

3 Adserere, coitum nec per se nec per accidens ualere in ægritudinibus cerebri pituitosis.

4 Adserere, satyriasim esse morbũ ridiculosum potius quam curandum.

Confutatio dissentientium circa Venerea.

Ad primum respondetur q duplex est desiderium, alterũ. s.animale quod in concupiscentia inuenitur, alterum naturale ex repletione spermatis quam euacuare tentat natura, primũ ac quædam concupiscentia a corde oritur, licet per cerebrũ postea perficiatur secundũ prouenit a iecore, unde Auic. & desiderium coitus est ab hepate &c. igitur non tantum ex cerebro, sed ex alijs etiam membris principalibus. Ad 2. dicitur q iuxta Galeni placitum gonorrhea sit paßio per se retentoriæ facultatis & propria uasorum seminalium, sed per accidens expulsoriæ & secundum apparentiam ipsius pudendi, & hoc affirmant & Auic. & Sera. Nõ erit igitur proprius expultricis nec pudendi affectus, sed per accidens. Ad.3. inqt Auic. coitum maxime præstare ad euacuationẽ & diuersionem superfluitatum, unde in ilisci morbo, præsertim iuuat

quoniam causam ægritudinis, quæ fit ob amorem, remouet & paratos cadere in ægritudines phlegmaticas ex eius multitudine liberat si moderatus præcipue fuerit &c. Ad.4. Aui. per ducit hominẽ ad spasmum et tetanũ uasorũ spermatis & interficit, unde morbus hic ualde timendus est & nõ ridẽdus ut aliqui adserũt, etc. De suppresſione menstruorum.

Menses sunt mulierum profluuia a uitiato humore dependentia, eoq; dicti sunt quod singulo mense accidant, tempus durationis menstruorum multis mulieribus est a primo usq; ad 3. diem, nõ paucis a primo usq; ad.5. alijs ad septimũ & raro ad 12. accedit proſluẽdo, Incipitq; fluere a 14. anno, paucis ante 13 aut. 12. nec ultra quinquagesimũ fieri solet, imo a triginta quinq; annis præsertim obæsis mulieribus solet cessare etc.

Loci consentientes de suppresſione menstruorum.

Gal. 6. de sympt. causis. c. 4. Menses sunt deprauatæ per uterum fluxiones quæ expurgato per hanc partem uniuerso corpore fiunt. Paul. lib. 3. c 60. Mulierũ plurimis menses quatordecimo anno fluere incipiunt, paucis ante 13. aut 12. plerique post. 14. erumpunt. Haly abb. 9. de pass. matri latitudinem inceptionis menstruorum esse inquit a 4. anno cõpleto usq; ad 14. Et latitudinem desinentiæ a 36. usq; ad 50. & hoc idẽ affirmant Auic. & Arist 9. de animalibus & hoc intelligitur de uniuersali durationis tempore, Particulare uero incipit a duobus diebus & se extendit usq; ad septem, Guai 5. aph. tempus menstruationis durat a. 3. die usq; ad. 8. q, si ultra citraq; fluxerit, talem fluxum præter naturam dicimus &c.

De causis suppresſionis menstruorum.

Menstrua supprimũtur uel per se affecto utero uel p cõsensum. Per se efficitur uterus uel ex duritie cõtracta uel ex uenarum angustia uel ratione facultatis expulsoriæ quæ ob malam intemperiem oriri solet. Supprimũtur rursus obstructis

uasis quæ ad uterum descendunt & hoc uel ratione caloris desiccantis uel ob copiam humorũ crassorum uel ob abscessum uel carnem additam, Sistuntur etiam menses si ad alia loca sanguis transferatur, uel ob uaria excretionũ genera, etc. Per consensum etiam supprimuntur, uel ratione hepatis sanguinem nõ descernentis uel ratione obstructionis totius corporis uel aliorum membrorum particularium, &c.

Loci consentientes de causis suppresſionis menstruorum.

Gal. 6. de sympt. cau. cap. 4 suppreßionis causa menstruorum uel est durities uteri, quæ uel illico ab origine contrahitur, uel post generationem et hoc ratione uteri affecti, qui ex uenarum angustia aut ex uasorum uteri compreßione, quum immodice corpus crassescit, aut ex intemperie uteri procedi, Detinentur etiam menses ob materiam ipsam, quũ crassum fuerit uel uiscosum quod euacuatur. Supprimuntur rursus obstructis ob huiuscemodi humores, uasis, quæ ad uterum descendunt uel ratione uniuersi corporis &c. lege tu fusius. Aet. ser. 16. cap. 51. Sistuntur menses quibus sanguis crassus est & uiscosus, & quibus ad alia loca transfertur uelut per nares & sedem, Quin & sanguinem ex thorace reiectantibus, uel quibus per uenæ sectionem multus extrahitur &c. Lege de his causis Galen. aphor. 5. comment. 57. Item Auicen. fen 21. c. 25. ibi, Menstrua retinentur aut propter causam propriam, aut communem, &c.

De signis suppresſionis menstruorum.

Suppreßio menstruorum quæ fit à frigore cognoscitur grauitate, somno, coloris albedine, pulsus raritate, copia urinæ & excretione pituitosa, quæ uero fit a caliditate demostratur ex inflatione ac exiccatione uteri, uel ex his quæ uterum radunt ac mordent, quæ uero fit a siccitate manifestatur ex

his quæ præterierunt, præsertim ex extenuatione corporis et uenarum tenuitate, quæ autem fit ab abscesßibus uel carne addita per obstetricem cum signis abscessuum cognoscitur. Similiter quæ fit a duritie uel a conceptione per obstetricẽ uteri ceruicem tangentem, cognoscetur &c.

Loci consentientes de signis suppresſionis menstruorum.

De *signis lege* Auic. 21. *cap.* 27. *Illius quæ pendet a frigore, signum est grauitas somni & profundatio in ipso & albedo coloris, uiriditas uenarum, & raritas pulsus & multitudo urinæ & phlegmatica ægestio, & reliqua lege eum uberius.* Gal. 6. de loc. *aff. cap. de uteri aff. citat aph.* 39. *lib.* 5. *ibi, si mulier quæ neq; grauida neq; peperit lac habet mẽstrua huic defecerunt & ibi alia indicia suppreßionis ponit, nam inquit grauitas totum corpus molestat,* Item *fastidium ut nullo adsit cibi cupiditas, horror inæqualis, quod si inæqualitas sine horrore euenerit, alienaq; cupiat iube q, obstetrix uteri ceruicem tangat, nam dictum est ab* Hip. *apho.* 5. *aph.* 34. *Quibus os uteri durum est, his uteri os comprimi est necessarium, quod si citra duritiem clausum sit eam prægnantẽ esse conijcies, quod si clausum sit cum duritie affectum esse uterũ protendit &c. lege tu fusius, lege etiam* Aet. *serm.* 16. *cap.* 54. *ibi supprimuntur ex frigidiore temperatura etc. Quod per excrementa corporis signa habere poßimus elice ex* Gale. 6. *de sympt. cau. cap.* 4. *ibi talem semper refert speciem id quod excernitur, quale est id quod inanimante redundat &c.*

De cura suppresſionis menstruorum.

Cura retentionis menstruorum duobus scopis indiget primum in remouenda causa alterum in prouocandis mẽstruis. Si causa igitur fuerit uehementißimus calor menstrua cohibens, tunc prouocare ea non licet quum sat sit ab hoc calore

superfluitates absumi. Si uero in causa fuerint longæ ægritu tudines præcedentes cum imbecillitate uirium, tunc nec prouocanda sunt, quum corpus potius reficientibus quam euacuantibus indigeat. Si uero causa fuerit materia pituitosa tūc in medendo opus est materiam a qua menstrua corrumpuntur, & a suo naturali ordine mutantur, præparare, & præparatam euacuare. præparatur crassa attenuādo & obstructa aperiendo cum oxymelle sy. bisantino de duabus rad. cum aquis fœniculi apij cuscutæ. Euacuatur cum his quæ humorē superfluum educunt ut cum agarico, electuario indo, diaphinicone &c. & si qua mala fuerit intemperies relicta tūc his remoueri debet quæ stomachum & hepar roborant quales sunt multæ confectiones &c. Quod si menses retineantur ab aliquo abscessu curatur cura apostematum ut pluries dictum est. Si causa fuerit pinguedo tunc adhibitis resoluentibus curabitur cum exercitijs et ieiunijs &c. Si causa fuerit aliquod ulcus tunc cura erit impossibilis, & si quid curæ fuerit, tunc per regimen & frequentem uenæ sectionem fiet, ut sanguis per tenuem uictum & sanguinis missionē, qui fluere per intestina consueuerat, discutiatur ac euacuetur. Prouocant deinceps menstrua decoctū quinq; rad. cum sabina, pulegio, calamento, mentastro, origano cum sy. de duabus, uel quinq; rad. prouocant ualenter troc. de Razes, cassia lignea, crocus, cinnamomum, borax aurificum, Item balnea frictiones & cucurbitulæ poplitibus ac coxarum parti domesticæ applicitis, item saphenæ uenæ incisio & pessaria ex mercuriali & melanthio cum musco in rara syndone &c.

Loci consentientes de cura suppressionis menstr.

De cura lege Aet. ser. 16 cap. 53. ibi, Quæ ob nimiam caliditatem non purgatur quam maxime humectare oportet cū balneis & uberiore ac humidiore cibo & potu, quæ ob ni=

miam frigiditatem oppositam curationem exposcunt, &c.

Gal. aph 5. com. 36. Intentio sanationis est primum ora uenarum adaperire quæ ad uterũ pertingunt sanguinemq; extenuare deinde purgationem adhibere, nam quando crassi euacuantur humores tales sanantur dispositiones etc. De prouocandis menstruis lege aph. 28. lib. 5. ibi suffitus aromatum muliebria ducit, sæpius uero & ad alia utilis esset nisi capitis facerent grauitatem &c. B. Veritatem non continet apho. in omni menstruorum suppressione, nam si detinentur mẽstrua ob uteri inflammationem, aut tensionem, aut ob alias similes causas nihil suffitus aromatum prodesset, sed si sistuntur ratione sanguinis crassi uel obstructionis uasorum aut substantiæ densitatis uerum est quod per aromatum suffitus menses euocantur, quum crassa extenuat obstructa incidẽdo reserat, & obserata aperit, quæ uero sint aromata docet Gale. esse amomum casiam costum cinnamomum &c. Vide Auic. 21. tr. 3. cap. 28. Vide etiam Arcul. & Marc. Cat.

Prouocantia menstrua.

Prouocant menstrua absinthium, acorus, agaricus, agnus, castus alleum, aloes, amaracum, amygdalæ amaræ, abrotanũ, artemisia, assa, ciclamen, calamentum, chamedrys, chamepithys camomilla, cantarides, castoreum, centaurium, cinnamomum, cupressus, cyperus, cucumer agrestis, daucus, helenium, eupatorium, faseoli rub. lens syluestris, galbanum, ammoniacum, iris lupini, maiorana, cuscute laurus, laudanum, marubium, melissa, mentastrum, matricaria, mercurialis, myrrha nasturtium, ouum anatis, origanum, ozimum, papauer rub. pastinaca, peonia, peucedanum, pulegium, raphanus, rosmarinus, rubea tinctorum, ruta, sambucus, saluia, satu regia, sauina serpillum, sinapis, scamonium, scilla, spica, urtica, usnea. Composita sunt diacalamentum

diatrionpipereon, diapraßium troc. de myrrha theriaca magna, triphera magna, pillulæ fœtidæ de serapino.

De pronosticis suppresſionis menstruorum.

Aet. ser. 16. cap. 52. *Suppreßis menstruis sanguinis reiectationis ac syderationis periculum imminet &c.* Lege nõnulla etiam iuxta Gal. 6. de loc aff. cap. 4. *quæ intelligi tam possunt de menstruis quam de retento semine.*

Auicen. 21. tract. 3. cap. 26. *Suppreßis mensibus ei cui uirtus ad excernendum est potens aßimilatur uiris, & multiplicantur capilli, & nascitur ei ueluti barba, Quare frangitur forma eius & incrassatur, deinde moritur & interdũ prouenit ante mortem ad dispositionem, cum qua non est poßibile ut prouocentur menstrua.*

Hip. aph. 5. aph. 34. *Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens, bonum.* Et aph. 57. eiusdem, *si menstrua plura fiant accidunt morbi, & si non fiant ex utero morbi contingunt.* B. *quasi dixerit si menstrua detinentur necesse est processu temporis ipsum uterum pati,* lege Gal. in com. Et aph. 5. aph. 61. *Si mulieri cessent purgationes, neq; febris neq; rigor superueniat & fastidia accidant, iudica ipsam in utero hẽre.*

De mensium profluuio & eius causis.

Duplicem hic affectus habet causam, uel ab utero unde emanat, uel ab ipso humore fluente, prima fit aut ab uteri imbecillitate, aut ab eius uenarum apertione, aut a quopiam ulcere corrodente, uel scissura. 2. bifariam fieri cõtingit, uel ab ipsius sanguinis quantitate uel qualitate, quantitate uel causa repletionis nimium corpus aggrauantis, unde fit euacuatio quæ uel naturalis uel non naturalis erit, Naturalis quũ a natura ita fiat ut superfluum tantummodo expellatur, non naturalis quum ob suam multitudinem, & dominium immodice profluat, qualitate, uel causa caliditatis sanguinis, uel

tenuitatis, interdum etiam superfluunt menstrua causa abortiui fœtus uel ob partus grandiores, &c.

Loci consentientes de causis profluuij menstruorũ.

Gal. aphor. 5. comm. 57. fit immodica menstruorum euacuatio, si ora uasorum quæ ad uterum pertingunt ultra modum aperiãtur, aut si sanguis uel calidior uel tenuior fiat, aut sua multitudine modum naturæ conuenientem excedat, aut totum corpus aggrauet &c. Lege etiam Auic. 21. tract. 3. cap. 2. ibi superfluitates quandoq; fiunt secundum semitam ægritudinis, aut propter dispositionem in matrice, aut propter eius debilitatem, aut malitiam complexionis, aut propter ulcera, & corrosiores, &c. Lege etiam Paul. lib 3. ibi fit etiã ob partus grandiores & crebro ob abortiui fœtus causam &c.

De signis profluuij menstruorum.

Signa menstrui ab imbecillitate uteri, aut ab apertione uenarum prouenientis erunt, si sanguis exierit purus nullũ dolorem inferens, si uero ab ulcere profluat tunc paulatim & maximo cum dolore prodeat, Considerentur tamen & quantitas ipsius fluentis sanguinis, & modus delationis, nam amplioribus uasis ruptis magna sanguinis copia statim profluit minoribus uero non itidem, signa ex quantitate sanguinis nimium corpus replentis sunt signa repletionis ut uenarum latitudo exuberans, faciei & corporis repletio, quæ interdum cum dolore est. Signa quando fit a mala qualitate sunt caliditas, tenuitas, acrimonia, & color prauus. Signa immoderatæ euacuationis sunt color fœdus pedes tumescunt, concoctio uitiatur, & prosternitur corporis robur &c.

Loci consentientes de signis profluuii menstruorũ.

Auic. 21. tract. 3. cap. 3. factam a debilitate matricis & apertione uenarum significat exitus sanguinis puri nõ dolorem faciens etc. lege eum fusius. Gal. 6. de loc. aff. cap. 4. quum im=

immodice euacuantur, sequitur color fœdus, pedes molli tumore attolluntur, corporis robur prosternitur, ciborum tum concoctio tum cupiditas uitiatur, atq; in totum omnia quotquot immoderatam sanguinis euacuationem siue ex hemorrhoide siue alio quopiam sanguinis fluore euenientem sequi consueuerunt, accidentia huiuscemodi fœminas infestant, &c. lege Arcul. & Aet.

De cura profluuij menstruorum.

In superfluo mensium fluxu binæ requiruntur intentiones quarum altera in remouenda fluxus causa consistit, altera in retinendo fluxum, uerum in praxi ultimum quod est in intentione primum esse debet in executione. Si igitur causa multitudinis sanguinis menstrua superfluxerint, tunc sectione uenæ & uictu tenui qui sanguinem non adaugeat succurrendum. Si uero contenuis ac calidi sanguinis fluxus accidat, tunc sanguis cum syr. ros. de granatis de suc. acet. cum aquis acetosæ portulacæ plantaginis alteretur, & si quid bilis secũ admixtum sit euacuetur cum myrobalanis casia & rheub. Deinde sanguinis discrasia cum diarhodone triasandalis, uel cum epithemate ex aqua ros. plantaginis & unctionibus frigidis remoueatur. Si uasorum apertio in causa sit per obturationem & ruptura per conglutinationem, et erosio per renutritionem curabuntur. Si causa fuerit uteri imbecillitas per aromata styptica quæ sua proprietate roborant, curabitur, si causa fuerit ulcus tunc opus sunt duæ intentiones abstersio. s. & cõglutinatio &c. Et hæc de prima intentione. 2. intentio est sanguinis cohibitio quæ duobus medijs perfici potest, primo diuersione ut sanguinem ad alias partes reuocemus. 2. cohibitione restringendo et uiam intercipiendo per quam sanguis debet fluere, diuersio igitur fiet per sectionem uenæ hepaticæ uel basilicæ aut per impositionem cucurbitularũ sub manis

ante cibum, uel ſub brachijs cum uehementi frictione, Intercẽ-ptio uiarum per quas ſanguis fluit tum intrinſece tũ extrin-ſece fieri poteſt, intrinſece cum ſy. frigidis ſtypticis, qualis eſt ſy. ros. mirtinus de portulaca cũ aquis plantaginis, ſolatri, a-cetoſæ, quibus adijci poſſunt troc. de charabe de terra ſigilla-ta, de ſpodio cũ ſemine acetoſæ, Itẽ puluis corall. rub. lapidis hematitis, el' de ſcoria ferri, et triphera ex arte phenonis etc. Valẽt ẽt in hoc caſu naſcalia ex coto in ſuc. plãg. immerſo cũ boloarmenio sãguine draconis etc. Itẽ balnea et ĩ untiones ex rebus ſtypticis ut ex roſis cort. granatorũ gallis, baluſtijs, aca tia, hypocyſtide etc. Quæ oĩa quũ nihil ꝓfecerint ad narcoti-ca, cõſiderata primũ uirtute, refugiendum, qualis eſt athana ſia nic. & phylonium. Loci conſentientes de cura.

De cura lege Auic. 21. tr. 3. ca 4. ibi facta a multitudine ag-grauãte corpus &c. ſi fiat a bile euacuetur cũ myrobalanis in quibus eſt uirtus ſtyptica, ſi ab uteri imbecillitate dentur aro mata etc. Gal. 7. de cõpoſ. med. ꝑ loc. ca. 4. oſculi uaſorũ aper tio per obturationẽ & ruptura per conglutinationẽ & ero-ſio per renutritionem curatur &c. Et meth. 5. cap. 4 et 5. exi-ſtimanda eſt profuſionis quantitatis, nã ſi per ruptũ uas aliqd' magnũ eſt aut uehemẽter recluſum hiat, utiq; adſtringẽtibus medicinis opus eſt, ueluti balaſtio hypocyſthide Rhoe om-phacio, acatia, gallis immaturis, & malicorio, ſin uel exi-guum uas eſt per ruptum & non multus profluit ſanguis tũc aloe & manna & pini cortex & lemnium ſigillum lapis he matites & alia ſimilia ex auſtero uino nigro utilia medica-menta, uide etiam de cucurbitulis ad mamillas applicandis meth. 13. cap. 19. ibi, ſic nanque ad mamillas cucurbitulas im ponimus, quum ſanguis ex utero profluit. Itidem meth. 5. cap. 3. Hip. aph. 5. aphor. 50. mulieri ſi uis menſtrua cohibere cucurbitulam quàm maximam ad mamas appone & cæte-

De regimine uictus, lege Aet. ser.16.c.64. ibi imperandũ est unius aut alterius diei ieiunium &c. lege etiam Auic. fen.21. cap.4. ibi cibetur ipse cum eis quæ sunt uitelli ouorum &c.

Sistentia ac supprementia menstrua.

Sistunt ac supprimunt menstrua acatia, acetosa, alumen, aizoon, aqua aluminosa, balaustia, barbahyrci, bolus armenius, blactæbisantiæ, suffumigium castanearum cortices, cauda equina, cornu cerui ustum, cicuta, citonia, coagula, consolida, coralli, coriandrum, lapis hematites, hepatica, uinum extinctionis ferri, fimus capræ, gallæ immaturæ, gypsum, gumiarab. glandes, granatorum cort. et flores, hyosciamus, charabe, lapis iaspis, lentes lentiscus, lycium, semen mãdragoræ, margaritæ, mastix menta, millefolium, myrrha, mirtus, frondes mori, mumia nymphea, olibanum, oliuæ, polygoniũ, portulaca, cortices interiores quercus, & ulmi, rosa, rubri, sanguis draconis, syliquæ ægyptiæ comestæ, solatrum, sumach scoriaferri, uernix. spodium. spicainda, uirga pastoris flores uitis agrestis, hypocysthidis succus. prunioli acerbi & agrestis. Comp. sunt conf. alchechengi Auic. 1.5. confectio scoriæ. Auic.3.5. diaolibanum Nic. phylonium persicum Mes. syr. de mirto, de portulaca, Theodoricon magnum, triphera minor fenonis mes. Troc. de terra sigillata de charabæ, de spodio, michileta, athanasia haly.6. ant. &c.

De pronosticis suppresſionis menstruorum.

Hip. aph.5. aph.56. In fluxu muliebri si conuulso & animi deffectus aduenerit malum. B. Nam ad omnem immodicam euacuationem, tanquam casus communis animi deffectus accidere solet, unde Gal. meth.5. cap.5. profluere prohibetur ob animi deliquium, quod sæpius accidere solet &c. Et aphor.5. aph. 57. Si menstrua plura fiant accidunt morbi, & si non fiant ex utero morbi contingunt, Auic.21. cap.2. Et illud est

deterius, quod ex complexionis malitia oritur. Et quum superfluit sanguinis fluxus sequitur debilitas appetitus & digestionis, aut extremitatum inflatio et coloris malitia et interdum perducit ad hydropem, &c.

De doloribus iuncturarum, siue articulari morbo, & podagra.

Dolor iuncturarum est tristis sensatio earum a mala intemperie, uel a soluta continuitate eis accidente proueniens, cuius species sunt arthritis, podagra, Ischias, gonagra & chiragra, Morbus igitur articularis quem græci αρτριτην uocant est defluxus humorum ad artus siue iuncturas pedum ac manuum cum dolore & tumore, Podagra est pedum affectio ab humore calido uel frigido dolorem inferens etiam neruis patientibus, Ischias est coxarum dolor diuturnus ac difficilis a materia fluente ad uertebras sciæ, & ligamenta usque ad poplites & suras, Gonagra est Inflammatio genuum cum intenso dolore, Chiragra est manuũ dolor a materia in neruis & tendonibus manuum contenta.

Loci consentientes de dolo, &c.

Gal. lib. fin. med. Arthritis morbus est inflammatio articulis accidens, quæ magnum dolorem neruis patientibus adfert. Et aph. 6. comm. 49. Podagra est inflammatio pedum a fluxione humorum causata, Paul. lib. 3. cap. 77. coxendix est dolor a natibus inguinibusq; ad genua usq;, In plurimis autem ad summum pedem pertingens, Auic. cap. de dolor iunc. sciatica est dolor, qui incipit a iunctura anchæ & descendit retro ad coxam, & quandoque extenditur usq; ad genu & ad calcaneum, &c.

De causis articularis morbi.

Causæ efficientes uel sunt extrinsecæ uel intrinsecæ, Extrinsecæ sunt casus percußio, propulsus, uel luxatio, labor

intempestiuus, potio frigida insueta, Nauseatiua satietas, nimia repletio, & omne quod bonam digestionem impedit et superfluitates multiplicat, Item consuetarum euacuationum retentio, Item, Mærores, curæ, & reliqua animi pathemata. Causæ intrinsecæ sunt uel ex parte membri suscipientis uel ex parte fluentis materiæ, Causa instrumẽtalis est dilatatio meatuum naturalium accidẽtalis, quæ fit uel propter membri imbecillitatem aut propter eius malam intemperiem, Rursus imbecillitas membri uel erit a sui origine uel propter caloris uehementiam, aut propter motum uel dolores uel causas extrinsecas, Causa materialis maiori ex parte erit pituita, sæpe sanguis, raro bilis, rarißime omnium atrabilis &c.

Loci consentientes de causis Arti. morbi.

Paul. lib. 3. cap. 78. Cæterum hoc mali frequenter antecedit improbus labor, uehemens ambulatio, equitatus creber, usus ueneris intempestiuus, insueta frigidæ potio &c. lege eum fusius & plura inuenies, Lege etiam Aui. 22 cap. de dol. iuncturarum ibi & de causis eius sunt cibi generantes &c. & paucitas digestionis quies et demißio exercitij coitus plurimus frequentia ebrietatis & retentio euacuationum &c. lege locum uberius, lege etiam Gal. 6. aph. com. 28. ubi causam enumerat q; multi idcirco laborant quia patres & auos habuere podagricos in quibus semen erat uitiatum atq; ideo natis uehementiorem fecerunt partium imbecillitatem ubi etiã inquit quòd necesse est pedes esse natura imbecilliores siquis podagra corripi debeat &c.

De signis Articularis morbi.

Signa cãrum extrinsecarũ habentur ex relatione infirmi, Signa intemperieri simplicis sunt q; dolor eius est sine grauitate inflatione et coloris alteratione, Signa intemperiei cũ materia, sunt grauitas tumor, quorum absentia non super si-

gnificat materiæ priuationem, quum fieri poſsit ut materia in profundo deliteſcat, Item permutatio caloris loci & doloris materiam indicant flatuoſam uel humoralem, Signa particularis camæ ſumuntur a iuuantibus, & nocentibus, Item ex calore loci & ex pulſu & ab egredientibus & ex hora doloris & ex additione eius & repletione, Itẽ ex ætate conſuetudine & ex regimine præcedente, Signa ſanguinis ſunt quia rubeſcit locus niſi in profundo lateat, adeſt tenſio, pulſatio, grauitas, regimen ſanguinem adaugens & diſpoſitio corporis ſanguinea, Signa bilis ſunt calor intenſus, nulla grauitas, paucitas rubedinis dolor eſt ſuperficialis, mordicans, urina rubea. pulſus uelox, temperies bilioſa, regimen bilem generans. Signa pituitæ, color albus, liuidus, dolor grauans, remiſſus, tumor magnus cum mollitie, non ſentitur calor, urina alba, temperies pituitoſa regimen pituitam generans & ætas ſenectutis, ſigna melancholiæ, ſunt dolor remiſſus profundus, tumor paruus cum duritie, urina remiſſa, tenuis habitudo extenuata, regimen præceſsit melancholium.

Loci conſentientes de ſignis.]

Aui.22. T.3.c de ſig dolorum iunct. Cõplexio ſimplex fit parumper raro & fit in ea dolor ſine grauedine abſq; inflatione & non eſt alteratio coloris &c.

De ſignis humorum lege Paulus.lib.3.c.78.ubi deprehendi facile humorum, noxam inferentium diſcrimina poſſe, tũ ſuis coloribus tumq; his quæ ſuperueniunt &c. lege eũ fuſius etiam de particularibus cauſarum ſignis, lege etiam Razem in lib.de iuncturis & plura intelliges. &c.

De cura articularis morbi.

Pro cura articularis morbi ſiue pdagræ quatuor opus sũt intentiones prima erit auerſio quæ fiet ſanguine peccante cũ

sectione uenæ per rectam diametrum, aut cum euacuatione minuendo materiam sicuti cum pillulis de hermodatilis minoribus, cum rheub. aut cum uomitu. 2. est humoris siue calidi, siue frigidi digestio, quæ stypticis frigidis in causa calida, ut cum syr. ros. de granatis cum aquis plantaginis acetosæ, &c. & in causa frigida cum rhodomelle, deinde cum syr. de stechade cum aquis betonicæ absinthij & saluiæ perficitur. 3. intentio est præparati humoris omnimoda euacuatio, unde in causa calida conueniunt pillulæ de hermo. min. cũ rheu. in frigida pillulæ de hermamai. &c. 4. est doloris prohibitio quæ fieri potest in causa calida, cum repercutientibus anodinis, qualis est caßia cum oleo ross. dissoluta, uel cum aqua solatri & ros. uel cum medulla panis in lacte cum uitello oui, sed si fluxerit omnino materia, tunc anodina simpliciter conueniunt, sicuti camomilla anethum mellilotum fœnugræcum &c. Vlt. cum his quæ resoluunt & emolliunt procedendum, sicut cum oleo camomillæ et stercore uacino aut cum balneo ex uino & rebus stypticis &c. Cibaria in causa calida sunt frigida & humida ut ptisana hordeacea cum zucharo cucurbita attriplices cucumeres & similia, uitentur dulcia acria & salsa, Item carnes & uina, In causa frigida uictus sit tenuis & pro potu sit hydromel, Itidẽ curatur ac dixi ischias uerum quum in profundo materia lateat, repellentibus in principio non utimur, &c.

Loci consentientes de cura articularis morbi.

De prima intentione loquitur Auicen. 22. cap. de cur. dolo. iunct. ibi, Cum autem causa in eis est cum materia tunc opus ut prohibeatur quod effundit per attractionẽ ad contrarium, & per minorationem &c. In causa sanguinea opus ut administres phlebotomiam ex parte contraria, deinde administra uomitum &c. Paul. in quibus sanguineus humor redundat

protinus ſanguis mitti debet, qui tamen in pituitoſis uel atrabilarijs non eſt detrahendus etc. Razes in lib. de iunct. incipimus minuere ex latere oppoſito propter duo commoda quorum unū eſt declinare materiam à ſuo loco, alterum eſt retardare curſum materiæ ad locum doloris, et in lib. diuis. opus ut non prolongetur phlebotomia in ſanguinea, ſed fiat cum incipit dolor & pulſatio &c. Vide de his etiam Haly-abbatem. Arcul. Mar. Cat. &c. Gal. aph. 6. com. 28. Nō influet humor ſi omnino uacans ſuperfluitatibus corpus extiterit, Erit enim uacans ſi mediocri utatur exercitio, & bene cibū concoxerit, unde & deſidiæ & crapulæ eis nocent &c. Lege de his cibis Razem loc. cit. ibi dieta ſit frigida & humida ſicut aqua hordei & cucurbita & cucumeres &c. Lege etiam Alexan. ibi uitentur dulcia acuta unctuoſa ſalſa &c.

Obſeruationes in euacuatione.

Marc. Cat. inquit ꝙ in euacuando pituitam non debemus tantum phlegmagogis uti, ſed etiam cholagogis, quum pituita ſemper bili admixta ſit, alioquin ex ſe non flueret. 2. quod euacuantibus debemus ſtyptica admiſcere, quia conſtringendo uias prohibent materiæ fluxum. 3. ꝙ a principio cū uehementi pharmaco non eſt euacuandum, quia tunc tenue egrederetur, & quod eſſet craſſum remaneret &c.

Obſeruationes circa digeſtionem.

Gera. ſuper. 9. alm. digeſtiuum materiæ frigidæ debet eſſe calidum ſtypticū dum materia fluit, ſed in materia fluxa debet eſſe ſubtiliatiuum & inciſiuum Marc. Cat. Digeſtiua non debent eſſe ualde aperientia, nec quæ neruis & iuncturis noceant ſicut oxymel.

Obſeruationes circa repercuſsionem.

Gilbertus uti debemus repercußiuis donec ceſſet dolor et apoſtematis pulſatio et tunc ceſſabimus ab eis quoniam ſi ul-

terius usi fuerimus ingrossabitur materia & reddetur diffici lis dissolutionis. Aui Repercußio non oportet ut fiat materia existēte fortis effusionis plurimæ resumptionis, nam materiam inobedientem facit & dolor accidit magnus.

Obseruationes circa resoluentia.

Halyabb. in sua praxi, Nō oportet uti medicaminibus calefacientibus & subtiliantibus nisi post digestionem & corporis purgationem, quoniam si aliter fiat tunc humor aduritur & indurescit & difficilis fit sanationis. Auic. Non oportet ut approximent resolutiua fortia in principio rei, ante euacuationem, quoniam faciunt euenire materias plurimas, deinde resoluūt subtile earum & inspissant residuum & retinent ipsum, & hoc in materia uiscosa & melancholica.

Obseruationes circa motum.

Alex. tract. Non superabundantem sequantur motū quoniam nocet, sed utantur eo paulatine absq; labore quoniam motus generat bilem rubeam & eam attrahit ad articulos, Razes in lib. de iunct. caueant ab ambulatione equitatione balneis retentione urinæ & egestionis.

Conferentia doloribus iuncturarum.

Conferunt doloribus iuncturarum resoluendo quædā ac liquefaciendo materiam condensatam ut crocus mellilotum anisum, aloes, mastix, iris, stechas arab. Quædam craßitiem attenuando & ex profundo attrahendo, sicut caricæ mel lentiscus, abrotanum, apium, syluestre calamentum, aristologia, ruta, cum melle, urtica, nasturtium, gumi rutæ syluestris, ammoniacum, galbanum euphorbium resina terebenthina, costus, castoreum. Quædam attrahendo & uesicando ut cepæ alleum lac ficus anacardi, sapo, cortex nouum atramentum fermentum. Quædam urendo & ulcerando ut atramentum uitriolum staphisagria fermentū scilla, uernix pini, thapsia,

cantarides. Quædam penetrando in profundum ut aqua uitæ, oleum terebenthinæ, oleum philosophorum. Quædam leniendo & mollificando, ut adeps anatis anseris uulpis leonis ursi, medullæ crurium uituli, cerui asini, æsypus mucilago s. lini fœnugræci altheæ, oleum uulpinum costinum, liliorum de castoreo de sinapi, de nuce romana cum storace & assa. Quædam euacuando ut pillulæ fœtidæ aggregatiuæ de hermodactilis de serapino de oppoponaco mes. pillulæ arteticæ nic pillulæ magistrales confectio de thurbit &c.

De pronosticis articularis morbi.

Hip. aph. 2. aph. 46. duobus doloribus simul eundē locum infestantibus uehementior alterum obscurat. Et aph. 4. apho. 20. Non febricitantibus si tormina acciderint & genuū grauitas & lumborum dolor, purgari inferius oportere significatur. Et aph. 4. aph. 31. laßitudinem habentibus in febribus circa articulus & maxillas potißime sine abscessus fiunt. Et apho. 4. aphor. 33. sed si ante morbum aliqua parte doluerint hic morbus firmatur. Et aph. 4. aph. 44. quibus febres longæ, ijs tubercula uel dolores in articulis fiunt. Et aph. 4. aph. 45. quibus tubercula uel in articulis labores fiunt, ij pluribus utuntur cibis. Et aph. 6. aph. 22. quicunq; dolores ex dorso ad cubitum descendunt uenæ sectio soluit. Et aph. 6. aph. 28. eunuchi neq; podagra laborant neq; calui fiunt. Et apho. 29. eiusdē mulier podagra nō laborat nisi menstrua defecerint. Et aph. 30. eiusdē, puer podagra non laborat ante usum uenereorū. Et aph. 49. eiusdem quicunque morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt. Et apho. 55. eiusdem dolores podagrici uere & autumo magna ex parte mouentur. Et aph. 6 aph. 59. quibuscunq; a coxenticum dolore diuturno molestatis excidit coxa, & rursus incidit, his marcores superueniunt. Et aph. 66. eiusdem quibuscunque à

coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa his crus tabescit & claudicant si non urantur. Auic.loc.cit. & humores crudi quum retinentur in corpore, nec euacuãtur per egestionem uel urinam nec per artem, non est longinquum quin currere faciant dolores iuncturarum. 2. Et aptius adhoc ut in eis multiplicentur ista sunt senes, & habẽtes ægritudines cronicas & conualescentes quum nun reguntur cum retificatione. 3. Et aptiora tempora ad dolores iuncturarum sunt uer propter motum sanguinis & humorum & autumnus propter malitiam humorum & digestionis. 4. Et cum securritur doloribus iuncturarum in primis quando apparent, fit eorũ cura facilis. 5. Quod si confirmentur & consuescant proprie illis qui generati sunt & humoribus diuersis non curantur. 6. Et quando apparent narices in habentibus dolores iuncturarum & podagrã est eorum sanatio per eas. 7. Et dicitur qui habet dolorem anchæ & apparet in coxa eius rubedo uehemens trium digitorum non faciens ei dolorem, & accidit ei in ea pruritus uehemens, & desiderat olera morietur in 25. die. 8. et omne membrum, in quo est dolor iuncturarum macrescit, & extenuatur. Nono, Et dolores iuncturarum præter sciaticam & podagram quum curantur & eradicantur eorum materiæ non redeunt uelociter. Razes. 12. com. deterior iuncturarum dolor erit quando accidit ei cuius pater uel auus illo laborauerit. Auic. sunt ægritudines quæ hæreditantur. Razes in lib. pronost. dolor iuncturarum in iuuẽtute breuem fore uitam significat, & qui fiunt in superioribus sunt satis deteriores, &c.

Authores erronei dissentientes circa artic. mor.

1 Adserere, in principio morbi articularis semper esse repellendum.

2 Adserere, articulares morbos ad saniem posse terminari.

3 *Adserere. Venæ sectionem ex pede primum, & non ex manu esse committendam.*

Confutatio dissentjentium circa artic. mor.

Ad primum respondet Auic. cap. de cur. sciat q̃ repercussiua & fortiter styptica sunt in hoc casu multum suspecta, quoniam materiam in loco profundo incutiunt, & nocẽt nocumento uehementi & demum fit difficilis eius resolutio.

Ad secundum Razes in diuis. inquit hoc esse eis proprium quod per saniem non terminantur.

Ad tertium Auic. loc. cit. & non fiat primum phlebotomia ex pede nisi post phlebotomiam in manu nisi materia sit ualde pauca, &c.

Finis libri tertij.

IOANNIS BACCANELLII, MEDICI REGIENSIS, De Consensu Medicorum, in curandis febribus.

Liber Quartus.

Febris quid sit, & unde dicatur.



EBRIS *quæ a feritate, uel a feruore dicitur est calor præter naturalis accensus in corde & arterijs ad alia membra diffusus naturalibus actionibus incommodans, qui calor duplex est alter natiuus et genuinus, alter uero acquisitius ac spurius, qui si per totum corpus diffundatur febrem efficit, si minus laßitudinem inducit.*

Loci conſentientes de febre.

Alex. lib. 5. cap. 1. Febris nil aliud eſt quàm immodice au-ctus feruor accenſus præter naturam in corde & arterijs, qui ſecundum naturam ignis corpoßidens corpori uniuerſo damnatur.

Gal. 2. de mor. cau. cap. 2. πυρετὸς ἐστὶ τοῦ πάντος ζῴου θερμότης τις ἀμέτρος οὖσα. *i. febris eſt totius animantis im-modicus calor. Et. 1. aph. febris eſt conuerſio natiuæ calidita-tis ad igneam. Et. 3. de diff. mor. cap. 5. ubi calor totum corpus infeſtat febris nominatur, ſi uero per totum corpus non dif-fundatur laßitudo dicitur. Auicen. 4. can. cap. 1. Febris eſt ca lor extraneus accenſus in corde & procedens ab eo mediãte ſanguine & ſpiritu per uenas & arterias ad totum corpus & inflammatur inflammatione quæ nocet operationibus na turalibus. Gal. de difficul. reſpi. cap. 21. duplex eſt caloris ge-nus alterum genuinum & corpori innatum, alterum acquiſi tiuum ac ſpurium.*

Obiectio.

Erunt ne bini calores diſtincti an unus & idem calor na turalis & extraneus quod bini diſtincti ſint, uidetur, nam na tural. temperatus eſt, ut in. 2. de fac. nat. & in com. apho. Qui creſcunt plurimũ habent caloris innati, ſed in. 1. aph. eſt mu-tatus ad ingenuum ut in definitione ſuperius allata.

Reſponſio.

Dicimus unum & eundem calorem eſſe quo ad ſubſtan-tiam, ſed eſſe diuerſos calores quo ad fundamentum, nam ali ter fundatur naturalis quàm præter naturalis &c. Nota etiã quod febris eſt morbus calidus et ſiccus calidus ἐνεργείᾳ *ſic-cus uero poteſtate, nam febris ſi in ſuperflua humiditate ac-cendatur, non actu ſicca dicetur ſed facultate.*

De febrium diuiſione.

Febrium aliquæ ſunt ſubſtantiales aliquæ accidentales,

Substantiales sumuntur a materia, a modo motus, a quantitate, materia uel erunt membra continentia ex quibus hectica, aut humores, unde putrida, aut ορμωντα. i. agitantia siue impellētia ut spiritus a quibus ephemera prouenit, A modo motus quū τροπος κινησεως sit ratio motus quo calor mouetur, A quantitate. i. a remissione & intentione illius caloris. Febres accidentales dicuntur quæcunq; opilationes, & inflammationes siue alios abscessus sequuntur, et non sunt per se ægritudines sicut aliæ, Sumuntur etiā accidentales a calore ut mordaces, mites aut a colore ut pallide liuidæ. Febrium aliæ sunt breues aliæ lōgæ, aliquæ salubres aliquæ insalubres aliæ interpollatæ, aliæ continuæ, & harum aliquæ sunt simplices aliquæ cōpositæ. Rursus interpollatarum tres sunt quotidiana, tertiana, quartana. Continuarum quæ a flaua bile proueniunt duæ sunt species altera synoche dicta, altera sortito generis nomine cōtinua dicitur. Rursus synochæ tres sunt, quædam a principio usque ad finem æquales perdurant quædam augentur, quædam decrescunt, primæ homotenеæ & ac masticæ. 2. anabasticæ & epacmasticæ. 3. peracmasticæ dicūtur. Continuarum rursus nonnullæ singulis tertijs diebus inualescunt, nonnullæ in quotidianarum figura progrediuntur, & aliæ in quartanarum forma.

Loci consentientes de diuisione febrium.

Gal. i. de diff. feb. Principales ac proprie febrium differentiæ sumuntur ab earum substantia, aliæ uero ab aliquo accidente &c. Aet. ser. 5. cap. 58. differentiæ huius caloris maioris aut minoris ratione distinguuntur & iuxta subiectum, siue materiam aut ipsum cordis corpus calore occupante, aut humores aut aeriam substantiam &c. Alex. lib. 5. trifariam in summa febres ingruunt in spiritibus humoribus & membris solidioribus in spiritibus εφημερα, in humoribus bifariam.

aut in uenis ut καυσος si humores cum sanguine computrue-rint, & quas συνεχεῖς. i. continuas uocant, aut extra uenas per diuersas corporis partes putridi humores discurrunt, et febres fiunt quas Græci τυπικὰς uocant, in membris fiunt febres hecticæ.

Auice. Dicamus q febres apostematum & opilationum sunt febres accidentales & aliæ febres sunt ægritudines, lege Gal. 1. ad glauconem cap. 4. de hac re. Auic. ibi. Diuiduntur etiam febres ut nonnullæ sint acutæ non acutæ cronicæ nõ cronicæ, nocturnæ diurnæ salubres & horribilia accidentia habentes aliæ dimittentes aliæ inseperabiles &c. Gal. 2. de diff. feb cap. 2. intermittentiũ tres sunt omnes numero quotidiana tertiana quartana, quotidiana à pituitæ putredinæ, tertiana a flaua bile, quartana a nigra, continuarum quæ a flaua bile proueniũt duæ sunt speties altera synoche dicta, altera sortito generis nomine continua. B. Itidem ait. 2. de cris cap. 9. & nota q συνεχεῖς a continuo feruore dicitur, de qua Gale. 9. meth. cap. 4. mentionem facit, & harum uniuersum tempus in una accessione consumitur, &c.

De causis febrium in genere.

Causa febrium duplex est extrinseca & intrinseca. Extrinseca fit ab aere calido uel frigido, a mala qualitate, a coruptione, a motu et ab otio. Intrinseca diuiditur in causas προκαταρχοντας. i. præincipientes, & in προηγουμενας. i. antecedentes & in contentiuas siue coniunctas. Procatarctica est quæ quum peractum est opus, recedit ut exustio solis uel ictus scorpij. Coniuncta est quæ quum adest præsentem seruat morbum, sublata tollit, ut calculus in uesica. Antecedens uero a cõiuncta prorsus constituitur, nam hac præsente adest affectus & aucta augetur & minuta minuitur & sublata remouetur. Nota tamen q hæ causæ. s. præincipiens coniuncta & antece

dens referuntur ad causam efficientem, nam causa materialis in febribus, erunt membra ut in hectica, humores in putrida, spiritus in ephemera. Causa formalis erit calefacere & adurere corpus, & causa finalis cuius gratia hæc aguntur, erit sensibilis læsio operationum, &c.

Loci consentientes de causis febrium.

Gal. 1. de diff. feb. cap. 5. Quum febris sit in corde quædam præter naturalis caliditas eius causas nunc ostendere intendimus, nam non unus est tantum generationis caliditatis modus, sed aut propter motum, aut propter putrefactionem, uel propter adhæsum alterius caloris, aut propter retentionem calidi effluxus aut propter mixtionem calidæ substantiæ fiũt &c. De alijs causis lege Gal. in li. de cau. procatarct. et 1. met. cap. 8. Vide etiam de causis caliditatis. Gal. 2. de morb. cau. c. 2. Et nota ꝙ Gal. 4. meth. c. 3. inquit externæ causæ cognitionem non nisi ad noscendos affectus, qui nostram notitiam fugiunt utilem esse &c.

De febrium temporibus.

Tempora febrium bifariam considerantur, aut quatenus uniuersalia aut quatenus particularia. Vniuersalia sunt quæ totius morbi, siue febris circuitum absoluunt.

Particularia sunt quæ paroxysmi siue exacerbationis partem metiuntur, rursus uniuersalia nõ solum penes morbi essentiam, sed & penes symptomata & materiæ alterationem distinguuntur, nam sicut morbi principium tempus dicitur, in quo morbus apparet, sic etiam principium erit quũ materia cruda nullũ coctionis uestigiũ demostret, aut quũ symptomata incipiũt. Sil'r augmentum dicetur, quũ morbus augetur uel accidẽtia intendũtur, uel aliquod indiciũ appareat, Status erit quũ morbus et symptomata, nõ se mutãdo in sua dispositione maneãt, aut quũ signa cõcoctionis manifesta uideãtur. Declinatio erit quũ nõ solũ febris declinet sed et accidẽtia et

materia iam digesta expellitur, tempora uero particularia distinguuntur circa caloris modum, nam si calor a materia submergatur in membro erit principium quum uero calor excitatur, erit augmentum, at quum intensiori gradum calefacit, erit status & quum remittitur declinatio seu remissio morbi dicitur, nonnulli inter initium & incrementum, inæqualitatis nomen connumerarunt, sicut interuallum ac quietem in declinationis fine &c. Nota *quod principium morbi interdum uidetur absconditum, & hoc quum morbi principium adeo breue sit ut cognosci non possit sicuti in synocha epilepsia & apoplexia aut quum morbus est paucorum accidentium, aut quum in prima die morbi concoctionis indicia appareant, &c.*

Loci consentientes de febrium temporibus.

Gal. *lib. de totius morb. temporibus. cap. 1.* Equiperat *morbi tempora ad animantium ætates unum quidem principium generationi eorum tribuens, alterum incremento. 3. uigori. 4. declinationi quum ægri salui futuri sunt.* Auic. *4 can. cap. 3. febrium horæ sunt sicut reliquarũ ægritudinum, principiũ, augmentum status apud ultimum & declinatio, & sunt quinque particulares causæ cuiusque paroxysmi &c.* Aet. *serm. 5. cap. 2.* Principium *febrilis exacerbationis est contractio extremarum partium omnium & maxime nasi, augmentũ habet accidentium incrementum & cessat frigiditas, uigor erit ubi calor æqualiter per totum corpus diffunditur &c. uide illum fusius.* Gal. *in lib. de morb. temporibus, sex tempora enumerat, initij nomen, inæqualitatis, incrementi, status siue uigoris, declinationis & integritatis interuallum ac quietem nominans &c.* De *his plura in hoc lib iuxta* Gal. *inuenies, nam secat etiam periodum in duas partes in accessionem & remissionem siue interuallum.* Et *nota pro iunioribus quod pe-*

riodus idem importat ac si diceretur circuitus, & est tempus in morbis ex intensione & remißione consistens. Typus uero est intensionum remißionumq; ordine succedens redditio. Paroxysmus & exacerbatio idem important & sunt ut inquit Aet. motus morbi particularis a remißione ad deterius. De principijs morbi abscõditi lege Aui. latius. 4. can. c. 3.

Quomodo status morbi præcognoscatur.

Cognosces morbos fore breues uel prolixos, ab ipso morbi paroxysmo, nam paroxysmi longi longum, breues breuem morbum prænuntiant, Item ab ipso genere morbi nam apoplexia, tertiana, breui, paralysis & quartana longo tempore terminantur. Ab ipsa uirtute debili uel ualida, unde ex debili, breuis ex ualida longus erit. Ab ipsa ætate & tempore, nam in senio & hyeme, longus, in iuuentute et æstate breuis, Ab ipsis accidentibus breuiter uel longo tempore durãtibus, Ab ipsis excrementis exeuntibus mutatis, nam in urina nullum apparens cõcoctionis indicium longum morbũ et contra breuem sig. Nota quod peracuti morbi quartum diẽ non transcendunt, Acuti uero plerunq;. 14. Vocandi erunt morbi acuti, si cum sæuis symptomatibus terminantur. Quare febres ephemeræ non erunt morbi acuti &c.

Loci consentientes de præcognitione status.

Hip. aph. 1. aph. 12. Acceßiones & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora & circuituum, ad inuicem incrementa siue quotidie siue alternis diebus siue per maiora interualla fiant. Gale. non solum in hoc com. sed etiam in. 1. de crisi. 6. libro quomodo, quispiam futurum morbi uigorem poßit primo cognoscere facile ostẽdit quem legere poteris. Auic. 4. can. cap. 4. Docet cognoscere statum ex tempore & motu morbi, ex ipsa uirtute, ætate, tempore, pulsu, rigore, a paroxysmo ab accidentibus ipsis & ex euacuatione & di-

gestione &c. Vide illum latius de his. Hip. aph. 2. aph. 23. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Et Auic. 4. can. cap. 3. status diuersus est in morbis, morborum enim ualde acutorum status quartum diem non transcendit, nec febres ephemeræ morbi acuti dicuntur, & si propinquus sit earum status, quum hoc non satis sit, sed oportet insuper quod timorem inducant, acuti uero absolute morbi sunt quorum status. 14. attingunt, &c.

Authores dissentientes circa febrem.

1 *Adserere, febrem esse complexionem calidam & siccam.*
2 *Adserere, febrem non posse diuidi in morbum & accidẽs.*
3 *Adserere, in omni morbo essr aßignanda quatuor tẽpora.*

Confutatio dissentientium circa febrem.

Ad primum, respondetur ꝙ si complexio calida & sicca esset febris tunc sequeretur ꝙ complexio biliosa esset febris, quod falsum est, nam febrientes siue pituitosi siue sanguinei sint, remanent semper in eadem complexione ac præditi erant, Præterea idem homo plurus in complexione mutaretur nam febriens esset biliosus non febriens pituitosus quod falsum esse omnes asseuerant.

Ad secundum Auic. & concil. differentia. 87. tenent quod febres sunt accidẽtales quũ mediate uel immediate a morbo dependeant, sunt autẽ morbi quum nullũ morbum sequuntur.

Ad tertium respondet Arcu. morbos qui nullam uarietatẽ medico sensibilem de se præbent, & qui in principio generationis contrahuntur, & qui ad mortem terminantur, non habere quatuor tempora, & sic falsum est quod in omni morbo sint quattuor tempora.

De febre ephemera.

Febris ephemera, nil aliud est quam calor accensus in spiritibus, & dicitur ephemera siue diaria, non ex eo ꝙ duret

tantum per unam diem, sed quia plerunq; accidit, ut in uno die desinat, perdurare tamen potest usq; ad quartum diē, sed raro tertium diem progreditur.

Loci consentientes de febre ephemera.

Gal.aph.4.com.55. febres diariæ omnes ab ipso Hip.uocantur quicunq; sui ratione una die durant, tales uel a tumoribus inguinum uel a causis manifestis fiūt. De reliquis a me dictis lege Gal.10.meth.cap.2.ibi sane dicuntur id genus febres omnes diariæ quia solui una die sunt aptæ &c. Item.9. meth.cap.1.

Obiectio.

Anceps sum an tantum in spiritibus calor accendatur, quum sanguis & spiritus una promisceantur, ut uoluit Gale. 6.de usu partium, immo &.2. de diff.febrium cap. 9. tenet a sanguine calefacto fieri ephemeram, quare non solum in spiritibus, sed etiam in sanguine calor accendetur.

Responsio.

Dicimus utrunq; a calore febrili calefieri, sed si aduertamus quod primo non in sanguine, sed in spiritibus calor fundatur, dubitatio nulla erit.

De causis febris ephemeræ.

Quum duplex sit ephemera, uera. s. & spuria. Vera fit tantum a causis procatarcticis, Spuria uero fit per accidens uel ex obstructione, uel per ἀντιπερίστασιν, sicut ex cohibitione &c. Causæ ephemerarum totidem ac suæ species sunt, quæ teste Auic.enumerantur.21. Nam aliquæ ad animam magis quàm ad corpus pertinent ut angustia tristitia cogitatio, ira, uigiliæ, somnus, quies, timor, & gaudium, aliquæ magis spectant ad corpus quàm ad animam, ut motus quies euacuatio dolor syncopis fames sitis obstructio, satietas nauseatiua inflammatio soliditas, aliquæ uero extrinsece ueniunt, sicut ab adustione frigore soliditate balneis &c.

Loci consentientes de causis febris ephemeræ.

Auic.4. can.cap.5.omnes febres diariæ fiunt aut a causis præincipientibus per se calefacientibus, aut per accidens ut opilando aut per antiparistasin ut cohibendo, &cæt. lege eum fusius. Gal.2.de cris.cap. 13. *sunt autem hæ tantummodo spiritus paßiones absq; humorum putredine aut membri inflammatione nisi inflammatis inguinibus accidant, earum uero generationis occasiones sunt uigiliæ cruditas tristitia timor ira curæ deustio refrigeratio laßitudo ebrietas, et quæcunq; similia &c.* Vide Aet. *ser.5.cap.58. ibi, auspicantes ac externæ lacessentes causæ, &c.*

De signis febris ephemeræ.

Signa febrium ephemarum sumuntur a iocunditate caloris, non incipiunt cum frigore rigore somno uelut putridæ, nec in principio calor concentratur. Concoctio in urina primo die apparet, fiunt a primitiuis tantum causis, pulsus non est diuersus, nec systoles magis se accelerat quam naturalis, principium paroxysmi leue est ac facile, augmentum nō ultra duas horas se extendit, in statu nullum uehemens symptoma uidetur. Declinatio *fit cum sudore ad integritatem desinit & adhibito balneo nullus horror sentitur. Signa trāsmutationis ephemeræ in alias febres sumuntur ab ipsa declinatione febris, nam si absq; sudore fiat, uel cum sudore per quē integra reconualescentia non sequatur iam in alias febres transit, item si declinatio ultra 24. horas cum symptomatibus & pulsum non naturali se extenderit, aut si remanserit aliqua symptomata in sui recessu. Cognoscitur etiam quum in hecticam transmutatur ex signis hecticæ, de quibus infra latius, aut in synocham ex uenarum repletione ex caliditate inflammatione rubore faciei &c. aut in putridas ex horrore, pulsus diuersitate & coarctatione ex mordaci calore &*

a uehementia symptomatum, &c.

Loci consentientes de signis.]

Gal. 1. de diff. feb. cap. 7. Indicia sunt ut si fiant a procatarcticis causis, & est signum inseperabile sed non proprium, si concoctio in urinis, si pulsus frequentia a proprietate deficiat, si nullo modo systoles ad celeritatem tendat, si caliditatis adsit suauitas, si cum sudore aut rore, uel optimo aliquo uapore declinatio ad integritatem sequatur hæc omnia propria & inseperabilia signa sunt &c. De reliquis lege Auic. 4. can. cap. 6. Item Aet. serm. 5. cap. 58. & Paul. lib. 2. c. 15. Item Gal. 2. de cris. cap. 13. & 1. art. cur. ad glauc. c. 2. & 3. lege etiã Arcul. & alios neotericos &c. De signis transmutationis lege Auic. 4. can. cap. 8. Item Gal. 1. de diff. feb. cap. 7.

De cura febris ephemeræ.

Si a causis procatarcticis febres ephemeræ fiant, tunc alteratione sola curantur, si uero a causis corporeis oriantur, tunc triplex erit intentio. Prima circa causæ ablationem & febris alterationem, ita ut calida frigidis curentur, ut exustio solis cum umbra, & sic duo efficies causam remouebis & malam febris discrasiam per alterationem expelles. 2 prohibet ne fiat transitus ab hac febre ad alias, meatus aperiendo, uapores resoluendo, cum balneis in febris declinatione adhibitis, uel cum oleo quopiam perfricando. 3. est quæ symptomatibus occurrit & regimen instituit, ad febrem enim sequitur dolor sitis uigiliæ, & ad eius causam syncopis epilepsia &c. quibus occurritur, opportunis præsidijs. Regimen uero non solum febrem sed eius quoque causam respicit. Victus igitur ratio humida ac boni succi in declinatione febris exhibeatur, ijs unum interdicatur qui ex inflammatione uel furore febricitant, in uigilijs tamen concedendum, at in reliquis rebus non naturalibus semper contrarium est offeren=

dum, ſicuti in labore quietem iubemus, in uigilijs ſomnum in ira & furore animi iocunditatem, &c. Interdum cibus modo quodam coacto & irregulari in principio febris eſt exhibendus, ijs præſertim qui ex labore anguſtia fame & ſuperflua bile febricitant &c. Ad ſpecies ephemerarum particulares ſcribendo non deſcendam: ſi quidem rariſsime opus medici deſideratur, ni prius morbus in putridam aut hecticam febrem mutetur &c.

Loci conſentientes de cura ephemerarum.

Aet. ſer. 5 ca. 59. uſq; ad cap. 69. de omnibus febribus ephemeris particularem curam pertractat. Similiter Auic. 4. can. à cap. 10. uſq; ad 44. de ſingulis particularibus mentionē facit ſigna demonſtrando cauſas & curationem Alexan. itidem agit lib. 5. cap. 1. Paul. unicum tantum caput de diarijs habet lib. 2. cap. 15. Galen. 1. art. cur. ad glauc. cap. 3. omnes haſce febres balneis curare oportet, & ad conſuetam uictus rationē eos perducere, &c. Et paulo poſt loquens de uictu, interdicitur inquit uinum qui inflammatione inguinum laborant, ſimiliter & furore percitis cibo inſuper humido ac boni ſucci reficiendi ſunt etc. q, aliquos cibare oporteat in principio paroxyſmi lege Auic. 4. can. cap. 9. ibi neceſſe eſt in principio febris cibare qui patiũtur ephemeram ex labore & anguſtia, Itidem ait Gal. 10. meth. cap. 5. ibi quum adhuc inuaſura ſit febris uel quum incipit &c.

Obſeruationes circa balneum & euacuationem.

Auic. 4. can. cap. 9. balneum non conuenit in quattuor caſibus. primo quum timetur de caſu putredinis. 2. quũ adeſt obſtructio ab humoribus craſsis. 3. quum adeſt ſatietas nauſeatiua. 4. quum adeſt catharrhus &c. Item dixit q, in ephemera nulla euacuatio conuenit, niſi adſit materia abſtruens aut ſatietas nauſeatiua, aut totius corporis repletio &c.

De

De pronosticis ephemerarum.

Galen. 1. ad glauc. cap. 2. cura harum febrium in promptu est, at earum cognitio maiorem exigit diligentiam, & qua nemo ante nos quantum oportuerit scriptum reliquit &cæ. itidem ait Auic. 4. can. cap. 5.

Obiectio.

Gal. 1. de diff. feb. ca. 7. uidetur contrarium innuere quum dicat, nec earum cognitio est difficilis.

Responsio.

Dicimus hanc esse difficilis cognitionis quum ipsum adhuc perseuerat principium, sed facilis quum iam ad declinationem uenit manifestam. Hip. aph. 4. aph. 55. ex inguinũ tumoribus omnes febres malæ præter diarias. uide in hac re Oribasij com. fusius. Auic. 4. can. cap. 5. homines quibus maxime nocent febres ephemeræ, sunt calidi & sicci quia ad hecticam cito perueniunt, aut calidi & humidi, quia in febrẽ putridam incidunt, &c.

Authores dissentientes circa febrem ephemeram.

1. *Adserere, omnem ephemeram esse febrem accidentalem.*
2. *Adserere, ephemeram coniungi posse cum putrida.*

Confutatio dissentientiũ circa febrem ephemeram.

Ad primum, Respondetur quod si ephemeræ sequerentur calorem aut dolorẽ alicuius apostematis, q; hoc uerum esset, sed non omnes huiuscemodi sunt, igitur non accidentales.

Ad secundum dicit Arcul. q; tenenda est eorum pars, qui negant has febres coniungi posse, nam quotiens calor ad humorum putredinem transit non amplius ephemeram efficere potest sed tantum putridam.

De febre hectica.

Febris hectica est calor præter naturalis accensus in membris radicalibus siue solidioribus quæ græci μερκοτέρεα uocãt, cõsumptis tamẽ in ipsis humiditatibus, cuius species sunt tres iuxta q̃tuor humiditates secũdas, quarũ prima uocatur

nomen non habens. 2.ros.3.cambium.4. glutem, ita tamen ut quoties humiditas prima desinit & .2. quæ est ros incipit accendi, tunc prima species hecticæ dicitur, quæ si ad cambium. 3. humiditatem peruenerit, tunc erit 2. species, & uocatur ab Auic. dubalen. i. arefactio siue μαρασμὸς. i. tabes, si uero ad gluten deuenerit, tunc erit. 3. species & uocatur ab Auicen. almuchasif, siue curuatura, nam fere eadem forma uidetur, ac est in decrepitis curua, &c.

Loci consentientes de febre hectica.

Auic. 4. can. ca 1. tract. 3. Cum inflammantur membra radicalia & proprie cor, est illud ipsa ægritudo quæ est hectica secundum quod sciuisti etc. Gal præd. 2. com. 60. quum partes ipsæ corporis solidiores ignitiores euadunt febres hecticas nominamus. Quod sint tres speties hecticæ lege etiã Aui. loc. cit. ubi etiam enumerat humiditates secundas. Lege etiã Gal. 1. de diff. feb. cap. 9. tabida febris incipit quum natiua humiditas in unoquoq; corpore inspersa in medijs spatijs partium similarium, ex qua primum partes nutriuntur & circa cordis corpus periclitatur, quum uero iam res eo periculi uenerit, ut nihil iam ex tali humiditate supersit, tunc exquisita tabes consistit &c. Et cap. 8. eiusdem tabida febris non tantum sicca, sed etiam calida est paßio, &c.

De causis febris hecticæ.

Causæ febris hecticæ uel sunt febres ephemeræ aut putridæ aut febres ex partium nobilium, inflammationibus ortæ, sicuti ex pulmonis aut thoracis affectibus, præsertim ex empiemate & ptisi, aut febres ardentes cum totius animalis & cordis præsertim siccitate. Interdum causæ sunt errores medicorum qui uictum nimis tenuem instituunt, aut aquam frigidam in inflammatione diaphragmatis probibẽt, aut quum ob deffectum animi uinum & aquam carnis & diamuscum

iubent, quæ omnia ob sui caliditatem ad hecticam ægrũ perducunt & raro hectica per se incipit.

Loci consentientes de causis febris hecticæ.

Auic. 4. can tract. 3. cap. 1. Causæ hecticæ sunt febres ephemeræ, aut putridæ, aut febre inflammationum, quia raro hectica incipiendo accidit nisi sit causa ualde fortis, &c.

Gal. 1. de diff. feb. c. 1. 9. exoritur hæc paßio ipsi cordi non nunquam per se ipsam sicuti excandentijs tristitijs nonnunquam ex ardentibus febribus, aliquando ex pulmonis et thoracis affectibus præsertim ex empiemate & ptisi, & ex omnibus diuturnis inflãmationibus nobiliores partes occupantibus &c. lege locum fusius. De reliquis lege Auic. 4. can. tra. 3. cap. 1. ibi, fiunt etiam ab alijs &c.

De indicijs febris hecticæ.

Febrium hecticarum duo sunt propria indicia, primum q̃ a principio osq; ad finem sunt æquales, nec acceßionem nec augmentum nec uigorem, nec remißionem habent. 2. q̃ æger non se febricitare percipit. Reliqua signa sumuntur partim a calore, si quidem a comestione calor crescit, item in primo tactu cæteris ardentibus febribus est suauior sed in processu fortior & magis erodens, item pulsus est durus frequens debilis fixus partim ab ipso corpore mutato, nam oculi sunt concaui flos uitalis coloris extinctus adsunt uigiliæ corpus extenuatur, in urina apparet quædam supernatans unctuositas cutis fit arida squalida, hæc febris si aliqua a læsione mẽbrorum incipiat, ab eorum arida intemperie ex qua siccitas notabilis prouenit, facile deprehendes &c.

Loci consentientes de indicijs febris hecticæ.

Gal. lib. 3. de præsag. puls. cap. de arteria cordis, Febriũ hecticarum duo hæc sunt propria signa ut si perpetuo sibi illæ similes sint, nec inuasionem ullam acceßionis nec incremen-

mentum nec uigorem nec remißionem habeant, nec se febricitare percipiat æger &c. lege Gal. 1. de diff. feb. cap. 9. abunde enim de his signis pertractat, ibi adest oculi concauitas amisso eorum liquore, flos uitalis coloris extinctus, in tota cute squalitas immoderata palpebræ dormitãtibus similes etc. lege tu fusius. Auic. 4. can. cap. 2. tract. 3. sumit indicia a pulsu a tactu a cibis, nam pulsus inquit est durus frequens debilis fixus & sic de reliquis. Alex. lib. 5 cap. 22. seorsum de omnibus signis pertractat, quomodo s. hectica a diaria putrida q; distet, & quomodo hectica in marasmũ transeat, lege eum si lubeat uide etiam Auicen. de signis adubul &c.

De curatione hecticæ.

Duplici scopo hecticam curabis quorum alter sit ad sex res non naturales, Alter ad medicinalia primus fiet, si aer in æstate declinet ad frigidum, si uictus sit humidus & frigidus plus tamen humectans quam infrigidans, qualis est ptisana hordei, carnes hœdi perdicum caponũ qui examylo & frumento nutriti sint, pisces petrosi, cancri fluuiatiles, testudines nemorales, limaciæ & ranæ oua sorbilia caseus recens, potus sit aqua hordeacea uel uinum album olygophoron, absint motus uigiliæ superflua repletio & ieiunium, sit uictus ratio paulo plenior quam tenuior ob morbi longitudinẽ gaudeat æger & lætetur. Circa medicinalia quattuor opus sunt intentiones, prima sit in remouenda causa hecticæ, unde si fuerit causa ulcus in pulmone primo remoueatur ulcus non neglecta tamen hecticæ cura. Si causa fuerit tristitia inducendo lætitiam auferetur. 2. intentio respicit febrem quatenus febrẽ hecticam & tũc infrigidatio & humectatio tam per interiora q̃ per exteriora competunt, sicuti est aqua hordeacea cum cancris fluuialibus decocta syr. uiol. de papauere de Iuiubis, Item electuaria resumptiua ueluti quodam a Gordonio & a

Francisco Pedemontio extat descriptum. Valet etiam lac asininum & muliebre, modo asina & mulier ex rebus frigidis & humidis nutriantur & dosis erit iuxta Auicennæ placitum a.3. 10.usq; ad.23. & communiter ab ontijs tribus usq; ad quatuor, uerum lac præbendum non est, quũ post eius assumptionem sitis & difficultas spirãdi et caloris recepti, augerẽ uideantur, uel ubi febris putrida hecticæ coniuncta sit. Extrinsecus uero conueniũt unguenta ex oleo uiolaceo nenupharino, ceratum a Francisco Pedemontio descriptum & epithema facultate frigidum sed actu tepidũ. 3. Intentio est eorũ remotio quæ cũ febre hectica copulãtur, in quorũ numero quũ febris putrida adsit, tũc euacuatio nõ ratione hecticæ quæ est immãterialis, sed ratione putridæ ex qua superflua plurima aggregantur, conuenit, sit tamen pharmacum non ualde soluens tum propter uirtutis imbecillitatẽ, tum quia periculum esset de maxima exiccatione quæ proculdubio fugiẽda sunt. sed eius loco pharmaco leni ac lenitiuo utamur. Vltima intẽtio est symptomatũ correctio et sunt syncopis tussis et fluxus uentris, syncopis tollitur cum aqua carnis, uino granatorum uitellis ouorum et uino odorifero, irroretur etiam facies ex aqua ros. mosch. Fluxus uentris ac ipsa tussis emendantur ac dictum est supra pro quibus recurre ad sua capita.

Loci consentientes de cura hecticæ.

De prima intentione loquitur Gal. 10. meth. cap. 2. ibi, nutrimentũ oportet esse humidum & frigidum quod hecticis febribus sit conducturum ut ptisanæ cremor frigidus etc. Vide Paul. li. 2. cap. 22. Auerois. 2. collig. inquit q; magis humectatione indiget æger quam refrigeratione &c. De secunda intentione Gal. in art. par inquit uniuscuiusq; causam prius abscindere oportet deinde ad eam quæ ex ea facta est ægritudinem deuenire. Auic. 4 can. tract. 3. cap. 4. intentio curandi febrem

hecticam est infrigidatio & humectatio &c. Itidem ait Aet. ser.5 cap.93. ibi scopus curationis in humectantibus & refrigerantibus consistit.

De exhibendo lacte lege Gale. 10. meth. cap. 2. Item Pau. li. 2. cap. 22. & inuenies modum exhibendi &c. De balneo similiter lege Gal. 10. meth. c 10. & Auic. loc. cit. & Aet. ser. 5. c. 93.

Obseruationes circa curam.

Auic. loc. cit. caue tamen in his frigidis ob caloris eorũ imbecillitatem, ne multum in gradu extollantur, alioqui calor eorum suffocaretur.

De pronosticis hecticæ.

Hip. aph 2. aphor. 28. Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & non minui, uel etiam plus quàm ratio expostulat contabescere malum, hoc enim morbi longitudinem, hoc uero imbecillitatem significat. Gal. 1. de diff. feb. ca. 8. ubi iam febris hectica exquisite consistit, & iam dudũ incepit, non modo eandem curare est difficile, sed etiam impossibile. Auic. 4. can. tract. 3. ca. 1. hectica est in principio rei difficilis cognitionis & facilis curationis, & finis adubul non penitus recipit curationem. B. difficilis est cognitionis quia parum uel nihil à sua naturali dispositione corpus permutatur, idcirco postea curatur quoniam uirtutis robur uehementem tollerat refrigerationem, at quum μαρασμὸς efficitur, in eius curatione frustantur medici, tum ob nimiã consumptionem tum ob eorum imbecillimam uirtutem.

Authores dissentientes circa hecticam febrem.

1 Adserere, hecticam febrem posse absq; alia febre per se incipere.

2 Adserere, in hectica febre fieri mutationem ex spetie in aliam spetiem.

3 Adserere, cibum non esse causam quur in hectica magis

calor appareat, &c.

Confutatio dissentientium circa febrem hecticam.

Ad primum, inquit Auic. 4. can. tract. 3. cap. 1. q; longinquũ est ut accidat hectica incipiendo, & posse membra radicalia inflammari, quin prius humores & spiritus non inflamment tur, & sic non posse per se incipere nisi ab alia urgente causa dependeat &c. Ad secundum Arcul. inquit non esse dicendum eundem calorem numero, & æque intensum migrare de spetie in spetiem sicuti patet in exemplo Auic. Nam flamma accensa in lychnio primum absumit oleum in lucerna positum, deinde oleum lychnio imbibitum, demum humiditatẽ coti & sic non migrat de spetie in spetiem. Ad tertiũ, respondet Gal. 1. de diff. feb. quod caliditas arida, humido irrorata magis manifestatur eo q; aliquam partem cibi tenuem in uapores conuertat, uel si magis placet opinio Auerois, eo quod caliditas febrilis quæ non sentiebatur per cibum assumptum, mutatur ex non sensu ad sensum apparentem & sic causa efficitur ut calor magis appareat, &c.

De febrium putridarum diuisione & numero.

Recitat Gal. 2. meth cap. 7. q; tres sunt febrium diuisiones ex humorũ putredine ortæ. prima ex eo q; causæ ipsius putredinis adsunt, uel non adsunt. 2. ex eo q; per totum animal aut eius partem aliquam est diffusa putredo. 3. quatenus cũ phlegmone est aut citra hanc. Enumerat deinde in lib. contra lycum has esse febres putridas quæ numero sunt nouem, ut ardens lypiria, hepiala, typhodes pestilentes semitertiana quotidiana tertiana quartana, de qbus seorsum tractabimus &c.

De putredinis definitione.

Putredo iuxta medicorum opinionem, est corruptio humoribus contingens propter ebulitionẽ extranei caloris etc.

Loci consentientes de putredinis definitione.

Gal.2.meth.cap.8. putredo est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam a calido externo.

Arist.4.meth. putredo est corruptio propriæ caliditatis ab aliena caliditate in unoquoq; humido. B. non mirum quum familiaris & natiua caliditas concoctionem adiuuat, externa uero corrumpit lege Aet.ser.5.cap.74.

De causis putredinis.

Duplex est causa putredinis, altera ipsam complens, altera præparans. Complens si intrinseca fuerit tunc est respirationis priuatio, quæ a multo crasso ac uiscido humore meatus constipāte, fiet. Si extrinseca tūc erit ab aeris mutatione. Causa præparatoria erit ueluti cibus, qui male per suā substantiam, qualitatem, tempus, ordinem & artificium disponitur, nam substantia eius uel est nimis uiscosa ut anguillæ, aut nimis humida ut fructus aut renuitur a natura, aut corruptibilis per se est ut lac. Qualitas in causa erit ubi cibus plurimæ humiditatis erit particeps. Tēpus erit etiam causa præparatoria si cibus in tempore non opportuno sumatur. Ordo etiam erit causa ubi crassa & dura tenuibus in comedendo præponantur. Artificium si cibaria male parantur, at in genere loquēdo, oīs putredo a calido et humido fieri potest etc.

Loci consentientes de causis putredinis.

De causis putredinis lege Auic.4.can.tract.2.cap.1. ibi putredo fit a cibo ab obstructione, aere humore, ubi de cibo tan quam de causa præparatoria loquitur, lege eum fusius. Simile Aet.ser.5.cap.74. Et Gal.2.de cau.morb.cap.8. ibi putredinem inducunt aut medicamenta quæ suapte natura putrefacere possunt, aut excrementa in ipso animali genita, aut ea quæ transpirationem impediunt. Hip.3.epidim. a calido & humido putredinem fieri dixit, nam si annus inquit calidus & hu-

midus fuerit necesse est ut magna pestilẽtia succedat. Vide de *hac re Gale. 1. de temper. cap. 4. Item de inæquali intẽperie c. 4. & 7. ibi non tantũ quæ inculcata sunt & prospiratu prohibita, sed & putrescunt alia multa &c. Vide etiam Gale. 2. meth. cap. 8. &c.*

De ratione diuersitatis febrium.

Putredo est aut in uno solo membro tantum, unde aliquis abscessus orietur, & hoc uel ratione imbecillitatis membri, uel eius uehementis caloris, uel eius doloris &c. Aut erit in totius corporis ambitu diffusa, quæ si a maximis uenis ad minimas transierit fiet febris continua, si uero extra uenas in omnes corporis meatus distribuatur, tunc erit interpollata. Causa interpollationis est triplex, prima quia humor uelociter uel tarde putrescit. 2. quia humor uelociter uel tarde in loco putredinis colligitur. 3. quia humor uelociter uel tarde a putredine expurgatur. Pituita igitur quotidianam facit ex eo quod uelocius ob sui humiditatem ad putredinem mouetur, aut citius ob sui quantitatem colligitur, cuius acceßio durat horas. 17. Quartana ratione suæ siccitatis duos dies interponens tarde putrescit & ratione suæ paucitatis tarde colligitur. Tertiana uero inter has seruat medium, unde si fuerit pura durat. 12. horis, sicuti quartana si fuerit a naturali melancholia durat horis. 19. Et pro eius quiete aßignantur horæ. 48. Et in quotidiana sex, & in tertiana. 24.

Loci consentientes de ratione diuersitatis febrium.

Auicen. 4. can 2. tract. capitulo primo dupliciter uariatur putredo, uel ratione humorum putrescentium aut ratione loci, quia quandoque est in uno solum membro, quod quadrifariam contingit, uel ratione suæ imbecillitatis, uel ratione uehementis eius loci caliditatis, uel ratione acuitatis & doloris, & cæt.

Gal. 2. de diff. feb. c. 2. Rationem reddit quur febres inter-

pollatæ quur ue conclusæ sint, quam quum in longam oratio=nem protrahat ad illud caput te conferes. Vide etiã. 2. de cri=sibus cap. 3. quanquam uberius de his pertractet Auic. &c.

De signis febrium putridarum in genere.

Indicia febrium putridarum propria sunt quia nulla an=tecedit causa procatarctica, incipiunt cum rigore horrore, sed non omnes, adest inæqualitas pulsuum, calor mordax at=que tactui molestus. Sed proprium ac inseperabile est indi=cium pulsuum systolæ uelocitas & urinarum cruditas debi=lisq; concoctio, præcedit etiam primum morbi insultum laßi=tudo pigritia somnolentia, uigiliæ, spirandi difficultas, uena=rum tensio, sitis, dolor capitis, inquietudo, periodus cum sudo=re terminatur, &c.

Loci consentientes de signis febrium purridarum.

De his indicijs loquutus est Galen. satis uberius primo de diff. febr. cap. 7. ibi indicia febrium quæ humorũ ratione ac=cenduntur, hæc sunt, primum non inseperabile sed proprium est q̃ nulla ex causis procatarcticis ipsas antecedit, initiũ su=mere a rigore proprium est putridarum sed non insepera=bile signum &c. lege locum fusius, & plura ad hanc rem fa=cientia inuenies lege insuper Paul. li. 2. cap. 2. Et Auic. 4. can. c. 2. ibi, ut plurimum antecedit almellilotu cui assotiatur laßi=tudo pigritia alices saltus commotio somni uigiliæ anhelitus constrictio uenarum tensio &c.

De cura febrium putridarum in genere.

Morbus quatenus morbus per sui cõtrarium auferri ex=poscit febris est morbus igitur per sui contrarium tollenda erit, sed hæc febris minime tolli potest, ni prius putredo a qua dependet, inhibeatur, quæ nec causa manente inhiberi po=test, igitur primum erit remouenda putredinis causa, mox ipsa febris sanabitur. Causa putredinis erit transpirationis

probibitio quæ uario modo oriri solet, nam aut a densatis exiguis meatibus & constrictis corporibus fiet, aut ab humorum abundantia aut a craßitie et lentore, quæ singulæ affectiones per sua contraria remouebuntur, ut densitas per rarefacientia, constrictio per dilatantia, craßities per incidentia, lentor per detergentia, & si totum corpus iam singula dictorum occupauerint etiam toti corpori per contraria est occurrendum. Sed quia febris est morbus de repletione, idcirco etiam euacuari desiderat, euacuabitur manu & pharmaco, manu per sectionem uenæ, cucurbitulas hirudines et frictiones, pharmaco expurgante per inferiora aut superiora per urinam & sudorem. Demum symptomatibus complicitis succurrendum, & norma uiuendi instruenda erit &c.

Loci consentientes de cura febrium putridarum in genere.

Gal. 2. meth. cap. 4. & 5. febris sanari non potest, nisi inhibita prius putredo fit, porro ea inhiberi, causa manente non potest, quare submouenda eius causa erit si modo &c. lege eũ fusius, & habebis quæcunque dicta sunt licet sub alijs uerbis &c. lege etiam Auic. 4. can. 2. tra. cap. 7. ibi, scias quod intentio in medicãdo has febres, quandoq; uertitur ad partem febris, quare est infrigidare & humectare, interdum ad materiæ partem &c. De uictu lege fusius in lib. 1. ubi omnes aph. fere ad propositum accommodauimus.

De febre tertiana pura.

Febris tertiana pura, est interpollata febris, a flaua bile pura ac tenui putrescente orta, cuius est de tertio in tertium ægrum affligere, secundum naturam humoris propriam, & in 7. periodis uel ante iudicatur.

Loci consentientes de febre tertiana pura.

Gal. 2. de diff. febr. cap. 3. febris tertiana exquisita est quæ

per sensibiles corporis partes delata oritur, cum rigore inuadens atq; ardentis febris similitudinem gerens & bilis uomitibus aut deiectionibus, aut sudoribus, uel ex horum quibusdā uel omnibus soluitur, cuius acceßio duodecim ad summū horarum æquinoctialium spatio finitur. Hip.aph.4.aph.59. *Tertiana exquisita in septenis circuitibus quod tempus longißimum est, iudicatur.* De causis febris tertianæ puræ.

Febres tertianæ puræ fiunt a flaua bile putrefacta ac mota & ex uasa lata præsertim in consistentium ætate biliosißima, tempore æstiuo, in regione calida & sicca, & in ijs præcipue qui laboribus uigilijs & solis ardore, & cibis calidis & siccis aut immodico pharmacorum calidorū ac exiccantium usu, curis, & similibus usi fuerunt, &c.

Loci consentientes de causis febris tertianæ puræ.

Gal. 2. de diff. feb. cap. 3. febris hæc a flaua bile per sensibiles corporis partes delata oritur. Et in. 1. *cap. eiusdem libr. tertianæ fiunt ab amara bile, & plerunq; in corporibus quorum naturalis habitus ad bilem accedit, in consistentiū ætate biliosißima tempore æstiuo & cæ.* B. Nota ꝙ *tres sunt febres biliosæ iuxta* Auic. *placitum tertiana s. continua, tertiana periodica & causon. periodica rursus diuiditur. nam aut est pura, aut spuria, pura quæ a pura bile cui nullus alter humor admiscetur, oriri solet, lege de his causis* Aet. *ser. 5. cap. 79.* Itē Gal. 2. *de cris. cap. 3.* Item *oribas. apho. 4. com. 59. & inteliges febrem interpollatam extra uasa putrefieri, lege etiam* Aui. *4. can. cap. 35.* Et Gal. *4. aph. com. 59. &c.*

De signis febris tertianæ.

Sex sunt ex quibus indicia febris tertianæ sumuntur, primum a modo rigoris ut incipiat cum horrore et rigore difficili ita ut pungi ac uulnerari cutis uideatur. 2. ab urina & sudore, nam sudor per totum corpus apparet in paroxysmi re=

cessu, urinaq; fit rubra ac ueluti ignea. 3. a caloris qualitate, ut sit causonis calore suauior ac minus mordens æqualis tamen quaq; uersus, qui primo acris uideatur, sed paulo post a manu remanente uincitur. 4. ab ipsis symptomatibus unde sitis quæ hominem exurit, & uigiliæ adsunt sine capitis grauitate. 5 a pulsu, qui est uelox magnus non æqualis in diastoli & sistoli. 6 sumitur ab ætate regione, tempore, & a multitudine euentus tertianarum, & ad infebricitationem desinit. Signa quibus tertiana exquisita a spuria differat, sunt quattuor, primum q; eius acceßio non transcendit duodecim horas. 2. exquisita tertiana in septenis circuitibus iudicatur. 3. incipit cum rigore breui & intenso & terminatur cum sudore exuberante. 4. quia in prima uel. 4. uel. 7. uidetur urinæ coctio, quod in spuria nequaquam.

Loci consentientes de signis febris tertianæ.

Gal. 2. de cris. cap. 3. febris tertiana cognoscitur quia æqualem & liberam celebritatem habet, neq; ullum adest inflãmationis signum, sitim muebit, hominem exurit, in uigore consistit calor æqualis est quaq; uersus, post potũ plurimus uapor per cutẽ exhalat sudoris nũtius, uomitus bilis adest, uẽter soluitur, & biliosum mingunt. sudor apparet uaporosus calidus per totum corpus æqualiter sudans, pulsus uelox magnus ad infebricitationem desinit & acceßionis tempus ultra. 12. horas non se extendit, sæpius septem horas interdum citius & tardius, incipit cũ rigore etc. De indicijs p quæ distinguitur a spuria tertiana lege Aui. 4. can. ca. 37. tra. 2. Oribas. aph. 4. cõ. 59. Sex modis cognoscitur exquisita tertiana, nẽpe, materia, natura, tempore, regione, copia ciborum & temperie, &c. Gale. 2. de diff. feb. enumerat de tertio in tertium acceßionem breue tempus cum rigore inuadens & per sudores & bilis uomitum & excrementa biliosa &c. lege Paul. lib. 2. cap. 13.

De cura febris tertianæ puræ.

In cura febris tertianæ puræ sex opus sunt intentiones, quarum prima uersatur circa regimen sex rerum non naturalium 2. erit lenitio uentris ac materiæ in contrarium alteratio. 3 erit euacuatio. 4 urinæ uel sudoris prouocatio. 5. caloris remanentis alteratio & membrorum roboratio. 6. accidentium correctio. Regimen contrarias omnino qualitates requirit, unde aer sit frigidus & humidus, sicuti & cibi humectare & refrigerare habent. ut ex oleribus attriplex blitum lapathum lactuca endiuia cucurbita cremor ptisanæ & sorbitiones alicæ aqua hordeacea. Caueant a melle sinapi salitis & omnibus acribus, item a uinis præcipue uetustis, ubi uero morbus concoqui cœperit dandum est uinū tenue aquosum, quum uero morbus soluitur liberius exhibendū. 2. intentio est uentris lubricatio et materiæ alteratio, prima fiet cum clysteribus ex casia rhodomelle & oleo uiolato, uel cū casiæ simplicis bolo &c. Alteratio materiæ per refrigerantia & humectantia ut cum syr. de endiuia ros. uiol. de agresta de suc. acet. Acetoso simplici cum aquis endiuia uiol. etc. 3. s. euacuatio fiet per sectionem uenæ si sub forma antecedentis causæ materia fuerit sāguini admixta, aut in futuro de admiscenda timeatur, quæ si a sanguine fuerit seperata, tunc fiet per pharmaca soluentia sicuti cum rheub cum caßia diacatholicone electuario de suc. ros. &c. 4. eliciet sudorem & urinam non rebus calidis, sed potius id ualentibus frigidis sicuti cum acetoso simp. cum emulsione. s. communium frig. in aquis endiuiæ acetosæ, aut cum balneis temperatis boni odoris. 5. erit caloris derelicti alteratio ac laxorum membrorum roboratio. Relaxantur enim membra tum ob imbecillitatem ex resolutione spirituum acquisitam, tum ex calore febrili & euacuationibus tam naturalis, quam artificialiter factis, his igi-

tur succurritur cum rebus frigidis roborantibus sicut cũ tro. de camphora sy. ros. aut cum tria sandalis, diarhodone abb. zucharo ros. uel cum epithemate tum cordi tum hepati applicito. 6 remouet accidentia quæ huic febri contingere solent sicut sunt sitis, uigiliæ, dolor capitis & asperitas linguæ. Sitis tollitur cum collutione oris multifariam parata sicuti cum aquis endiuiæ acetosæ cum uino granatorum, & omphacio addito zucharo uel cum electuarijs de uino granatorum aut cum mucilagine psylij in syndone rara inuoluto ac in aqua immerso. Vigiliæ remouentur cum ung. populeone addita casia odorata opio, & croco aut cum lotionibus ex rebus somniferis etc. Dolor capitis tollitur cum cucurbitulis frictionibus cum oxyrhodino & puluere capituli frig. &c.

Loci consentientes de cura febris tertianæ puræ.

De prima intentione loquitur Gal. 1. ad glauc. c. 9 ibi, semper oportet contrarias qualitates illis, quæ præter naturam inualuerint, opponere, quum hoc multo plus iuuet q̃ quomodolibet euacuare, & paulopost cibi humectantes & refrigerantes omnes exquisitis tertianis sunt utiles, quantitas tanta sit ut concoqui poßit, ex oleribus sint attriplex blitum lapathum malua lactuca & cucurbita, & ex alijs ptisanæ succus & alicæ sorbitiones ex piscibus saxatiles, ex uolatilibus quæ mollibus constant carnibus. Item testiculi gallorum & suum pedes & cerebella. Item ouorum sorbilium uitelli, quia hi facilius q̃ pars alba concoquuntur &c. lege locum fusius & nota prædictam uictus rationem tantum delitiosis esse exhibendam, robustis uero, qualem nobis mostrauit Hip. s. tenuẽ &c. lege Paul. lib. 2. cap. 19. Et Auic. 4. can. cap. 39. De secunda intentione loquitur Gal. & similiter de tertia, primo ad glauc. cap. 9. ibi, exquisitam tertianam quæ ex flaua bile commota inualescit quam maxime fieri poteſt refrigerare oportet &

humectare etc. De cæteris uero intentionibus lege iuxta Aui. loc. cit. ubi enumerat lenientia pharmaca, & commendat fieri phlebotomiam quando est poßibile, deinde materiæ adæquationem cum syr. acetoso, & euacuationem, demum resoluentia &c. lege eum fusius.

Obseruationes circa uictum.

Auic. loc. cit. Et non cibes nisi apud has cõditiones prima nisi aluus primum soluta sit. 2. q. prior cibus sit concoctus ante paroxysmi aduentum. 3. non exhibeatur cibus nisi in tempore quietis sicut in declinatione si poßibile est. 4. quotiẽs ad statum properatur tunc uictũ magis attenuare oportet, &c.

De pronosticis febris tertianæ.

Gal. 1. ad glauc. cap. 8. Exquisita tertiana septem circuitibus iudicatur, & præter id etiam minime periculosa. B. Nota quod in febribus intermittentibus annumerantur tantum acceßiones & non dies, unde in tertiana septem circuitus, 14. dies referunt, in quibus etiam alij acuti morbi finiuntur, uide apho. 4. comm. 59.

Hip. apho. 4. aph. 36. sudores febricitanti si inceperint, boni tertio die. 5. 7. 9. 11. 12. 17. 20. 27. 34. hi enim sudores indicãt morbos qui uero non ita fiunt, laborem significant & morbi longitudinem & recidiuam. Gal. 3. de cris. cap. 3. Tertiana uomitibus & excrementis biliosis & sudoribus toto corpore fluentibus finiri debet, quia tumor tenuißimus, si modo ascendit uomitum irritat, si descendit aluum mouet, si ad meatus cutis sudorem copiosum ob sui tenuitatem elicit &c.

Auic. 4. can. cap. 37. Et quandoque consumitur in uno paroxysmo ob suæ materiæ tenuitatem &c. B. Gal. 2. de dif. feb. cap. 3. quatuor causas breuitatis enumerat quæ sunt humoris quantitas, qualitas, laborantis uigor, & corporis dispositio, ut exempli gratia si cum pauca quantitate humoris & tenui

eius

eius qualitate, uigor cum rara dispositione corporis maior fuerit, tunc morbus erit breuis, sed si multa bilis crassa uigoris imbecillitas & densa corporis dispositio simul fuerint, tunc morbus erit ualde longus &c.

De febre tertiana notha siue spuria.

Gal. 2. de diff feb. cap. 8. Enumerans signa exquisitæ tertianæ inquit, quibus uero aliquid horum deficit, hæ nō amplius exquisitæ, sed simpliciter tertianæ nuncupantur, maxime si intermissionem μικροτέραν *.i. breuiorem habuerint, accessione uidelicet in longius tempus protracta, et notat quatuor huius febris differentias, prima uocatur simpliciter extensa; quæ ad 24. horas extenditur. 2. paululum extensa, & durat usq; ad horas. 30. Tertia dicitur amplius extensa, & durat usque ad horas 36. Quarta uocatur plurimum extensa & durat usq; ad 40. & plures horas, ita ut quotiens magis a pura siue exquisita distabit, totiēs magis notha siue spuria siue extensa nuncupabitur &c. Similis sensus est. 1. ad glauc. ca. 8.*

De causis febris tertianæ nothæ.

Causa ut plurimum est crassa bilis putrefacta, interdum bilis cum pituita admixta & unita &c.

Loci consentientes de causis tertianæ nothæ.

De causis lege Auic. 4. can. 2. tract. cap. 35. ibi, Tertiana nō pura fit à putredine bilis crassæ substantiæ, ob commixtionē bilis cum phlegmate commixtione complexionali unita etc. B. Intellige ita humores misceri, ac si ab utroq; una forma perueniret, & in hoc ab emitriteo differt, qui a duabus inuicem distinctis formis efficitur. Et nota q̃ Gal. facit differentiam inter duas tertianas et duplicem tertianam, nam duplicis tertianæ causa, ab una tantum minera prouenit, sed duarum tertianarum causa a duabus mineris loco distinctis efficitur.

De signis febris tertianæ nothæ.

Signa sunt sex grauitas capitis cum dolore tensiuo. 2. Accessio durat ob humoris crassitiem usq; ad 24. uel 30. horas, & tepor eius usq; ad 48. Tertium non apparet concoctionis uestigium sed urina est cruda. Quartum non extenuatur corpus sicuti in tertiana simplici. Quintum nec cum sudore desinit, nec rigorem interdum habet, nec adest caliditas acris & mordax. 6. Nulla adsunt saeua accidentia ac dictum est in simplici tertiana, & idem accessionis tempus semper est.

Loci consentientes de signis tertianæ.

De his signis lege Auic. 4. can. 2. tract. cap 37. ibi, in nõ pura tertiana adest grauitas capitis cum dolore extensiuo duratq; paroxysmus usq; ad 24. horas uel 30. usq; ad declinationem, & tunc tepescit donec compleantur. 48. horæ &c. lege eum fusius. Gale. 1. ad glauc. cap 8. ex historia adolescentis omnia signa huius febris demonstrauit inquiens urina cruda admodum, febris incidit cum horrore, quæ neq; in caliditate, neq; in pulsibus exquisitæ tertianæ est similis, accessio durat ab aurora tertiæ diei usq; ad auroram quartæ & semper idem accessionis tempus, lege hunc locum uberius. Et nota quod non idem accessionis tempus semper est, nisi materia crassa bili dominetur &c.

De cura febris tertianæ nothæ.

Curandi intẽtiones tot erunt quot dictæ sunt in febre tertiana simplici, uersatur igitur prima circa regimen sex rerũ non naturalium, unde uictus in primis non quotidie sed alternis diebus in tempore quietis exhibendus erit, qui non adeo infrigidet et humectet, ut in tertiana simplici, sed aliquatenus calefaciat incidat & abstergat, sitq; nõ tenuis adeo sed paulo crassior quam dictum est. Cæteræ uero res nõ naturales eadem fere qualitate fac ut polleant. 2. quæ est uentris lenitio ac materiæ præparatio efficietur primo clysteribus ex cassia hic

ra picra oleo camomillino & sale paratis. Similiter præparatio materiæ cum syr. acet. simp. rhodomelle syr. de duabus rad. bisianthino cum aquis & decoctis cicorij boraginis fœniculi &c. 3. erit euacuatio quæ peccante materia cum sanguine fiet per sectionem uenæ aut corpore existente plethorico, quod ubi a sanguine seperatam cognoueris, tunc uomitu uel pharmaco solutiuo euacuabis ut puta cũ infusione rheu. agarici, aut cum diaphinicone & casia &c. 4. erit urinæ & sudoris prouocatio, quæ cum hordei decocto uel petrosilini apij cicorij &c. perficietur. 5. erit membrorum quæ laxa sunt roboratio & fit cum troc. de ros. de eupatorio aut aromatico ros. Extrinsecus cum oleo de mastice de spica de menta de absinthio aut cum fotu ex camomilla absinthio menta, addendo semper aliquid uini odoriferi &c. Vltima intẽtio est quorundam symptomatum remotioꝗ, quæ sunt in appetentia & somnus profundus, incitatur appetitus cum capparibus conditis in aceto aut cum diacitonite cum zuccharo aut in unctionibus suprascriptis &c. Somnus etiam remouetur cum aceto calido ut refert Auic. cap. de subet aut cum lotionibus, & cum his similibus quæ ægrum expergisci possunt.

Loci consentientes de cura febris tertianæ nothæ.

Gal. 1. ad glauc. cap. 10. Non oportet cibum quotidie exhiberi sed alternis diebus, uictus ratio non sit quæ humectet & refrigeret uniuersum corpus qualis in exquisitis tertianis exhibetur, sed aliquem modum sumat ad calefaciendũ & incidendum &c. Post uictum, sectionem uenæ commendat, ibi, ꝙ si sanguinem mittere oporteat, neq; hoc omittendum, sed ab initio statim faciendum. laudat etiam humorum præparationem ex hissopo origano spica nardi cum mulsa decoctis, & post septimum coma absinthij danda est cum oxymelle, solutionem deinde cum his quæ molliter uentrem subducũt &c.

Paul. lib. 2. cap. 20. uomitus post cibum, ijs utilißimus est, quibus hæc febris in uetustatem incidit, similiter Auic. & Razes. 17. conti. Auic 4. can. 2. tract. cap. 40. Et quum uideris urinas eorum crassas tunc phlebotoma & post hæc adiuuantia ad digestionem sunt syr acetosus &c. quæcunq; a me dicta sunt de alijs intentionibus, ipse uberius pertractat. Nota tamen ex Halyabb. non concedi in principio huius morbi pharmacum electiuum, nisi materia turgeat, quanquam iuxta Manardum in epistola ad Charandinum uideatur legi cõtrarium, immo uix inuenies Gal. in omni febre absq; concoctione humorum pharmacum solutiuum exhibere, sed in alijs a febre morbis, paucos inuenies quos per pharmacum non expurget, &c.

Obseruationes de humorum concoctione.

Gal. 1. ad glauc. cap. 10. ab initio statim uitanda quæ nimis exiccant & calefaciunt &c.

Obseruationes circa pharmaca solutiua.

Auic. 4. can. & Arcul. raro & tarde solutiuum exhibendum est, alioqui si importuna fuerit euacuatio, tunc tenues tantum exoluentur & crassæ partes remanebunt &c.

De pronosticis febris tertianæ nothę.

Auic. 4. can. cap 35. Hæc quidem non pura quandoq; prolongatur tempore longo & circiter medietatem anni, et quãdoq; perducit ad mollitiem & magnitudinem splenis Gale. 1. ad glauc. c. 8. uidi quandoq; quum in autumno incepisset in uere desijsse, tum quia æger medici præceptis non paruisset, tum quia læsus ex hyeme esset, lien intumuit, præcordia flatibus fuerãt oppleta, & iam sub tumida quædã aderat in facie decoloratio, & præsertim circa crura adeo ut de adolescente dubitare nobis cõtigerit etc. B. Prorogationis febrium causa Gal. teste. 2. pronost. com. 25. est triplex, prima fit propter ali

quam partẽ affectam curatu difficilẽ. 2. fit propter humores crassos crudos incoctosq;. 3. propter aliquod circa ægrũ commissum, idcirco dicebat Aui. in morbo lõgo resupinetur æger & crura curuentur, & tangantur eius uiscera et uideatur si qua parte corpus tumuerit etc. Hip aph. 4. apho. 29. Quibuscunq; in febribus sexto die rigores fiũt difficile iudicium sequitur. Et aph. 4. aph. 43. febres quæcunq; non intermittentes tertia die fortiores fiũt magis periculosæ, quocunq; modo intermisserint periculũ abesse significatur. Et aph. 4. aph. 44. quibus febres lõgæ his tubercula uel labores in articulis fiũt. Et aph. 4. aph. 45. quibus tubercula uel in articulis labores ex longis febribus fiunt, ij pluribus utuntur cibis. Et aphor. 46. eiusdem si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale &c. lege Galen. commen.

Authores dissentientes circa febres tertianas.

1 Adserere, tertianam febrem cognosci posse per accesionem tantum de tertio in tertium.

2 Adserere, solum humori putrido digestionem conuenire.

3 Adserere, omnes fructus nocere febricitantibus cum Auic.

4 Adserere, nullum in febribus uinum esse concedendum.

Confutatio dissentientium circa febres tertianas.

Ad primũ, rñdet Auic. 4. can. 2. t. c. 36. q, qui considerat tertianã per paroxysmũ errat in ea, sed oportet ut attendat ad significationes alias. Hac etiã de re à Gal. irridetur thessallus, qui diatritũ in cognoscẽdo tertianã expectabat, & hoc. 2. de cris c. 3. Ad 2. dicit Gal. 1. de uic. in mor. ac ubi loquitur de ptisana hordeacea, q, nullo modo humori putrido cõuenit digestio, quũ nec ad benignitatẽ humor reduci posit, sed cõtinuo euaporans humidũ, quoddã cineritiũ permaneat, nisi hoc forte acciderit in continuis febribus, quia tunc humor putridus digeri debet, quũ tota materia putrescere incipiat. Ad tertiũ

dicimus propositionem esse ueram, modo de his omnibus fructibus intelligatur, qui sua humiditate ad corruptionem sunt proni, sed quum multi sint qui sua humiditate corruptioni resistant, ut granata mala citria prunæ &c. Idcirco in febribus conceduntur, quum magis per suam frigiditatem iuuent quam per humiditatem putrescibilem noceant. Ad quartum, Gal.3.de uic.in mor.ac com.8.uinū inquit aquosum maxime febrientibus est idoneum, & id est quod album est colore & substantia tenui nullam eorum quæ in cæteris uinis insunt, habens qualitatem, nec austeritatem nec adstringentiam nec dulcedinem, nec acrimoniam, nec odorem, & quod in Italia imbecillum est sabinum, quod febrientibus administrant, & quod reperiri potest tale uinum in asia cilicia phenicia Palestina scyro & creta, unde si multa reperiuntur in Italia Asia bethinia nil mirum, immo quod plus est miratur quur nihil tactum sit de hoc uino ab Hip. quum febrientibus plus quàm cætera omnia sit iocundius &c.

De febre quotidiana simplici.

Quotidiana est febris intermittens a pituita extra uenas putrefacta proueniens cuius est ægrum quotidie per sex horas cum falsa quiete dimittere, uocatur etiam alio nomine amphimerina.

Loci consentientes de febre quotidiana.

Gal.2.de diff.feb.ca.4. febris quotidiana exquisita est quæ ex pituitæ putredine ortum habet, per sentientes corporis partes a natura detrusa &c. lege etiam cap.7. huius lib.

De causis febris quotidianæ simpl.

Causæ præcedentes sunt temperaturæ humidiores anniq; tempora, quies, otium, repletio balnea statim a cibo. Causæ antecedentes & coniunctæ sunt ipsa pituita, quæ quū sit quattruplex acida, dulcis, salsa & uitrea quæ est acidæ qualitatis

particeps ita quatuor species siue differentias febriũ efficiet.

Loci contentientes de causis febris quotidianæ.

Gal.1.ad glauc.cap.7. fiunt hæ febres ætatibus naturis an=niq; statibus & temperaturis humidioribus &c. uide latius textum. Item Auice.ibi, fit febris humidis quietis senibus in=fantibus nauseatiuam satietatem patientibus & balneãtibus se super repletionem &c.Gal.2. de diff.feb.ca.1. sicut tertia=næ a flaua bile ita quotidianæ a pituita fiunt. Et in lib. de ple nit.tres speties pituitæ enumerat, &.2. de dif.feb. cap.64. es=se dixit ut salsa acida dulcis uitrea quæ acidæ etiam qualita=tis particeps dicitur.unde Auic.4.can.1.tract. cap.47. quat=tuor speties enumerat ibi & phlegma putridum, quandoque est uitreum quandoq; acetosum quandoq; dulce,quandoq; sal-sum.B.nota tamen si quæ sint aliæ speties pituitæ per has qua tuor intelligi,nam crudum & mucilaginosum sub uitreo cõ prehenditur, sicut insipidum & aquosum sub dulci & pon=ticum sub acetoso.gypseum uero febrem non accendit, lege de his fusius lib.1.cap. de humoribus.

De signis febris quotidianę simpl.

Febris quotidiana cognoscitur, quia in primis diebus nul lum habet uigorem,sed potius in progressu temporis refrige rationem quandam,ob humoris craßitiem. Pulsus fit inæqua lis submersus debilis rarus,in principijs uero particularibus fit frequens, sed non adeo uelox necuehemens nec magnus ut in tertiana sed rarus. Vrina alba tenuis deinde fit rubra, nulla adest sitis,ni a pituita salsa aut ualde putrida fiant, su=dor non apparet materia existente crassa. Os uentriculi et he par male afficiuntur ob uim concoctoriam imbecillem. Præ=cordia ultra naturalem habitum intumescunt ob caloris im=becillitatem. Color etiam albus accidit hyberno tempore, & fit principium acceßionis circa uesperam febris incipit fere

cum syncopi & principium uniuersale durat. 18. diebus, & declinationem. 64. Calor huius febris in primo tactu est debilis uaporosus, sed dum mora fit in tangendo sentitur acris & mordax, si uero febris fiat a uitreo & acetoso phlegmate, multiplicatur ualde frigus & in uitreo rigor est uehementior, quæ uero fit a salsa pituita sequitur horror, & nõ fit uehemẽs frigus, quæ uero a dulci raro aduenit frigus uel rigor.

Loci consentientes de signis.

De his signis fusissime loquutus est Gal. 2. de cris. ca. 5. ibi febris quotidiana cognoscitur, quia non primo statim die cũ rigore inuadit, sed processu temporis refrigerationes potius quàm rigores ipsis adueniunt, neq; in pulsibus seruatur ordo uel æqualitas dum accessiones fiunt, &c. lege locum hunc fusius, & intelliges iam a me pridem dicta.

Lege etiam Paul. lib. 2. cap. 23. Item Razen. 10. alm. Item Auic. 4. can. cap. 48. Item. Gale. 2. de diff. feb. cap. 10. Et primo ad glauc. cap. 7. Vniuscuiusq; humoris pituitosi signa etiam diffuse habes ex Auic. loc. cit. Vide etiam Aet. ser. 5. cap. 85.

De cura febris quotidianæ.

Quibus intentionibus febrem pituitosam curabis, primo cum regimine sex rerum non naturaliũ. 2. cum humoris crassi incisione. 3. euacuatione. 4. cum urinæ prouocatione. 5. cũ symptomatum remotione & membrorum roboratione. Prima intentio perficitur cum attenuantibus cibis & incisorijs ita ut in primis diebus tenuem exhibeamus uictũ, sed in processu temporis crassiorem, et hoc in cura tentatiua. Sint itaq; cibi temperati ad aliqualem calorem uergentes ut panis contritus caro pulli borago fœniculus. Vinum interdum conceditur album & lymphatũ, in alijs rebus non naturalibus non uniformis regula dari potest, quum inter salsam & crudam pituitam inter dulcem & acidam magna quippe adsit diffe-

rentia.2. Intentio fiet, si primum aluum cum clysteri lenimus deinde humorē crassum incidamus cum oxymelle simp. rhodomelle, uel syr. de duabus rad. uel bisauthino cum aquis uel decoctis cap. uen. fœniculi petrosellini apij.3. intentio præparari poterit cum agarico troch. rheub. confectione de thurbit diaphinicone el.indo &c.4. intentio est quæ urinæ proritatio multifariam fieri poterit tum cum puluere ex semine urticæ cuscutæ, tum cum decocto apij fœniculi, tum cum topicis quæ adhiberi possunt.5. intentio duo mala symptomata quæ huic febri coniungi solent, remouet, sicut est somnolētia quædam profunda in principio paroxysmi, et rigor ualde intensus. Somnus remouetur cum aceto manibus admoto uel in angulis oculorum posito. Rigor tollitur cum oleo rutæ, in quo tandiu uinum creticum bullierit, donec consumptum uinum amoueatur, facta in unctione ante rigoris aduentum circa totam dorsi spinam. Roboratur etiam stomachus cum oleo mastichino de spica de absinthio, aut intrinsecus cum aromatico ros. diarhodone abb. &c.

Loci consentientes de cura febris quotidianæ.

De prima intentione loquitur Gal.1. ad glauc. c.12. ibi & uniuersum totius uictus caput sit ad iucidendum efficatius.

Auic.4. can. c.58. & fortasse contentus erit aqua hordei in primis diebus dum speratur status propinquior, & nota q̃ instituitur uictus tenuis, dum in cognitionē febris peruenire uolumus, uel tenuis ratione quartanæ, uel quia processu temporis pituita coquitur, & sanguis efficitur, modo a natura uincatur, ut refert Gal.2. de uic. in morb. ac. De alijs intētionibus loqtur Gal.1. ad glauc. c.12. ibi curamus quotidianā cū oxymellite in primis diebus, et his quæ ualde urinā ciūt, circa statum habenda est uētriculo solicitudo &c. Vide illum fusius. Vide etiā Razē,10. alm. cap. de cura febris phlegmaticæ &c.

De pronosticis febris quotidianæ.

Hip.aph.4.aph.63. *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur* Raze.10. *alm.ca. de quot.interpol. Hæc febris multis moratur mensibus & mortis suspitionem habet.Et.18.com.quotidiana est periculosa.* Et Auer. 4.collig. *Deterior omnibus est quæ ex phlegmate uitreo & saluior omnium quæ est mundorum temporum, & quæ est multi sudoris nam humoris sig.tenuitatem & corporis rarā texturam, & raro inquit Auic. euacuantur febrientes a læsione stomachi.B.quia quum locus pituitæ sit stomachus fieri nō potest ut si sit febris pituitosa q̃ non noceat stomacho, sicut tertiana felli & hepati & quartana spleni &c.*

De febre quartana.

Febris quartana ut plurimum periodica, est febris a melancholia non naturali putrefacta per adustionem bilis genita plerunq; eueniens, cuius est ægrum de quarto in quartum diem affligere, & hæc duplex exquisita & spuria, exquisita fit a naturali melancholia, spuria uero a nō naturali, & hæc cap.de hum.

Loci consentientes de febre quartana.

Causæ quartanæ sunt quæcunq; atram bilem generant, nā ex solo humore atrabilari putrefacto oritur, putrefit uero atrabilis ob sui crassitiem, multitudinem, aut ob aliquā meatuum obstructionem aut ob facultatis expulsoriæ impotentiam, quæ in corpore corrupta expellere nequit unde sequitur putrefactio. Fiunt etiam quartanæ ex aliquo hepatis uel splenis affectu uel successione aliarum ægritudinum &c.

Loci consentientes de causis quartanæ.

Gal. 2.de diff.feb.cap.5.*generatur quartana ex solo humore atræ bilis putrefacto putrefit interdum ob crassitiem aut multitudinem, aut tenacitatem materiæ inutilis aut aliquam*

meatuum obstructionem &c. Auic. 4. can. cap. 64. eius causæ sunt quæ generant melancholiam postea putrefaciunt eã etc. euenit autẽ ut plurimum ex succeßione ægritudinum febriũ diuersarum, ex quorum putrefactione quum adduntur & nõ euacuantur, multiplicatur melancholia. B. raro quartana continua accidit, ex eo q quum in uenis atrabilis ad putrefactionem, mouetur tanquam uirtuti dißimilis extramittitur, quæ putrescens intermittentem efficit. Notat Arculus ex hoc Auicennæ *loco quod id uerum non sit, quod putridum a putrido fiat, nam atrabilis ex putredine humorum generatur, quæ non est putrida, quod etiam confirmatur a* Galen. 3. *de pronost. comm.* 29.

De signis febris quartanæ.

Signa quartanæ uniuersalia sunt, quia ipsa incipit cum pauco frigore, quod augetur & minuitur in eodem paroxysmo, adueniente statu caliditas non est uehemens, ut in tertiana, sed maior quam in pituitosa, præterea quartana paulatine ac insensibiliter a frigore ad calorem se confert, fit etiam plerunq; in autumno. Cognoscitur ex uictu præcedente, & si homo lienosus sit, si populariter fiant quartanæ, si urinæ tenues albæ & aquosæ fuerint signa particularia sunt ut si fiat a sanguine adusto, aderit rubedo urinæ signa sanguinis præcesserunt forma ætas tempus, & fit post febres sanguineas. Signa bilis adustæ sunt pulsus uelox frequẽs incipit cum horrore frigore siti sudore. Inflammatione tẽpore ætate & febrium cholericarum succeßione. De *signis pituitæ adustæ aliquid in præsentia non afferam quum anceps sim, an pituita ita aduri poßit, ut in melancholiam conuerti poßit &c.*

Loci consentientes de signis quartanæ.

De *omnibus signis tam uniuersalibus quàm particularibus loquitur* Auic. 4. *can. cap.* 65. *ibi signa quartanæ sunt quod*

incipit cum paruo frigore & c. lege eum fusius. Gal. 2. de cris. cap. 4. omnia hæc etiam habet, ibi, quartana febris cognoscitur si autumnus frigidam & siccam & inæqualem temperaturam habuerit, quia tūc quartanarij circuitus frequentiores fiunt & c. lege locum ultra, de pituita utrum aduri possit ut atrabilis euadat lege manardum.

De cura febris quartanæ.

Quinque in cura intentiones conueniunt, quarum prima expostulat uictum optimum, non flatuosum, sed uentrem emollientem. Cauenda est suilla caro & tenacia edulia, et quæcunq; refrigerant ac exiccant, uinum concedatur albū tenue. Concedantur inter uolatilia quæ optimi succi sunt, in statu morbi uictus tenuis adhibeatur magis quā ante & post, sitq; calidus & humidus. 2. intentio est uentris lenitio ac humoris aliqua præparatio, lenimus cum clysteribus uel alijs lenientibus, at præparamus primū cum acetos. simp. rhodomelle sy. de epithimo de fumoterræ de suc. borag. bisanthino cū aquis uel decoctis conuenientibus ut fumiterræ lupulorum borag. epithimi senæ polypodij. 3 intentio est euacuatio quæ parari potest cum sectione uenæ interioris, modo sanguis admisceatur, uel abundare uideatur, aut fiet per pharmacum solutiuū qualis est infusio senæ in sero caprino aut decoctum myrobalanorum cheb. & ind aut confectio hamec. pillulæ de fumoterræ indæ de lapide laxuli & hoc quum decocta ac præparata fuerit materia, interdum etiā euacuatio fiet per uomitum per urinas & sudorem & c. 4. intētio roborat membra sicuti cor cum ung. de nenuph. citrino hepar cum rebus hepaticis similiter lien & stomachus, prout suis locis dictum est. 5. intentio symptomata tollit, perficitq; primo remouendo rigorem ualidum & frigus in ungēdo spinā dorsi cum oleo rutaceo costino cum mitridato etiā theriaca & c. Et hæc de fe-

bre quartana exquisita. At spuria hisdemet intentionibus cu=
rabitur, præter q, dicta magis ad humiditatem & frigiditatẽ
uergere debet, præsertim si a sanguine adusto uel a bile adu=
sta prouenerit. Digestio etiam aliter ac dixi fiet, sed cũ oxy=
sachara sy. uiol. acetos. simp. Variabit etiã euacuatio quæ fie=
ri debet cum Myrobalanis citrinis & indis &c. cætera erũt
prout dictum est. Cura quartanæ continuæ erit eadem ac di=
ctum de interpollata, nisi quod infrigidationem requirit ma=
iorem ob assiduum calorem, item audacius uena seccatur, &
tenuius cibandum quum breuioris sit status.

Loci consentientes de cura febris quartanæ.

De prima intentione loquitur Galen. 1. ad glauc. cap. 2. ibi
uictus instituendus est optimus siue flatibus ac uentrẽ emol=
liens, arcendi sunt a carnibus porcorum, & ab omnibus edu
lijs tenacibus & tarde exeuntibus quæ corpus refrigerant et
exiccant. Vide etiam Auic. 4. can. cap. 68. nam ibi fusius de ui
ctu pertractat. De alijs intentionibus loquitur ad unguẽ Gale.
loc. cit ibi quartana mediocriter ac leniter ab initio tractan
da est, nullum forte medicamen aut euacuationem exhibẽtes
nisi sanguis uehementer abundare uideatur, nam tũc uena sec
cetur interior uel media quæ est in sinistro cubito q, si niger
ac crassus sanguis uideatur, audatius mittatur, si flauus & te=
nuis statim supprimatur, quum morbus in suo uigore fuerit
prouidendum est uisceribus cum his quæ emolliunt & laxãt,
deinde medicamentis utendum quæ urinam cient, et si coctio
nis indicia apparuerint cum his purgandum quæ humores
atros exoluunt, non semel tantum sed sæpius si fuerit neces=
sarium, utendum & a cibo uomitibus, & qui nequeunt uome
re per inferiora purgentur. Auic. de his fusius pertractat. 4.
can. cap. 66. & Razes. 10. alm. ca. proprio.

Obseruationes circa euacuationem.

Aui.4.can.ca.66.quando quartana eſt a melancholia ſanguinea, tunc extrahatur ſanguis ſecundum quantitatem neceſſitatis, & quando non eſt neceſſaria, tunc phlebotomia eſt nociua quatenus debilitat & ducit contrarium melancholiæ et quatenus mouet humores ad exteriora &c. Gal.1. ad glauc. cap.11. Quicunq; aliquid ex fortibus medicamentis ab initio exhibuerunt, omnino ante ſtatum, quartanam quæ erat ſimplex ſæpius duplicem fecerunt &c.

Obſeruatione circa uictus rationem.

Auic.cap.cit.prohibeatur in die paroxyſmi a comeſtione nam rectius eſt ut eueniat febris uentre uacuo & non occupetur natura, ſed præcipiatur ieiunium & interdicatur aqua frigida illa die.

De pronoſticis quartanæ.

Hip.aph.2 aph.25. Aeſtiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longe & maxime quæ ad hyemē attingunt. Et aph.5.aph.70. a quartana capti non admodum conuulſionibus capiuntur, ſi uero prius capiantur & quartana ſuperuenerit liberantur. B. quia quum duplex ſit horum ſanatio excretio.ſ. & coctio hæc duo quartana, excretionem.ſ a rigore & coctionem a calore febrili efficit. Auic.4.can. cap.64. ſaluior quartana eſt illa quæ non accidit ab apoſtemate ſplenis, quæ uenit ab apoſtemate ſplenis perducit ad hydropem & pernitiem, quartana quæ ſalua eſt liberat ab ægritudinibus melancholicis, ut ab epilepſia melancholia, & in ea eſt ſecuritas a ſpaſmo & non durat niſi per annum modo error non accidat, ſunt & quartanæ quæ per.12.annos perdurant quibus omnibus inimicus eſt autumnus &c.

De febribus ſanguineis.

Quum duplex ſit genus febrium ſanguinis, alterum a putrefacto ſanguine, alterum a non putrefacto, ambo ſub uno

tantum nomine synochi continentur, unde dicimus synochũ esse febrem acutam continuam ex sanguine in uenis putrefacto ortam, altera uero synochus .i. continens est febris acuta ex sanguine in uenis non putrefacto in multa copia peccante .i. succis æqualiter adauctis, harum febrium tres sunt speties acmastica, epacmastica & paracmastica .i. in uigore perseuerantes crescentes & decrescentes.

Loci consentientes de febribus sanguineis.

Gal 9 meth. ca. 3. duplex est genus synochi, unum quod ex natura eadem cum diarijs constat, alterum est ubi in omnibus uasis ac potißimum maximis æqualiter succi putrescunt. Auic. 4 can. cap. 44 inquit medium utriusq;. s. ephemeræ & putridæ synochum sapere, nam differt ab ephemera quia humor est qui calefactus est, differt a putridis, quia nulla adest putredo &c. Lege de his Gale. 9 meth cap. 2 ibi, quædam enim febrium manifestam habẽt putredinis notam, quædam non habent. Lege etiam 2 de cris cap. 6. Et Paul. lib. 2. cap. 26. & habebis utranque synochi descriptionem.

Gal. 2 de diff feb cap. 2. & . 9. meth. cap. 3. Et. 2. de cris. ca. 6 tres speties synochi demostrat, quas Aet. ser. 5. ca. 70. inquit solum competere febribus a sanguine non putrido factis etc.

De causis febrium sanguinearum.

Sex sunt sanguinearum febrium causæ, prima est obstructio. 2. est repletio. 3. multitudo exercitij non consueti laboriosa. 4. consuetæ euacuationis retentio. 5. aquositas ipsius sanguinis ex comestis fructibus elaborata. 6. Hũmoris craßi & crudi copia sanguine admixta &c.

Loci consentientes de causis febrium sangu.

Paul. lib. 2. cap. 27. continentium febrium origo ex sanguine est, qui nunc efferuescens, nunc putrefactus obstruitur &c. Gal. 9. meth. cap. 3. inquit harum febrium in gracili et frigido

corpore neutrum consistere, sed tantum in corpulentis qui sanguine abundant, & ca 4. loquens de iuuene palestræ peri to, inquit quod suspitio erat hanc esse synochon quæ ex sanguinis abundantia & obstructione, præ carnis copia stipatione peruenit &c. Lege de his fusius Auic. 4. can. cap. 44. Et Aet. ser. 5. c. 7. ibi, conflatur hæc ob calidi sanguinis copiã etc.

De signis febrium sanguinis.

Duodecim signis synochum cognosces, Primo febris aßidua est. 2. rubedo faciei & oculorum. 3. inflatio uenarum temporum, & eorum repletio 4. nullus adest rigor uel sudor. 5. interdum adest nasi pruritus & circa locum cui cucurbitulæ applicantur. 6. somnus profundus. 7. loquẽdi difficultas cum faucium inflammatione. 8. effusio lachrymarum. 9. pulsus maximi uehementes citati crebri non mordaces. 10. urina neque consistentia & colore à naturali habitu aliena. 11. æstus intollerabilis. 12. graues uigiliæ &c.

Loci consentientes de signis febrium sang.

De his signis facit mentionem Auic. 4. can. cap. 45. ibi signa febris sanguineæ sunt adhærentia febris rubedo faciei et oculorum &c. Gale. 9. meth. cap. 4. ubi se inuenisse febrẽ admodum calidam dicit, pulsus æquales maximos celeres et frequentes & uehementes calorisq; qualitatem quæ tactum minime morderet, & urinas συστασει. i. consistentia ac calore non multum a naturali habitu alienas &c. lege Paul. li. 2. cap. 27. ibi, indicia &c.

De cura febris sanguineæ.

Cura febris a non putrefacto sanguine, duas tantum intentiones requirit, quarum prima est euacuatio sanguinis per sectionem uenæ usq; ad animi deffectum. 2. est febrilis caloris alteratio, quæ fit interdum cum aquæ frigidæ potu.

Cura uero febris a putrefacto sanguine quattuor exposcit inten=

intentiones quarum prima est circa regimen quod ad frigidum & siccum ordinari debet, unde in cibando primũ morbum & uirtutem metire, nam si ultra septimum diem non se morbus extendere uideatur, parum cibabis exhibendo ptisanam hordeaceam, panem contritum, cum seminum melonis expreßione, similiter ualent lactuca acetosa endiuia malagranata &c. 2. erit euacuatio quæ fiet per sectionem uenæ uel ꝑ cucurbitulas uel per pharmaca solutiua, quæ uaria esse debẽt, ꝓut humorũ mixtio cum sanguine diuersa fuerit, unde bilis per cholagoga sicuti cum myrobalanis citrinis educetur, uel cum rheub. casia &c. Pituita cum phlegmagogis ut pluries dictum est. 3. intentio est causarum putredinis amotio, quæ adimi solent per sui contraria, nam si à frigida causa densum stipatum ue corpus reddatur, tunc per relaxãtia & rarefacientia curabimus. Si ex obstructione per aperientia, si ex abundantia humorũ per euacuantia, si ex craßitie per attenuãtia, si extenuitate per incrassantia &c. 4. intentio est caloris febrilis alteratio quæ fieri potest cum rebus infrigidantibus & attenuantibus præsertim si sanguis crassus existat ut cum oxysachara acetos simp. sy. de endiuia, uel existente tenui cum sy. de iuiubis cum aquis & decoctis acetosæ portulacæ &c. uel aliquo cum eclegmate sicuti cum zucharo ros. triasand. diarhodone &c. Correctio accidentiũ sicut dolor capitis sitis somni profunditas fiet ut pluries dictum est suis in locis.

Loci consentientes de cura febris sangu.

Gal. 2. meth. ca ult. loquens de uictu, si continens inquit ultra septimum progressum non uidebitur prorsus a cibo continendus est æger in uirtutem defecturam conijcias etc. Auic. 4. can. cap. 46. cibi sint ex iuiubis ex lentibus cum aceto granatis & sumach. B. intellige sanguine existente tenui. Aet. ser. 5. c. 7. curandi scopus est copiam euacuare, & calorẽ præter

naturalem extinguere, & si qua adest craßities seccare, & debilitatis partibus antiquam temperiem bonam restituere.

De sectione uenæ lege Gale. historiã de libero et seruo. 9. meth. cap. 4. Auic. 4. can. cap. 49. intentio in hac febre est euacuatio plurimi sanguinis usq; ad syncopim, & si sanguis fuerit subtilis incrassandus, si cholericus infrigidãdus, si crassus attenuandus. B. Conueniunt Paul. Aet. Gale. & Auic. in extrahendo sanguinem usq; ad animi deliquium, sed Auerrois qui alias stimulus medicorum dictus est. 3. sui collig. reprobat euidenti ratione Gal. & aliorum in hac sectione uenæ opinionem, quæ rationes non parui apud me momenti sunt uide tu eas si lubeat. Gale. loc. cit. synochi cum putredine curam recitat, ibi si putredo æqualiter in omnibus uasis subsistat, aut in maximis, &c.

Obseruationes in cura.

Gal. 9. meth. cap. 4. in sectione serua uires, item si ciborũ cruditas adfuerit, uel secessus superfluitatum in intestinis, uel alius sanguinis fluxus, uel puerilis uel senilis ætas, uel frigidum uel gracile corpus uenam non secabis usq; ad syncopim, imo naturæ relinques, Itidem ait Auic. & Aet.

De pronosticis febrium sanguinis.

Gale. 3. de cris. cap. 4. synochi raro eueniunt & ubi nullus sit error in quarto finiũtur, natura proprijs circuitibus perueniente &c. Auic. 4. can. cap. 44. ex tribus spetiebus saluior est epacmastica deinde omotena, nequior uero acmastica. B. Nota quod acmastica & omotena idẽ significant iuxta Gal. placitum, quare in nominum significato ipse deceptus est, ita ut intelligere uellet quod decrescens est salubrior, sed acmastica uel omotena seruans. s. eundem tenorem est minus mala & apacmastica quæ augendo se semper procedit cæteris est nequior, quanquam ego crediderim cæteris deteriorẽ quæ

augendo se semper procedit cæteris est nequior quanquam ego crediderim cæteris deteriorem quæ acmastica nominatur sicuti & testari uidetur & ipse Galen.

De causo febre.

Causon siue ardens est febris continua ardentißima ex flaua bile putrefacta accensa, putrefacta inquam ne crederet quispiam sicuti Auerrois. 7. collig. quod ex bile non putrida ebulliente fieri posset, ex eo forte Gal com. deceptus qui est. 59. quarti apho. ubi inquit tertiana febris ab ea quæ ardens nominatur humore faciente non differt, utraq; enim a flaua bile fit, Differunt autem quoniam febris ardens habet in uenis una cum sanguine bilem plurimam ebullientem, Tertiana uero eandem bilem habet in toto corpore delatã et motã.

Loci consentientes de causo.

Aet. ser. 5. cap. 78. causon siue ardens est febris cõtinua etc. Gale. 4. de uic. in morb. ac. tex. 13. causus est febris in qua urẽs caliditas sitisq; incompescibilis hominem torquet &c.

De causis febris causi.

Causæ primitiuæ causi sunt quæcunq; calida & sicca sunt ut uini potus, salsorum eius uigiliæ, motus laboriosi ira etc. Causæ coniunctæ & antecedentes sunt flaua bilis putrescens uel pituita salsa, unde proprium & legiptimum causum nominant qui a bile, improprium & spuriũ qui a pituita salsa ꝓuenit. Interdũ causa ipsius causi est cerebri inflãmatio, &c.

Loci consentientes de causis febris causi.

Hipp. 4. de uic. in mor. ac. text. 1. causis. i. febris ardens fit quum uenulæ tempore æstiuo exiccatæ, acres ac biliosas, quæ tenues sunt, trahunt ad se humiditates quas ἰχῶρας uocant.

Et text. 3. fit causus ob longum iter, longamq; sitim &c. ex quibus intelligere potes a causis calidis & siccis oriri causum, si uis deinde scire quomodo uenulæ illæ ad se trahũt hu-

miditates lege Gal.com.58.in.4.aph. ibi a febre ardente habito &c. Aet.ser. 5.cap.77.ex flaua bile putrescente incenditur & alternis diebus exacerbatur, & quandam habet febris imminutionem siue remißionem. B. Nota quomodo causus differat a synocho, nā causus a flaua bile, synochus a sanguine, causus habet aliquam imminutionem siue remißionem, sed synochus a primordio usq; ad finem unam tantum habet exacerbationem, ne forte sicuti & ipse Arcul. ambas febres in unum confundas. Vult enim de mente Gal. causon in epacmasticam omotenam & paracmastican diuidi, sicuti synochon, quod nullibi Gal. (quod sciam) somniauit ne dicam scripserit. Auic. 4. can. cap. 41. causon fit secundum duos modos aut est a cholera aut a phlegmate salso putrefacto. Hoc idem etiam adserit Galen. 4. de uic. in mor. ac com. 13. Gal. 1. prorrhet. tex. 18. febris ardens tum ob alias causas tum propter cerebri inflammationem æque fit &c.

De signis causi febris.

Signa sunt arida lingua nigra, appetitus deiectio, uomitus biliosus, uigiliæ interdū deliria, fluxus sanguinis narium, dolor capitis, oculi concaui uentris solutio inquietudo, sitis uehemens, nisi tußis sicca leuiter irritans adfuerit &c.

Loci consentientes de signis febris causi.

Auic. 4. can. ca. 42 signa cholericæ causonis sunt accidentia mala ex uigilijs inquietudine adustione permixtione mentis &c. Paul. lib. 2. cap. 28. ardentibus hæc superueniunt arida lingua crassa & nigra, uentriculi rosio deiectiones pallidæ sitis uehemens uigiliæ, & nonnunquam delirium &c. B. hæc omnia eueniunt ex motu bilis; sed efficatius reddit rationes Gale. de his. 4. de uic. in mor. ac com. 40.

Hip. aph. 4 aph. 54. Quibus plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt non multum siti infe

ſtantur &c. Vide etiam de his ſignis Hipp. 4. de uic. in mor. ac. text. 4. &c.

De cura cauſi febris.

Curatur hæc febris quadrifariam primo uictus ratione quæ humidis et frigidis conſtet. 2. euacuatione quæ per ſectionem uenæ & alui eiectionem fieri poteſt. 3. cum extinctione caloris febrilis. 4. cum accidentium correctione, quæ omnia fient prout dictum eſt in cura tertianæ interpollatæ &c.

Loci conſentientes de cura cauſi.

Paul lib. 2. cap. 29. Dupliciter ſolui debet morbus aut excernendo humores bilioſos aut eos extinguendo, excernuntur per ſudores uomitiones & imum uentrum, extinguũtur aquæ frigidæ potu &c. Auic. 4. can. cap. 43. cauſus curatur cura tertianæ puræ & ſi indiget euacuatione, feſtina, nã euacuatio melior eſt quàm in tertiana, ſed complementum ſit apud digeſtionem, & non phlebotometur niſi in urina adſit turbiditas & rubedo &c.

De pronoſticis cauſi febris.

Hip. aph. 4. aph. 58. A febre ardente habito rigore ſuperueniente ſolutio. B. rigor incitatur a bili per ſenſilia mẽbra ue loci motu delata, unde Aluus ſoluitur ſudores et uomitus excitantur & bilis expurgatur. Hip. aph. 4. aph. 48. in febribus non intermittentibus ſi partes exteriores frigidæ interiores uruntur & ſitim habeat, lethale eſt. B. intelligitur hoc de cauſo, nam Gal. 1. prorrhet. text. 7 quando cauſus interna quidem uret, externa uero nec mediocriter calefacit, lethalis eſt. Hip. aph. 4. aph. 43. Febres quæcunq; non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculoſæ quocunq; autẽ modo intermiſſerint periculum abeſſe ſignificatur. Et aph. 4. aphor. 49. In febre non intermittente, ſi labrum, uel oculus uel naſus, uel ſupercilium peruertatur uel non uideat, uel non audiat,*

iam debuli exiſtẽte corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. Et aph. 4. aph. 50. Vbi in febre non intermitten te, difficultas ſpirandi & delirium acciderit lethale. Et aph. 6. aph. 26. Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, de lirio ſoluuntur. Auic. 4. can. cap. 41. Raro febris ardens ſeni= bus accidit, & ſi accidat eis pereunt, quoniam non fit in eis niſi a cauſa ualde forti. B. ſimilis ſententia habetur ex Galen. aph. 1. com. 14. ibi, ſenibus non acutæ febres accidunt, & ſi quando rarenter talis accidat febris, qualis iuuenibus omni= no hæc ad ægrotantis interitum terminatur, quoniam indi= cium eſt immenſam quandam eſſe cauſæ febrem facientis ma gnitudinem &c. Hip. 4. de uic. in mor. ac tex. 10. Si enaribus fluxerit ſanguis, ſoluitur ægritudo, atq; ſi ſudores ſuperuene= rint iudicatorij legiptimi cum urinis albis craßisq; & leui= bus ſubſidentijs &c.

De febre hepiala.

Hepiala eſt febris pituitoſa intermittens a pituita uitrea in locis a corde remotis putrefacta, quæ ex ſua propria na= tura eodem tempore frigus & calorem inducit, dicta eſt a leni afflictione ſicuti ηπιαλος ſonat.

Loci conſentntes de febre hepiala.

Gal. 2. de diff. feb. cap. 6. quandoquis febricitat ſimul & ri get atq; eodem tempore in toto corpore utrunq; affectũ ſentit ea febris eſt quæ proprie hepiala uocatur. B. ſimilis ſententia eſt in lib. de inæquali intemperie, cap. 8. Idem etiam adſerit Haly abb. 6. ſuæ theoricæ cap. 6. Et Raze. 16. continentis, cap. 3. Serapio. 6. ſui breuiarij. Hæc febris non eſt continua ſed in= terpollata durans tribus uel quattuor periodis. B. Nota quod Serap. & Auic. in hac febre plurimum a Gale. diſcrepant, ſi= quidem hepialam prolipiria ſumunt, nam quotiens frigus in interioribus & calor in exterioribus ſentitur hepialam eſſe

dicũt. Gal. uero quotiens uterq; affectus una sentitur, sed ideo errant quia nomina simul confundunt. Vnde Aet. ser. 5. c 87. febris hepiala a leni afflictione uocata est quum simul febricitant & rigent, & utrunq; percipiunt eodem tempore in omni corporis parte. Paul lib 2. ἠπίαλος ἢ ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ἅλος, ἢ παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν ὃ περί ἐστι θερμαίνειν. i. hepiala dicitur per transalationẽ a sale, uel ab hepios quod est molliter, & aleanen quod est calefacere eo quod uehementer non urat, sed molliter ac blande calefacit &c.

De causis hepialæ febris.

Causa est pituita uitrea partim cruda partim putrefacta interdum cum amara bile coniuncta atq; per sensibilia membra delata ac mota &c.

Loci consentientes de causis hepialæ.

Gale. 2 de diff. feb. cap. 6. a pituita tantum uitrea partim putrefacta partim cruda remanente, unde fit ex putrefacta calor febrilis & ex cruda frigus pari ratione gignitur. Aui. 4. can. cap. 51. causa est phlegma uitreũ in profundo corporis contentum, quod locum infrigidat in quo collocatur, cui si accidat putredo uapor eleuatur, & partes exteriores petẽs calefacit. Galen. de inæquali intemperie cap. 8. si pituitosus succus qui est frigidus, & quem uitreum praxagoras appellat, & amara bilis quæ calida est simul abundant, ac per sensilia membra moueantur, nil miri est utrunq; a cubante pari modo sentiri. Lege Paul. lib. 2. cap. 25. Et Aet. ser. 5. cap. 87.

De signis hepialæ febris.

Signa sunt q̃ una sentitur frigus & calor urina alba tenuis cruda. pulsus rarus tardus, habita. s. aliarum febrium ratione in quibus frequentior esse solet, seruat interdum accessionem tertianam & quartanam ob sui craßitiem & paucitatem, nam humana natura humorem hunc uitreum abun-

dare non ſinit. Spatium eius paroxyſmi eſt à quattuor horis uſq; ad.24. horas, interdum pauca existente materia citius abſumitur.

Loci conſentientes de ſignis hepialæ.

De his ſignis lege Auic.4.can.c.52.ibi, ſigna eius ſunt quæ prædicta ſunt & urina eſt frigida cruda &c.

De cura febris hepialæ.

Eadem cura eſt ac in quotidiana dictum eſt, uerum calidioribus magisq; incidentibus præſidijs indiget &c.

Loci conſentientes de cura hepialę.

Paul.lib.2.cap.25. Hæc febris ex pituita naſcens quum ex quotidianarum genere exiſtat curationi illarum ſubijcitur, à quotidiana tamen differt, quia tanto calidioribus magisq; incidentibus indiget quanto frigidior pituita exiſtit.

Obſeruatio in cura.

Auic.4.can.cap.60. Caue ne calidioribus in principio medicamentis utaris, ſed incipe cum ſy.acetoſo mellino deinde ad ſy.compoſitos, demum ad ſemina aperitiua & ad infuſionem aloes & troc. de roſis, ſed os ſtomachi præcipue inter alia confortetur &c.

De pronoſticis febris hepialæ.

Serapio 6.breuia. Hæc febris non multum permanet & fortaſſe durat p.20.dies aut ultra parum, aut minuitur parũ quia ob humoris paucitatẽ lõgo tempore durare nõ põt etc.

De febre lipyria.

Lipyria febris eſt ea, in qua exteriora & ſuperficies refrigeratur, & profundum uritur & excretiones detinẽtur, aſpera ſitientibus lingua eſt, pulſus paruus & obſcurus ob calorem intro ſe receptum.

Loci conſentientes de lipyria febre.

Gal.de inæquali intemperie cap.8. lipyria eſt quum intus

in ipsis uisceribus calorem sentimus, & in extremis partibus uniuersis frigus. Itidem ait Auic. & omnes practicantes.

De causis febris lipyriæ.

Causa quur exteriora frigeant, & interiora urantur est calor ad interiora reuocatus, uel spiritus quum ad interiora se conferunt exteriora relinquentes, uel ideo frigescunt exteriora quia in externis partibus pituita uitrea continetur, aut quia uapor a putrido humore eleuatus, dum a calore seperatur multoties corpus infrigidat &c.

•Loci consentientes de causis febris lipyriæ.

De his causis lege Auic. 4. can. cap. 51. ibi quia uirtus effunditur ad locum in quo est læsio idcirco exteriora a calore relinquuntur &c. Lege etiam Gale. apho. 4. com. 48. ibi, quia fortis inflammatio in profundiori parte corporis uel erysipelas euenit, unde totus ex toto corpore sanguis ad patientē locum trahitur, ut fit in principijs accessionum &c.

De indiciis febris lipyriæ.

Indicia & eius cura manifesta sunt, quia curatur ut cæteræ phlegmaticæ, & cognoscitur ex descriptione data, &c.

Loci de pronosticis lipyriæ.

Hip *aphor. 4. aphor. 48. In febribus non intermittentibus si partes exteriores frigidæ interiores uruntur, & sitim habeat lethale. Gale. 2. pronosticorum com. 4. Si caput manus ac pedes frigidi sunt, uenter costisq; calentibus malum est et c. quæ possent etiam de lipyria intelligi.*

Authores dissentientes circa febrem lipyriam.

1 *Adserere, lipyriam non esse febrem eo q; calor extraneus non diffundatur per totum corpus.*

2 *Adserere, lipyriam esse posse febrem interpollatam.*

Confutatio diſſentientium circa febrem lipyriam.

Ad primum, reſpondet Auic. 4. cap. 53. Et ſi calor nõ diffundatur per totum corpus hoc non prohibere quin ſit febris dummodo calor extraneus aptus natus ſit per totum corpus diffundi, ſicuti non repugnat hominem eſſe riſibilem, & ſi non rideat.

Ad ſecundum, Galen. 4. aphor. com. 48. Reſpondet dicens nunquid huiuſcemodi caſus poßit fieri in febre intermittente, ego neq; uidi inquit neq; animo capio uidentur, ſiquidem ſolis accidere febribus quæ cauſones ab incendio nominantur pernitioſis, uel ſi aliter libeat appellare κακοηθεστατοις *uelut lipyrijs &c.* Quæ continentur ab hoc loco ad pag. 770. non extant in edit. Lugd. Honorati in 16°

De febre peſtilenti.

Febris peſtilens eſt calor extraneus ac contagioſus, qui ex putrida ebulitione uniuſcunq; humoris circa cor accenſi, ut plurimum contingit, Cõtagioſus inquam quoniam ab uno homine in alium facile progreditur, ex ebulione cuiuſcunq; humoris, quum indifferenter ab uniuſcuiuſq; humoris putrefactione fieri poßit. Aer enim corruptus ac putridus cito ad cor noſtrum aduolat, & quodcunq; inuenit humorum lethali ueneno inficit, &c.

Loci conſentientes de febre peſtilenti.

Quod febris peſtilens ſit calor extraneus iam adeo notũ eſt ut probatione non indigeat, Quod uero ſit contagioſus probatur ex Auicenna. 2. 1. cap. 8. dicente, quod ex ægritudinibus aliæ ſunt quæ de uno ad alium tranſeũt, ut lepra ſcabies uariola febris peſtilentialis apoſtemata putrida &c. Iſidorus. 4. ethimolog. cap. 6. ex hoc contagium dicitur quod cum unum apprehendit celeriter ad plures tranſmigrat. Gale. 1. de diff. feb. cap. 4. calidiores inquit ambientis aeris ſtatus per inſpirationes quidem cor calefaciunt, ſed præſertim ar=

terias ut quæ ipsius substantiæ aeris aliquid attrahant, ex quibus omnibus simul cor affici est necessarium &c. Auic. de cura feb. pest. dixit, si autem materia fuerit sanguinea fiat phlebotomia, si fuerint humores alij euacuentur & cæt. ex quibus uerbis plane intelligitur, quod aliqua febris pestilens sit sanguinea uel biliosa &c.

De causis febris pestiferæ.

Principalis causa istius febris pestiferæ est aeris corruptio, ex cuius inspiratione potißimum cor afficitur, Corruptionis autem aeris principium est, interdum cadauerum copia non sepultorum aut lacuum & paludum euaporatio fœtida, interdum aeris immensa caliditas, uictus ratio praua, humores ad putrescendum parati, influxus cœlestis in corpora iam disposita, ut sunt plethorica et uiribus destituta agēs, sed aer, qui ex habitu naturali ad immodicam caliditatem et humiditatem conuersus est, hoc potißimum efficit. Tempora uero quibus febres præsertim fiunt pestilentes, sunt æstas atque autumni initium, tum quia istis tēporibus corpora sunt multis de causis ad putredinem decliuia, tum quia eorum caliditas & humiditas quæ causa est putredinis tunc magis uiget, licet etiam in uere ob humorum colliquationem & pororum apertionem fieri posset.

Loci consentientes de causis febris pestilentis.

Auic. 1. 4. tra. 4. cap. 1. Et quoniam fit aer secundum hunc modum uenit ad cor, quare corrumpit complexionem spiritus qui est in ipso, & putrefit quod circundat ipsum de humiditate, & accidit caliditas egressa à natura, & spargitur in corpore tunc per causam suam erit febris pestilens & cæ. Gal. 1. de diff. feb. cap. 4. Fit etiam aliquando ob eos qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos qui breuem aliquam occasionem ad febris originem ab aere ambiente

acceperit animal putredinis autem principium uel cadauerũ multitudine non crematorum ut in prælijs contingere solet, aut ex aliquorum uel lacuum uel paludum æstatis tempore uaporatione, & contingit præcedere aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, quæ Athenienses inuasit, aut quia humores erant ex prauitate uictus putredini obnoxij, aut quia corpora erant ad patiendum parata, &c. Bac. Nota quod ad inducendum aliquod effectum quattuor requiruntur, Primum est agentis fortitudo, Nam a minimo flatu nec magna nauis moueri potest. 2. est patientis dispositio, Nõ enim inquit Arist. 1. physicorum) quodlibet agit in quodlibet, sed in id duntaxat quod determinatum est, unde dici solet Actus actiuorum non est nisi in patiente bene disposito. Et Auic. 1. 4. cap. 1. Agens solum cum peruenerit, & patienti nõ est præparatio non accidunt actio & paßio &c. 3. est patientis contactus ab agente actu uel potestate concurrens, Nec mirum quum ignis nec me poßit calefacere, si sua uirtute uel potentia mihi non adhæreat. 4 est mora agentis in patientem, quod si hæc mora non fieret profecto nec parua stypula in magno quantuncunq; igne combureretur, & hæc sunt quæ a Galeno sub paucis his uerbis intelliguntur, quum dicat, Quod nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest &c. Paul. lib. 2. cap. 34. cibi commune praui istius modi morbos pariunt, item communis aquæ uitiatæ potio, nimis laboriosa uitæ ratio, labores omißi, inedia, repletio, idq; dum fames graßatur &c. Quod autem cœlestis influxus sit harũ causa febrium, uide Auic. loc. cit. ibi. Principium omnium horum sunt formæ ex formis cœli facientes esse necessarium illud cuius aduentus ignoratur &c. Gale. 1. de Temperam. cap. 4. omnium aeris temperamentum peßimum esse dicit, quod humidum & calidum est, Vide etiam. 3. aph. comm. 21. ubi de

morbis æstiuis ac autumnalibus loquitur, & 3. aphor. com. 16. ubi inquit quod putredines fiunt in illis temporibus, quoniam perspicuum est humida siccis magis esse putredini obnoxia, & cæt.

De indiciis febris pestiferæ.

Calor febrilis extrinsecus ad tactum suauis est, intrinsecus uero urit ac ægrum molestat, Difficultas anhelandi uisitur ob uapores malignos, Vehemens sitis adest, linguæ ariditas, Nausea ac appetitus prostratus, creberq; uomitus ob humores os ipsum uentriculi infestantes, Tußis sicca, imbecillitas uirium & deffectus animi ob cordis noxam, Adsunt insuper uigiliæ & deliria, interdum quædam conuulsio, ut uix a loco moueri poßint, interdum in somnum quædam delatio. Apparent etiam bubones & carbunculi post aures sub alis & circa inguina, prout cerebrum cor & iecur afficitur, & hæc potißimum fiunt, natura uenenum ad partes extrinsecas detrudente, Oriuntur etiam quædam circa cutim pustulæ quæ mox occultantur, Pulsus eorum est uelox & debilis, excrementa sunt fœtida, urina interdum aquea, interdum subiugalis & liueus, prout sanguis pituita & bilis dominatur, Differt hæc ab alijs febribus putridis quum in humoribus principaliter cordis accendatur, Aliæ uero in alijs partibus, Præter ea in febre pestilenti nulla fit bona crisis & sæuiora sunt symptomata quàm in alijs febribus. Est & altera febris pestilens in qua æger nec ipse medicus percipit calorem multum, nec pulsus & urina sensibili alteratione a naturali distat, sed ipsa ut raro contingit ita celerius ægrum enecat.

Loci consentien. de indiciis febris pestiferæ.

Auic. 4. 1. tract. 4 cap 2. hæc febris est quieta exterius, conturbãs interius secundũ plurimũ perdẽs, ex qua pcipitur caliditas & inflãmatio fortis etc. Paul. lib. 2. cap. 35. pestilentiæ

grauißima quæq; superueniũt, etenim delirium accidit, bilis uomitio, præcordia intenduntur, labores afficiunt, sudores longi erumpunt, extrema algẽt, alui profluuia biliosa tenuia & flatulenta urgent, urinæ cernuntur dilutæ tenues biliosæ nigræ, Nares sanguinem destillant, pectus ardet, lingua torrida est siticulosa, tristitia oboritur, conuulsiones uiolẽtæ etc. Bac. Nota has febres fieri diuersas tum ob corruptionis causam tum ob humorum uario modo putrescentium diuersitatem, Nam putrescente pituita signa febris phlegmaticæ uidebuntur, si bilis biliosa, si sanguis sanguinea apparent, Ratione accidentium quia quædam cum sincopi, quædam cum conuulsione, quædam cum sanguinis screatu uisuntur, quarum signa si recte perpendere uolueris, lege Sauonarolam latius de his enarrantem, nam sumit ipse indicia a substantialiter inhærentibus, sicuti a calore miti uel mordaci, A qualitate mutata, sicuti a colore faciei, Ab exeuntibus mutatis, sicuti ab urina ab excrementis alui, Ab actione læsa ut a uomitu a dolore capitis, ab anhelitu, a uirium deffectu, a tußi a uigilijs a dispositione corporis &c. Ex quibus sane omnia indicia cõprehendi poßunt, Signa tamen propria ut ipse inquit, sunt febres cum antrace glandula & ægrum deficere in facultate animali sensitiua ac motrice, cum facie tornatili pulsu inordinato, urina mala, anhelitu difficili, & ægrum pluris esse angustiæ solito &c. Quod pustulæ appareant in febre pestilenti lege Gal. 5. meth. cap. 12. ubi inquit, ijs qui euasuri erant, pustulæ quas exanthemata uocant, nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt, Tales enim sunt reliquiæ sanguinis, qui in febre computruit, natura ad cutim illas transmittente &c. Vide etiam Gal. in lib. de Atrabile cap. 4. & plura intelliges, lege insuper Almasorem li. 4. ubi febres pestiferas uocat deceptorias, nam sæpe medicos deludunt, uide etiam

Arculum Gord. & Gentilem de fulgineo, lege etiam Aetium. ser.5.cap.95. De peste ex Rufo, & inuenies signa pestis futuræ, & quæcunque a me pridem recitata sunt, Quod autem hæc febris ex eo a putridis differat, quod principaliter humoribus cor circundantibus adhæreat, iam notum est ex superius dictis Auic. quum dicat uenit ad cor, & putrefit quod circundat ipsum de humiditate &c. Gal. aph.2. com.23. Docet nos inquit Hip. quod post iudicationem nox subsequens facilior existat, quoniam plures iudicationes ad bonum terminantur, nisi sit pestilens constitutio, et sic nulla crisis bona fit in febre pestilenti, Et Auic. loc. cit. Et incipit cum accidentibus prædictis cum fortitudine sua, & uenit ad syncopim, & sic ab alijs putridis differt, uide etiam hunc locum Auic. ubi de altera febre pestilenti agit quæ tam celeriter patientem enecat, &c.

De curatione febris pestilentis.

Pestilentiæ duplex requiritur curatio præseruatiua scilicet & curatiua. Præseruatiua prohibet ne aer fiat pestilens, & si iam factus sit eum alterando reconciliat, Prohibetur ne fiat pestilens illum exiccando cum odoribus gratis ac bene redolentibus, sicuti cũ suffumigijs ex ligno aloes ambra Thure moscho Styrace Garyophillis laudano croco & sandalis, aut prohibetur si loca tam publica quam priuata ab omni labe mundentur, si cloacæ et quicquid putridum est depuretur, cauendo interim ne quis a loco infecto isthuc se conferat, nec inde quicquam deferatur quod noxium sit, Quod si iam factus sit pestilens aer, tunc fenestræ uersus septentrionem aperiantur, irroreturq; domus aceto sandalis aqua rosacea cum fructibus odoriferis et camphora, semper ignis cum cupressinis Iuniperis ac lauri lignis accendatur, &c. At præseruatur homo, si ultra aerem rectificatum, etiam rationem uictus ac rerum sex non naturalium exiccantem custodierit, si ma=

terias in ipso corpore superfluentes pharmaco uel sectione uenæ sæpius eduxerit, si deniq; uirium robur membrorum principalium roborauerit.

Curatiua uero non solum antecedentem febris, sed coniunctam bubones & pustulas efficientem, & utranq; simul compræhendit. Circa causam igitur antecedentem tres curandi indicationes opus erunt. Prima euacuare superfluitates corporis iubet cum sectione uenæ si superfluat sanguis; sinimus humores alios purgare cum rheubarbaro, Manna electuario ros aut catapotijs Rufi &c. Secunda efficit ut febrilis discrasia alteretur cum frigidis, utpote cum rob de ribes de agresta de granatis de acetositate citri cum oxalidis & cicorij aquis potuq; aquæ frigidæ, ubi sanguinea uel biliosa febris fuerit. At in phlegmatica aut melancholica suprascriptis miscendæ sunt calida sicuti species diamosci syrupus de buglossa oxymel simplex aqua melisophilli boraginis & cæt. Tertia debet materias cordi obnoxias extirpare cum medicamentis huic rei conducentibus ut supra dictum est. Causæ coniunctæ carbunculos siue bubones efficienti, prima indicatio conuenit, ut locus in quo carbunculi inueniuntur, statim sacrificetur, ut inde materia, quæ maligna est eradicari ualeat, Secunda cauterio actuali locum comburi iubet, qui mox ulcerum curatione erit iudicandus, Quod si in emunctorijs carbunculi apparuerint, ultra scarificationem, locus nõ erit cauterio sed cataplasmate potius suppurante ac attrahente contegendus, mox aperiendus & modo ulcerum curandus est. Tertia indicatio quæ utriq; causæ conuenit, non solum symptomata quæ multa esse possunt, sicuti syncopis, appetitus deiectio uigilia &c aufert sed sex res non naturales ad frigidum, & siccum declinare potißimum iubet, &c.

Loci

Loci consentientes de curatione febris pestilentis.

Auic.4.1. tract.4 cap.4. Retificationis pestilentiæ pars est secundum sanos, qui sunt in ea, & pars eius est secundum ægros, idest pars studet ad præseruandum sanos & pars ad curandum ægrotantes, & sic est duplex præseruatiua & curatiua, & sequitur, Secundum sanos intentio est ut exiccetur aer, & fiat boni odoris, & prohibeatur eius putredo & retificetur cum xyloaloes croco ambra thure, &c. lege locum uberius, & plurima circa hanc rem intelliges. Galenus primo de diff.feb.cap.quarto. Vna siquidem ac prima est in omnibus communis intentio, quod corpus quàm maxime superfluitatibus uaccet, atque optime spiret, Secundo loco posthoc, ut præpotenti causæ, quoad fieri potest, aduersetur &c. Auic. loc. cit. summa curationis earum est exiccatio, & illud cum phlebotomia & solutione uentris, & oportet ut incipiat in ea ad euacuandum, si autem materia uincens erit sanguinea fiat phlebotomia, & si fuerint humores alij euacuantur &c. Gale.loc.cit. statim ab initio quæcunq; corpora humida uidebamus omni uia exiccare conabamur, Quæ uero sicciora in his antiquum habitum conseruabamus, At in quibus superfluitates redundabant, hæc purgationibus sanabamus, Obstructiones autem foraminum aperire atque abstergere studebamus &c. Aet.serm.5.cap.95. Ventris cura quoq; habenda est, si uero superior uenter pituitam habuerit, uomitu euacuetur. Quibus autem sanguis abundat his uena seccetur, bona est & per urinas purgatio etc. Itidē ait Pau.li.2.c.35. De alteratione discrasiæ omnes fere neoterici concordati sunt, inter quos lege Arculanum.4.1. Auicen. & Sauonarolam fußißime de his loquentem, qui & simplicia & omnia fere composita ad pestem facientia copioso satis sermone enumerat. Aet.serm.quinto.cap.

94. & quandoq; refrigerationibus usi sumus, si ita opus esset, quandoq; uero calefactorijs &c. De causis coniunctis loquutus est Gentilis in suo introductorio, & 4.1. Auic. dicens, & si apostema uenerit ad augmentum, laudo non expectata digestione, quod fiat scarificatio super apostemate, deinde apostema maturetur ac curetur ut dictum est &c. Vide in hoc latius Arculanum. 4.1. Auic. c. 5. & plura circa causam coniunctam bubones efficientem intelliges. De symptomatibus, & de sex rebus non naturalibus, qui legerit Sauonarolam multa intelliget, Auic. loc. cit. Et quãdo cadit appetitus restaurentur ad comestionem, Nam plurimi eorum qui uiriliter agunt super illud, & uiolenter comedunt, absoluuntur & uiuunt, & oportet ut sint cibi eorum ex acetosis & desiccatiuis & sint paucæ quantitatis &c. Vide etiã in hac re Paulũ etc.

Obseruationes in sectione uenæ.

Sauon. Si in hac febre non fieret phlebotomia conueniẽs, maior committeretur error, quàm in alijs febribus, Nã cum uires in hac febre satis imbecilles sint, multo magis ex missione sanguinis & spirituum exhalatione, imbecilliores euaderent, Gui. els iubet nos debere phlebotomiam potius partiri quam exquisitam facere.

Obiectio.

In febre pestilenti phlegmatica conueniet, ne sectio uenæ, Nam dixit Auicen. si peccent a sanguine alij humores, quod euacuentur.

Responsio.

Satisfacit tuæ huic obiectioni Aui. 1. 4. de cura febris phlegmaticæ dicens quum uideris urinam crassiorem & rubicundiorem, non erit malum si phlebotomaueris, & in cura tertianæ non puræ si fuerint urinæ eorum crassæ tunc phlebotoma, & in cura causonidis, & fortasse inquit iuuabis eos ex phlebotomia si illic fuerit turbiditas & rubedo.

Obiectio. Erit igitur omni de causa secanda uena?

Responsio.

Maxime, si fuerint urinæ quales nuper dictæ sunt. Intellige tamen, quod euacuatiua sectio sanguinis redundantiæ debet, cæteris uero diuersiua uel euentatiua. Obiectio.

Ex qua uena fiet potior sectio? Responsio.

Si indifferenter patiens se senserit grauatum seccabitur uena media, si circa partes inferiores fuerit læsio, basilica, id est iecoraria, si superiores, uena cephalica idest humeralis, si in inguine fuerit bubo, ex malleo eiusdem lateris &c.

Obseruationes circa curationem.

Arcul. 1.4. Auic. cap. de cur. feb. post. notat quod cum duplex sit intentio, una quæ debetur febri, ut infrigidatio, Altera quæ uacat humori, ut digestio, & uacuatio, quod potior & primum exequenda est euacuatio, quia humor sua maligna putredine & uenenositate magis nocet febrienti, quam pharmacum sua caliditate, Debet etiam uacuatio præcedere digestionem, quum digestio ipsa perfici non possit nisi lōgo tempore, quod in morbo tam acuto expectari non potest, iuxta illud Hip. Medicari in ualde acutis, si materia turgeat, eadem die, tardare enim in talibus malum est. Obiectio.

Quoniam medicamento uti debemus, leniente, Benedicto, an uiolenter euacuante? Responsio.

In hac febre neque leniens, neque uiolenter euacuans conferunt, Siquidem leniens non nisi ea quæ in uijs ductuum reperiuntur euacuat, relinquens quæ circa cor computruerunt, At uiolenter euacuans nimium uires deijcit, quod summopere uerendum est, Quare neoterici benedicto tantum uocato utuntur. Obiectio.

Quid intelligis pro benedicto pharmaco? Responsio.

Scias quod medicamentum duabus de causis dicitur benedictum, Altera quarum est quod operatur soluendo absque cor

poris molestia, sicuti sunt medicamenta primi ac. 2. ordinis, unde Diamanna Gale. à Mesue descripta inter medicamenta benedicta connumeratur, Altera autem quia tale pharmacum absq; noxa corporis soluit, nec aliquam latentem malitiam obtinet, qua corpus inficiatur, unde electuarium rosaceum Mesue & Diaphinicon, quoniam soluunt absq; corporis noxa etiam inter benedicta ascribuntur, & hoc uoluit ipse Mesues in suo de consolat. parte. 2. cap. primo. & cæ. Vide tamen in hac re neotericos, ubi de febre pestilenti loquuntur, & cæt.

Obseruationes circa causas.

Gal. 1. de diff. feb. cap. 4. Oportet siquidem in omni causarum diligenter aduertere, ex qua maxime potentia ægrotare contingat, deinde corporum dispositiones, tam quæ eidẽ consentiunt, quàm quæ aduersantur considerare, illud pro comperto habentes, quod quæcunq; consentientes sunt, facillime lædunt &c. Bac. consentiunt corpora uarijs superfluitatibus plena, iam ex seipsis ad putrescendum parata, & quibus insunt obstructio foraminum, plethoria, uita otiosa in multis crapulis ac rei ueneree uribus immoderatis dedita &c.

Obseruationes circa alterationem.

Arcul. loc. superius cit. Et si frigida & sicca & acetosa conueniant in febre pestilenti, ratione qua putrida & maligna est, eo quod putredinem prohibeant, & causæ pestis quæ ex calido & humido constat, aduersetur, Ratione tamen caloris & materiæ diuersi generis, non semper, nisi cum alijs admixta sint, conducunt, Nam & calidis una cum prædictis uti oportet, ubi a pituita uel melancholia febris dependeat, similiter in sanis uti possumus calidis & siccis in alterando aerem, ut uoluit Auicennas, sed in febrientibus frigidis, & siccis, & cæt.

Pestem curantia ac perseruantia a peste.

In frigida dispositione conferunt Ambra, *moschus, thus, mastix, aloes, sandaraca, lignum aloes, myrrha, resina pini, laudanum*, Aristologia, Iuniperus, *nux moschata*, Garyophillus, *ebanus, inula, acorus, squinantum, bdellium, uinum aromaticum, cortex citri & semen eius, styrax liquida, laurus, basilica, styrax calamita, been, cinnamomum, crocus, calamenthum, caßia lignea, tedoaria, mellisophyllon, mentha, borago*: In *calida dispositione conferunt rosæ, corallus, sandali, camphora, acetosa, uiolæ, lambruscæ, pira, cicorium neniuphar, coriandrum, bolus armena, poma cydonia, terra sigillata, myrtus, arantia, limones, syr. de succo acetosæ, de acetositate citri, de agresta acetosus simplex, tamarindi, uinum uuæ acerbæ, triphera persica*, A *proprietate ualent succus calendulæ, gallegæ, scabiosæ, pulueris radicis tormentillæ, puluis ditamni cum aceto & aqua rosacea, acetum scilliticum, oleum de costo, de scorpionibus compositum, theriaca maior, mitridatum etc.*

De pronosticis febris pestilentis.

Auic. 1.4. *cap. quarto. Et hæc febris secundum plurimum est perdens hominem*, Bac. *præsagium fieri debet bonum, si ut inquit* Hipp. *aphor. secundo, aphor. trigesimo tertio in hoc morbo mente constent, & bene se habeant ad ea quæ offeruntur, quippe horum appetitus leui de causa prosternitur*, Hippocrates *aph. secundo. aphoris. decimonono. Acutorum morborum non sunt certæ prænuntiationes aut salutis aut mortis*, Bac. *maxime in his qui cum uideantur reconualescere statim decidunt ac moriuntur*, Sauonarola *pernitiosa est febris pestilens, si cum sæuis accidentibus calor mitis adiunctus sit, si facies sit tornatilis, & appareant maculæ nigræ, si urina fuerit turbulenta & subiugalis*

&c.Bac.hoc uerum esse potest.Nam scriptum est ab ipso Hippocrate prædict.2.c.32.quod exitior urina est, quæ aquosa fœtida, nigra crassaq; apparet,Lege etiam Gal.apho.4.com.70. ibi,Nonnullæ igitur urinæ longo tempore manent perturbatæ,Nonnullæ cito sedimen crassum habent, & cito morbum solutum iri significant,quæ uero non resident,si uires adfuerint longum fore morbum ostendunt, si imbecillitas adsit ægri mortem prænuntiant &c.Auic.1. 4. Sudor frigidus circa caput & collum cum febre malum, uomitus fœtidus uiridis & diuersi coloris malus, Anhelitus fœtidus malus & mortalis,putredinem enim iam in corde confirmatam esse significat,Et.2.4 omne apostema & pustula quod apparet,& postea redit, malum Bac.nihil est inter alia signa deterius quam diuersitatem pulsus cum imbecillitate uirium percipere, & hoc serua &cæt.

Authores dissentientes in hac febre.

1 Adserere aerem & aquam nullo modo posse putrefieri.

2 Adserere cum Dino non posse solum hominem a peste capi quum morbus sit uniuersalis.

3 Adserere, cum Sauonarola posse uinum exhiberi in febre pestilenti.

4 Adserere,Calefactoria in hac febre nullo modo cõgruere.

Confutatio dissentientium circa febrem pestilentem.

Ad primum inquit Auic.1.4.tract.4.cap.1.Quod aqua nõ putrefit propter suam simplicitatem,sed propter illud, quod de uaporibus malis ei admiscetur,similiter etiam Aer, Bac. quasi dicat in qualitatibus primis nulla fit mutatio,sed si suæ substantiæ alienæ qualitates malæ adhæreant , tunc quatenus aggregatum est,ei potest putrefactio contingere, Confirmatur hoc ex Aristot.4.metheorum omnia annuente posse pu-

trescere præter ignem. Obiectio.

Si hoc esset uerum uideretur quasi sibi ipsi aduersari, nam in. 25. sect. problem. problemate uigesimo, dum quærit, cur terra & aqua putrent aer & ignis non putreant, respōdet quia nihil putret, quod calidißimum & igne refertum sit, si igitur Aer igne refertus sit, fieri non potest ut putrescat. Respon.

Putrefieri aliquid bifariam intelligi potest, proprie scilicet & improprie, Proprie omnia mista putrefiunt, Improprie uero elementa, quum aliqua putrefactionis accidentia in eis remaneant sicuti fœtor &c. Omnia igitur putrefiunt siue proprie siue improprie, ut ipse ait Arist. præter ignē qui sui caliditate, omne humidum a quo fit putrefactio, consumit, Hinc est quod aer in parte suprema qua igni coniungitur, nō putrescit, sed in ea parte qua ab igne longe abest putrefieri interdum contingit, ut ipse Auic.

Ad. 2. Respondet Gentilis ratione probabili poßibile esse aliquem solum a pestilenti febre captum & non plures simul, quia fieri potest quod homo in aliquo sit loco conclusus ubi cadauer inhumatus sui fœtore cor illius pestilenti putredine inficiat, & sic peste solus ut dictat ratio moriatur.

Ad. 3. Auic. 1. 4. cap. 5. oportet ut non administrentur neq; exercitium, neq; balneum neq; uina, neq; tolleretur sitis &c. & sic interdicitur uinum, & ratio est, quia exercitationes, balnea, uina, & sitis, non solum corpus exsiccant, sed etiam attrahendi aeris maiorem copiam irritant, ac corpus accendunt, nec est in febribus quod magis inflammet quam ipsum uinum.

Obiectio.

Paulus ubi catapotia quædam Rufi describit, uino esse assumenda docet, quod si uinum noceret, nō antidoti gratia exhiberetur.

Responsio.

Aliud est exhibere uinum ratione medicamenti, aliud ra-

tione potus, siquidem hic in multa, illic in pauca quantitate assumitur & nota q; catapotia Rufi componuntur ex binis partibus Aloes & Guttæ ammoniaci, et parte una myrrhæ, nec croci meminit sicuti Arabes. Ad quartum Aet. ser. 5. cap. 95. dixit quod si ardor occuparit partes interiores, extremitates autem & superficies frigidæ fuerint & præcordia distēdantur, his calefactoria fomenta adhibere oportet, ut calor ad superficiem trahatur, & quibuscunque modis conandum est, ut calor ex profundo ad externa educatur, & sic calefactoria etiam congruunt, Adde tu etiam quod si a frigidis febris accendatur calida nimis prodesse. Obiectio.

Quomodo potest fieri febris a frigido? quum frigidum aduersetur potius eius calori, quam opituletur. Responsio.

Hoc fieri solet ob prohibitam transpirationem ex qua humores ad putredinem parati, putrefiunt & febrē accendūt.

Obiectio. Anceps sum an febris sit morbus uel causa uel accidens, quum uario modo de ipsa legatur. Respon.

Febris esse potest causa morbus & accidens, iuxta tamen diuersas relationes, Nam febris per relationem ad phrenitidem dicitur causa, sed si referatur ad suam essentiam, secundum quam lædit operationes erit morbus, si uero post alium morbum fieri contingat erit accidens.

De symptomatibus febrium, &.1. de frigore tremore horrore, & rigore.

In principijs febrium tertianæ & quartanæ solent, hæc præsertim symptomata contingere, frigus scilicet, tremor, horror, & rigor, quæ quonam modo inter se differant, & quid sint, scire præsentaneum esse existimauimus. Frigus igitur quod Græci ψύχος dicunt, fit in febribus quando superficies corporis motu inæquali non mouetur. Tremor uero est partium, quæ uicißim sursum & deorsum feruntur

inuoluntarius motus, Horror autem eſt tremor qui fit quum totum corpus intremiſcit abſq; tamen concußione. Rigor demum eſt frigefactio dolorifica cum quadam totius corporis inæquali concußione & quaſſatione, Differt tremor a rigore, eo quod unius duntaxat particulæ, ſed rigor uniuerſi corporis affectus eſt, Differt rigor ab horrore, quum horror ſit ſolius cutis affectus, rigor uero totius corporis, Differt horror ab utroq; quum nulla agitatione corpus moueat, Hæc tamen ita ſe conſequuntur, in primis accedit quædam inæqualis temperies mox frigus ſequitur, inde horror, & quandoq; tremor, nouißime autem omnium rigor, qui totum corpus inæquali motu concutit & quaſſat, ſubſequitur &c.

Loci conſentientes de frig. tremore horrore & rigore.

Gal. in li. de trem. & palp. cap. 6. Exacerbationis aggreſſum huic quidem cum rigore, alteri uero cum horrore et alteri cum ſolo frigore aduenire affirmamus &c. Lege caput quintum & ſextum huius libri, & inuenies quid horror frigus tremor & rigor, & quomodo inter ſe differant. Galen. 5. de ſympt. cauſ. cap. 5. Quum enim praua excrementa fuerint congeſta, in primis inæqualitatem ſentimus, quæ ſi acria fuerint eroſionis quoq; ſenſus accedit, ſecundo loco horrorem percipimus: poſtremo rigorem quo partes quatiuntur & concutiuntur &c. Vide etiam Gale. cap. 4. eiuſdem, & 2. de diff. feb. cap. ſeptimo, ubi de rigore & horrore loquitur, ibiq; habet quod horror medius ſit inter rigorem & frigefactionem &c.

De cauſis frig. horroris rigoris & tremoris.

Cāæ frig. extremitatū in febribus sūt aut paucitas ſp̄tūs nō ualēs ad mēbra extrinſeca ſe diffundere, aut noxa intrinſecus

contenta, sicut apostemata, uel ulcus, aut materia maligna sua multitudine & malitia multum lædēs, aut materia quædam frigida in extimis partibus retenta, sicuti in febre lipyria, aut cibus calorem reuocans ad interiora, aut timor, aut aliud quodpiam symptoma hoc efficiens, aut obstructio partium extremarum, quæ spiritum & sanguinem ne libere exeant, prohibet, aut est principium febris, quo ueniente spiritus & sanguis ad locum materiæ congregantur ut eam expellant, Causæ horroris & rigoris sunt humores mordaces qui partim in nobis gignuntur, partim extrinsecus inferuntur, uerum hi secundum magis & minus differunt, Nam qui modice mordent pruritum efficiunt, qui magis rodunt, qui uero acriores adhuc sunt horrorem excitant, qui demū mordacißimi rigorem pariunt, Differunt etiam inter se copia & motu, præterea quod laborantium corporum alia suapte natura non ita facile afficiuntur, alia sunt imbecilla, alia facile sentiunt, alia hebetiori sunt sensu, Nam corpus quod facile sentit & imbecillum est a causa perquam exigua afficitur, Robustum uero & obtusi sensus, non ita, Rigor insuper fieri potest a calidis uaporibus exhalatis meatibusq; apertis ac resolutis spiritibus sicuti in crisibus per sudorem. Fit etiā a malignitate humoris natura attrahente calorem et spiritus, dum eius malitiam abhorret, aut fit ab imbecillitate retentoriæ facultatis sicuti in sudore diaphoretico cui frigus adiungitur &c. Causa tremoris est uaria & multiplex, Nam hæc dispositio facultatis quæ corpus mouet, imbecillitas est, sed causa huius imbecillitatis, aut est alimenti deffectus ut in fluxibus & sanguinis eruptionibus, aut inædia aut uitalis roboris exolutio, ut in cardiacis resolutionibus, aut uiolenta uehemensq; refrigeratio uirtutem occupans, aut nimia repletio aggrauans, &c.

Loci consentntes de causis frig. horroris rigoris & tremoris.

De causis ipsius frigoris lege Gal. 10. meth. ca. 4. ibi. Mordens halitus & succus ubi per sensilia corpora fertur, horrores & inæquales totius corporis cōcußiones facit in ijs, quibus cute stipata, quæ prius transpirabant, iam sunt retēta, etc. Vide idem cap. 10. eiusdem libri, ubi Gal. inquit quod ex balneo præcipue intempestiue habito horrores fieri possunt, Vide tamen de causis frigoris. l. 4. tract. 2. cap. 1. & cap. de horripilatione et ubi agitur de lipyria febre, & 4. aph. aph. 48. et 7. apho. com. et cō. l. 57. & 5. de sympt. causis & c. Gal in li. de plenit. At qui in nobis mordaces gignuntur succi eorum pruriginosi sunt, qui modice acres sunt ulcerosi autē sensum pariunt, qui his sunt mordaciores, qui uero hos quoque mordacitate superant, horrorem, sicuti qui iam præterea mordacissimi sunt, hi rigorem inferūt, Vide de causis horroris. 7. aph. com. 57. ibi horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit, De causis tremoris mentionem facit Gal. in lib. de trem. & palp. cap. 5. ibi, non una duntaxat tremoris causa est, sed ob multas uariasq; occasiones fieri contingit, &c. Vide tu illum latius, uide etiam Arcul. l. 4. cap. 12. & 34. ubi dicit multotiens profundari calorem febrilem, & extrema eorum infrigidari, &c.

De indiciis frigoris horroris tremoris & rigoris.

Ex superioribus locis, & ex definitionibus iam datis, palam satis est eorum cognitio quæ ex relatione infirmi postea confirmatur, &c.

De cura frigoris horroris tremoris & rigoris.

Considerandum in primis num rigor in typo sudorē præcedat sequatur ne, aut illi coniungatur, Si præcedit tunc fit in principijs febrium interpollatarum, & pannis calidis remo

uetur, Si sequatur, uel coniungatur sudori, tunc si fuerit creticus nullo pacto debet cohiberi, si minus sit creticus, tunc uel est debilis uel fortis, si debilis tunc leui frictione & calidis duntaxat applicitis auferetur, Si fortis & longus, tunc quintuplici scopo curabitur. Primo, sex res non naturales ad calidum declinent. Secundo, materia uigorem efficiens per uomitum educatur, præsertim cum eo tempore ad stomachum sese moueat, aut si hoc fieri non poßit, per secessum, cum hiera, caßia, & Aloe, uacuabitur. Tertio, Materia, quæ mordax est mitigetur, ac fiat in posterum, ne amplius rigorem efficiat, unde si fuerit tenuis incrassabitur, si crassa extenuetur cum syrupis ad hunc rem facientibus ut alias dictum est. Quarto, Danda est opera, ut materia quæ uelocißima ad membra sensilia aduolat, non tam raptim, sed quietius moueatur quod fiet per ea, quæ infrigidant corpus & quietem inducunt, aut per ea quæ sensum obtundunt, utpote per soporifera. Quinto, Extremæ partes ligentur ac fricentur, nec non rebus calidis, utpote cibarijs unctionibus & similibus utemur. Nam fortis per ualidas inunctiones a partibus dorsi posteris applicitas, (a quibus rigor præsertim incipit) auferetur, similiter cũ calidis lintheis & cum frictione, Iuuant etiam ad pedes ponere calidos lateres uino aspersos & inungere extremas partes cum oleis calidis &c. Cura uero tremoris erit, si a frigefactione proueniat, cum calidis medicamentis, si a cardaicis stomachicisq; exolutionibus cum his quæ superficiem densant refrigerant ac porros claudunt, si ab alimenti deffectu siue inediæ cum his quæ nutriunt, si a repletione ꝑ ea quæ euacuant &c.

Loci consentientes de cura frigoris horroris rigoris & tremoris.

Auic. 1. 4. cap. 12. Quod est de hoc sequens sudorem reti-

ficatur uelociter, & non indiget regimine, & cretico non oportet ut contrarium fiat per remotionem, & non est de illis quæ debilitant, & quæ faciunt aliud &c. Bac. Hinc elice tu quod aliquis est rigor sequens sudorem, aliquis creticus sicuti ex Auicen. textu colligitur, Quod autem quintuplici scopo curetur, lege Arculum plura super Auic. narrantem, & inuenies quæcunq; a me pridem declarata sunt.

Obiectio. Non intelligo cur rigor debeat curari, quum præsertim curata febre, ipse curetur.

Responsio.

Scias uelim quod rigor interdum accidit cum febre, interdum sine febre ut habetur ex Auicenna dicente, in forti quando perseuerat, siue sit in febribus siue sit in alijs, & cæ. Sed si fuerit in febribus peruertit curationem tribus de causis, Interdum propter tristem eius sensum naturam debilitantem ac contristantem, interdum ob eius motum compreßiuum, ex quo resolutio ac uirium imbecillitas sequitur, Interdum etiam ob uehementem caloris retractionem qua fieri potest, ut inde suffocatio sequatur, & sic cura peruertitur, At ubi in rigore hæc non formidentur, cura nulla est, & ita non debet curari rigor, & cæt. Galenus in libro de trem. & palpit. cap. quinto. Si aliquis ex refrigeratione tremunt calidis medicamentis eos curare licet, At si exhausti ut in cardiacis stomachicisq; exolutionibus tremuli nonnulli fierent, hos calefacere periculum extremum est, econtrario procedendum esse affirmo, his enim superficiem condensare, & medicamenta quæ refrigerant, & inspissant, atq; poros claudunt, admouere oportet, Si uero alimenti deffectu, ut in his qui inedia se conficiunt, et ultra modum euacuatis, tremores aduenirent, hos nutrimento egere unicuiq; patet, insuper quicunq; ob humorũ repletionẽ, uirtute grauata, tremore

corripiuntur, hos uacuatio sanat &c, Bac. Vide ad confirmationem eorum quæ dicta sunt uerba Hippoc. ibi a Galen. recitata. Quod autem in rigore remedia adhibeantur dorso, lege Hip. aphor. 5. aph. 69. ibi. Rigores incipiunt ex lumbis magis & per dorsum in mulieribus, sed in uiris parte corporis posteriore, &c.

De pronosticis rigoris & tremoris &c.

Hip. apho. 4. aphor. 58. A febre ardente habito rigore superueniente fit solutio. Bac. rigor accipitur pro uehemēti frigore, & græce ριγος dicitur, & fit ob flauam bilem per sensilia membra ueloci motu delatam, quo fit ut per aluum uel sudores uel uomitus postea deijciatur, aut per sudorem, si a uenis ad cutem deferatur, & sic fit optima crisis dummodo fuerit concocta materia, & natura morbum superet in die decretoria. Et aph. 4. apho. 46. Si rigor inuidat febre non deficiente ægro iam debili lethale est. Bac. lethale dixit, tum quia uis imbecillis ferre non potest rigoris agitationē, tum quia ab imbecillitate facultatis retentoriæ rigor proueniens, malitiam humoris, & uirium imbecillitatem arguit. Et aph. 4. aph. 63. Quibus in febribus rigores quotidie fiunt, quotidie febres soluuntur, Bac. fit rigor in febribus tertianis & quartanis, quæ soluunt sed permanet quædam dispositio præter naturam in corpore, a qua secundum circuitum rursus febres & alij morbi generantur, Nam causa reuersionis febrium est duplex caliditas scilicet derelicta, in quo materia computruit, & humoris qui debet putrescere qualitas respirationem prohibens, ut Auicennas ipse testatur. 4. can. ca. de feb. putrid. in genere. Hip. aph. 6. aph. 26. Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur. Bac. fiunt tremores a materia a uenis ad neruos delata, fiunt deliria si una cerebrum ob uapores ad caput elatos compatiatur. Et aph.

7.aph.4. A sudore horror non bonum. Bac. quia tum imbecillitatem uirium, tum malignitatẽ humorum talis horror manifestat prout in sudore diaphoretico uisitur. Et aph.7.aph. 26. In forti dolore uentris, partium extremarum frigiditas malum, Bac. frigiditas talis fit uel ob magnitudinem inflammationis, aut propter animi deliquium, uel ob caloris natiui extinctionem, interdum etiam ob uehementiam doloris, ad quem natura una cum sanguine contrahitur, non relinquens solum extremas partes corporis, sed interdum caput & uniuersum cutim ubi præcipue medios corporis partes dolor occupet. Et aph.7.aph.1. In morbis acutis frigus partiũ extremarum malum, Bac. inquit Galenus acutos morbos ab eo uocari, quorum febres magna ex parte continuæ sunt, quæ si citra inflammationem fuerint, nedum extrema frigescere, sed exuri contingit, At si inflammatio aliqua fuerit, ipse inflammationis calor trahit ad se sanguinea ueluti cucurbitula, & extremæ partes ex hoc frigescunt, & uiscera uruntur. Auic.2.4. tract.1. cap. 63. Rigor plurimæ redditionis in febre praua cum debilitate uirtutis est mortalis & cum firmitate uirtutis, quando febris cum eo non remouetur, non est bonũ, & deterior omnibus est, ut sequatur ipsum euacuatio non adiuuans, & non sedetur cum eo febris, & si non accidat euacuatio iterum, tunc significat, quod humor motus est uincens, qui expelli non potest & est malum &c. Hipp. aph.7.aph.7. ex multa potatione rigor & desipientia malũ, Bac. calor natiuus interdum ex multa potione extinguitur, et sic fit rigor: interdum caput repletur, & ita desipiẽtia oriri solet, Quodcunque autem horum casuum acciderit, malum est, Et aph.7.aph.57. Alyce idest anxitudo oscitatio horror, uinum æquale æquali potum soluit ægritudinem, Bac. quo pacto intelligi debeat aphorismus. lege Gal. commentum &c.

Authores dissentientes circa rigorem frigus & horrorem.

1 *Adserere, rigorem non posse citra febrem contingere.*
2 *Adserere, frigus esse tantummodo causam ipsius tremoris.*
3 *Adserere, non esse exhibenda solutiua in rigore.*
4 *Adserere horrorem non posse gigni nisi ab intrinseca causa.*

Confutatio dissentientium circa rigorem frigus & horrorem.

Ad.1.Gal.lib.de inæquali intemperie.cap.8. Veruntamen nos ipsi tum alij iuniorum medicorum non paucis sæpenumero uidimus rigorem, quem nulla sequuta sit febris, quinetiam ijs qui rigent, nec tamen febricitant inæquale temperamentum est &c. Et reddens rationem inquit, *Cæterum incidit tum mulieribus, tum quibusdam uiris, uerum debet omnino deses præcessisse uita & ciborum quædam homo sumpsisse, ex quibus tardus & pituitosus succus qualem Praxagoras uitreum existimat, nascatur &c.*

Ad.2.Gal.in lib.de trem.& palpit.cap.quinto. Tremoris *uero neque una causa est, neque etiam frigus tremoris duntaxat causa existit, sed uario modo fieri contingit, &c.*

Ad.3.Auicen.1.4.cap.12. & solutio inquit uentris cum eis quæ sunt sicut hiera & diacitoniten & diaphinicon, imo quando rigor est prauus & laboriosus, & proprie sine febre dentur in potu pillulæ fœtidæ, quoniam ipsæ sunt sanitas eius &c. Bac. *Nota quod dari solutiua in rigore bifariã potest intelligi, aut scilicet sedato iam rigore, aut stante rigore, dum uita in mortis discrimine ponitur, & nullus sit alius euadendi modus, nisi per euacuationem. In his tamen primus magis mihi arridet quam secundus modus, & si alij astruant secundum posse periclitari: dum materia in motu*

existens

existens facilius euacuetur, Vide tamen in hac re Arculanum in.1.fen.4 Auic. & Gentilem.

Ad.4.Gal.aph.7.com.57. liquet autem inquit, quod nunc a nobis habetur sermo de horrore qui ex corpore prouenit in salubri, & non de illo qui causam extrinsecus habet, & sic ab extrinseca causa etiam gigni potest, sicuti in libro de inæquali intemperie etiam ipse planius fatetur, &c.

De sudore.

Sudor est defecatio siue superfluitas sanguineæ humiditatis serosæ & tenuis quæ interdum in diebus iudicatorijs, Interdum in toto morbi tempore sine iudicatione cõtingit etc.

Loci consentientes de sudore.

Auicen.1.1. cap. de qualitate generationis humorum, Sudor est inquit superfluitas tertiæ digestionis, Gale.aphor.4. com.38.dixit, (prout habet antiqua uersio) quàm sudor naturalis nihil aliud est quàm purgatio naturæ ex nimijs superfluitatibus, & com.42. eiusdem sunt inquit de sudoribus qui in diebus iudicatorijs fiunt, & de ijs qui in toto morbi tempore sine iudicatione apparent &c.

De causis sudoris.

Sudores omnino fieri a natura humidam superfluitatem euacuante, iam compertum est, siue per modum crisis id fiat, siue a morbo naturam cogente, fiunt etiam ab exercitio, a balneis, & a cibis abundanter deuoratis, sunt tamen sudorum aliqui frigidi ab humore frigido, aliqui calidi ab humore calido prodeuntes, Rursus contingunt sudores, uel ob uirium imbecillitatem uel ob corporis raritatem, uel excrementorum tenuitatem, &c.

Loci consentientes de causis sudoris.

Galen.aphoris.quarto. comment.38. fiunt sudores uel natura humiditatem superfluam euacuante, uel quando non

continentior in corpore, morbi ratione &c. loquitur etiã de hac humiditate superflua aphor. 4. com. 56. & com. 37. eiusdem ubi reddit rationem de frigidis & calidis sudoribus, Quod uero contingant ob uirium imbecillitatem & corporis raritatem, lege Gal. aphor. 4. com. 41. ibi, si sudor multus non esset, posset & propter uirium imbecillitatem & corporis raritatem accidere &c. Vide etiam. 6. de sympt. cau. cap. 2. ibi, Multus sudor fit ob corporis raritatem aut ob excrementi tenuitatem, aut eius abundantiam, detinetur autem a contrarijs causis, utpote si paucum si uiscidum si crassum fuerit excrementum, aut si constipantur meatus, id uero ipsis accidit uel quia obturuntur, uel quia clauduntur &c. Auic. 2. 4. cap. 66. Sudor fit, aut causa materiei propter multitudinẽ suam aut subtilitatem suam, aut causa uirtutis ex uehementia scilicet expulsiuæ, aut mollificatione retentiuæ, aut causa pororum quando dilatantur &c.

De signis sudoris.

Cum inter indicia morbos demonstrantia sudores reponantur, non est signorum signa denuo ostendantur, quum per se & pateant, & ex relatione, si non aliter infirmi cognoscantur, sed potius quæ ipsi portendant inuestiganda sunt, quippe sudor quam partem corporis obtinet, ibi morbum esse significat, &c.

Loci consentientes de signis sudoris.

Lege aphor. 38. quartæ sectionis ibi, Qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum, lege Galeni commentum.

De cura sudoris superflui.

Erunt in curatione sudoris superflui indicationes quinq; quarum prima, si a raritate corporis sudor accidat, porros ac omnes meatus claudet ac cõstipabit per ea quæ incrassant ac obturant euentando ac infrigidando corpus. 2. si a materia

tenui proueniat, craßiorem eam reddet. 3. Si sudor ab imbecillitate retentoriæ facultatis, siue a fortitudine expulsoriæ contingat, primum retentoriam facultatem roborabit, et robur expulsoriæ remittet cum his quæ pluries dicta sunt. 4. materiam, quæ a centro ad circunferentiam mouetur, in contrariam partem auertet. 5. omnium ultima sex res non naturales instituet, ut materia ad sudorem apta crassescat, & corporis facultates foueantur, &c.

Loci consentientes de cura sudoris superflui.

De curatione sudoris superflui, siue per crisim siue aliter contingentis habes Auic. 4. 1. cap. 13. ibi, cum fuerit neceßitas & sudor pertransit terminum, tunc oportet ut euentetur ac infrigidetur locus, & in aere frigido ægrum concuti, & seipsum mouere &c.

Obiectio.

Quomodo seipsum mouere uel concuti, cum omnis motus potius calefaciat quàm infrigidet, & sic sudorem promoueat, qui reprimendus esset?

Responsio.

Tuæ huic obiectioni satisfacit Aristoteles quinta sectione problem. problem. 34. dicendo non omnem motum habere cum calefactorium, quippe fieri potest, cum mouemur, ut flatus excitetur, qui refrigerare nos potest, Nam flatus quisque ut ipse ait frigidus est, uide de his singulis intentionibus neotericos Auicennæ commentatores, & reliqua intelliges quæ à me scripta sunt &c.

Obseruationes in restringendo sudorem.

Auic. loc. cit. Oportet ne sudor creticus quantum poßibile est restringatur, & non oportet ut occupetur in exsiccando illud quod rorando egreditur faciendo exsiccationem post exiccationem, Nam illud est occasio ad prouocandũ & multiplicandum, & fortasse attrahit syncopim, Nam eius abstersio addit in ipsum & eius demißio restringit ipsum, & cæt.

Bac. attrahit interdum syncopim resolutis scilicet in abstersione spiritibus, & abstersio est causa sudoris, quia eo remoto ne detur uacuum, alius subsequitur & demisio restringit, quia per seipsum sudor incrassatur ac foraminibus corporis adhæret ita, ne intra se promere posit, uide de hac re Arist. sect. problem. 2. problem. 12. ibi cur detergenti magis profluit sudor &c. lege latius sectionem totam et plura de sudoribus intelliges. Gentilis refert se cuidam mulieri sudorem diaphoreticum curasse cum rosata nouella a Nicolao descripta cuius semuntia tuto exhiberi potest &c.

De pronosticis sudoris superflui.

Hip. pronost. 1. text. 29. Sudor optimus est per omnes acutos morbos, si per diem uenerit decretorium et integre sedat febrem, Bonus etiam si ex toto corpore prodeat, faciatq; ut æger ferat facilius morbum, si uero nihil tale efficiat, nequaquam utilis est, peßimus uero si frigidus egrediatur & circa caput tantummodo uultum & ceruicem, Hic enim cum acuta febre mortem cum mitiore morbi longitudinem indicat &c. Bac. Iudicantur sudores multifariam. 1. per eorum substantiam ut craßi tenues & uiscosi, aut per eorum quantitatem ut si sudor sit multus paucus mediocris, aut per eorum qualitatem ut calidus frigidus pallidus clarus Amarus dulcis fœtidus, aut per infirmi relationem, & hoc ratione leuitatis & grauitatis, aut per eorum tempora ut in principio morbi, augmento statu & declinatione, aut per eorum locum, ut in toto corpore uel in eius parte etc. De his tamen lege uberius Auicen. 2. 4. cap. 70. & latiorem longe sententiam inuenies. Hip. aphor. 4. apho. 36. Sudores febricitanti si inceperint boni & 3. & 7. & 9. & 11. & 14. & 17. & uigesimo, & uigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos, qui uero non ita fiunt, laborem significant et morbi

longitudinem & recidiuam: Bac. non solum intelligitur aphorismus de sudoribus, sed etiam de alui excrementis & urinis multis, & iuxta aurem abscessibus, quæ in prædictis diebus cum tollerantia ægri appareant optima sunt indicia. Disce etiam hic ex aphorismo qui sint dies iudicatorij. Disce adhuc ex Galeni commento quod morbi in diebus imparibus habentes accessionem citius terminantur, qui uero paribus tardant, & hoc ex motu humorum &c. Et aph. 4. aph. 41 Sudor multus ex somno factus absq; causa manifesta corpus uti pluri cibo significat, si uero cibum non accipiēti hoc accidat scire oportet quod euacuatione indiget. Bac. Multus sudor fit teste Gal. uel ob ciborum recenter sumptorum immoderantiam, uel ob illorum qui præterire multitudinem, si primum, prohibendum est, ne in posterum plures sed paucio res assumantur, si secundum euacuandum erit. Obiectio.

Si sudor sit motus naturæ ab intrinsecis ad partes forinsecas & somnus e diuerso, miror quomodo in somno possit contingere. Responsio.

Fit in somno quia magis roboratus calor in humiditates agit, ex quibus fiunt uapores, qui in sudorem postea abeunt. Hip. aph. 4. apho. 42. Sudor multus calidus uel frigidus semper fluens, frigidus magis calidus minus morbum significat, Bac. nota ex Gal. frigidos sudores frigidam materiā innuere, & peiores sunt, calidi uero calidam et minus sunt exitiales.

Obiectio. Quo frigidi frigidā materiā demostrant, si etiam in acuta febre, quæ a calidis humoribus proficiscitur, fieri possunt? Responsio. Frigidi sudores bifariā fieri possunt, uel a calore naturali deficiente, nec ad cutem sese extendente, non febre acuta, aut a materia morbi a qua ipsi decidūt, De hac 2. intellexit Gal. quod frigidi frigidā materiā manifestāt, et nō de prima diuisione, et ita nulla est tua obiectio.

Hip. aphor. 4. aph. 37. Frigidi sudores cum acuta quidem febre, mortem cum mitiori autem longitudinem morbi significant. Bac. frigidus est sudor quum humores in animalis corpore tantæ frigiditatis sint, ut neq; a calore natiuo, neq; a febrili poßint calefieri, idcirco talis sudor in febre acuta pernitiosus est.

Obiectio.

Quomodo potest esse frigidus sudor in acutißima febre, quum duo contraria esse simul non poßint in eodem loco?

Responsio. Non sunt in eodem loco, nam febrilis calor in uasis continetur, sudor uero circa cutim, & sic nō sunt in eodem loco.

Obiectio.

Si febris est calor extraneus per totum corpus diffusus, quomodo non sunt in eodem loco?

Responsio.

Febris diffunditur per totum corpus modo nō sit aliquid, quod ipsam prohibeat, sed defectus caloris natiui hoc efficit ut febris non diffundatur, quæ nil aliud est, quàm calor naturalis mutatus in igneum qui cum deficiat, nō potest diffundi, Hipp. apho. 4. aph. 56. febricitanti sudor superueniens febre non deficiente, malum prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem, Bac. si multa sit humiditas, necesse est ut morbus quoq; sit longus, quum natura non nisi longiori tempore eam & dissoluere & concoquere poßit &c.

Authores dissentientes circa sudores.

1 Adserere, sudorem non esse superfluitatem tertiæ digestionis, sed secundæ.
2 Adserere, plurimum sudorem semper esse malum.
3 Adserere, sudorem in febribus circa caput & collum esse bonum.
4 Adserere, sudorem a multa exercitatione non esse damnandum.

Confutatio dissentientium circa sudores.

Ad primum dicimus ſudorem qui prouenit inſanis corporibus eſſe ſuperfluitatem tertiæ digeſtionis ut uoluit Auicennas, Sed in febrientibus corporibus eſſe ſecundæ digeſtionis, quum a materia in uenis contenta defluat, poteſt tamen dici tertiæ digeſtionis quoad tranſitum quia dum effluit etiã tranſit per locum tertiæ digeſtionis, &c. Ad. 2. loquens Gal. de ſudoribus creticis. 6. de ſympt. cau. cap. 2. inquit tantũ abeſt ut diſſolutam naturam portendant, ut qui robuſtas uires annuntient, Nam eiuſmodi ſudores corpus purgant, atque haud abſimiles ſunt his, quos & modica exercitatio & balneum & æſtiuus calor euocant. Et. 9. meth. cap. 5. inquit, niſi detrahatur ſanguis in febribus quantum uires tollerant, pro certo habendum fore, ut ſuffocentur uel a ſyncope omnino periclitentur, niſi eos uel uirium robur, uel plurimus ſudor a morte uindicet, & ſic plurimus ſudor non eſt ſemper malus &c. Ad. 3. Gal. 1. pronoſt. com. 29. Peßimus ſudor inquit, eſt ſi frigidus egrediatur. Item cum eo malum eſſe dixit ſi circa caput & ceruicem eueniat, licet frigidus non ſit, hic enim minatur ſyncopen, ſi uero circa tales partes frigidus appareat peßimus eſt, quippe qui non inſuper fore, ſed iam ſyncopen eſſe indicet, & ita ſiue frigidus ſiue calidus ſit, in febribus malus eſt &c. Ad. 4. Gal. 6. de ſymptom. cau. cap. 20. reſpondet dicens ſudorem qui per immodicas exercitationes efficitur, non nihil utilis humoris excernere, & ita cum magis damnat quam laudet.

De fluxus ſuperflui ſanguinis narium cauſis.

Quid ſit fluxus ſanguinis narium, nemo eſt, qui ignoret, eius tamen cauſas multiplices eſſe comperio, Nam aut a nimia aquoſitate, uel bile irritante fit, aut a nimia ſuperfluente febrili caliditate, aut ab imbecillitate retentoriæ facultatis, aut ab expultrice irritata, aut ab ipſa natura critice ipſum

expellente, Fit autem plurimum in iuuenibus usi ad trigesimum quintum annum &c.

Loci consentientes de causis fluxus sanguinis narium.

Gal.5.meth.cap.2. Sane ex uena uel arteria sanguis profluit, aut reserato eorum ore, aut tunica eorum diuisa, diuiditur autem uulneratione contusione ruptione erosione &c. Quomodo autem anastomosis & diapesis uenarũ fiat deinceps ipse docendo prosequitur, uideas igitur textũ si lubeat, Vide etiam in hoc.1.4.cap.14. Arculanum plura de his causis diserentem &c. Quod in iuuenibus fiat usq; ad.35.annum lege Hipp.pronost.1.tex.37.ibi. Sanguinis fluorem in iuuenibus, trigesimum quintum annum agentibus expectare oportet.Bac. quia per hanc ætatem plurimus sanguis abundat etc.

De cura fluxus sanguinis narium.

Cura fluxus sanguinis narium consistit in remouenda ipsius fluxus causa. Primum si a tenuitate sanguinis proueniat, protinus cum his quæ dicta sunt, incrassetur, si a nimia caliditate per ea quæ infrigidant, Si ab imbecillitate uirtutis per ea quæ & retentoriam roborent, & expultricem mitigant, Secunda intentio erit in diuertendo tum cum euacuantibus, tum cum his quæ ad contrarium sanguinem reuocant cum cucurbitulis circa iecur aut ipsum splen applicitis, &c. Tertia intentio circa ea uersabitur quæ uenarum ora comprimunt, fitq; tum cum his quæ naribus instillantur ac sufflantur cum puluere scilicet trochiscorum de terra sigillata de charabe bolo armena, tum cum his quæ ex albumine oui pauco aceto & pulueribus dictis in modum cataplasmatis componuntur. Quarta intentio erit sex rerum non naturalium, quæ ut sanguinis crassetur ac frigefiat, & retentoria uis roboretur, ordinata sunt &c.

Loci consentientes de cura fluxus sanguinis narium.

Aet. serm.5.cap.124. At uberior excretio eius multitudinem & laxare & minuere potest, paulatim igitur euacuationem facere oportet inde, unde natura impetum habet, sufficiente autem facta euacuatione consueto more eundem supprimere &c. quæ autem supprimant lege ipsum serm.6. cap. 94. ibi sanguis narium eruptionem sistit urticæ succus &c. Lege etiam Gal.5.meth. cap.3. ibi. At si ex uulnere &c. & multa ad curationem facientia intelliges. At particulatim de omnibus intentionibus lege Auicennam.1.4. cap. 14. ibi. Cum autem necesse est prohibere fluxum sanguinis narium in febribus acutis &c. lege etiam ibidem Arculani commentarium, uide insuper Gentilem de fulgineo in suo practicæ introductorio, & ibi intelliges qui cibi administrandi sint, Quidue in causone prohiberi debeat, & multa ad hanc rem efficatia remedia, quæ non solum suis qualitatibus, sed a tota spetie ut aiunt sanguinem cohibent, &c. Bac. nota tamen quod in febre quartana fluxus sanguinis narium, nisi nimium superq; fluxerit non compescendus est, imo potius comprimendo gulam (in ea præcipue febre quæ a melancholia per adustionem sanguinis generatur,) ac setis porcinis irritandus est, & hanc rem attestatus est Auicennas loco superius citato ibi. Quandoq; aduenit fluxus sanguinis narium patientibus quartanam, quare oportet ut iuues cum facientibus fluere sanguinem ut dictum est &c. Galen.5. met. cap.6. eodem modo eorum quibus ex naribus sanguis profluit aliqui ex capitis refrigeratione deterius habuerunt &c. lege hunc locum fusius.

Obſeruationes circa curam fluxus ſanguinis narium.

Gal.5.meth.cap.6.non ſine diſcrimine,nec omni tempere loca quæ circa particulam unde ſanguis profluit,ſunt poſita, refrigeranda ſuaſerim,imo poſteaquam in alia prius auerteris,ut exempli gratia,ubi ſanguinis miſsione uſus ſis,uel artuum frictione deuinctioneq; uel ad præcordia delixis cucurbitulis,quin ne ſic quidem ad frontem & caput illico refrigerantibus utendum, ſed prius eſt ad contraria reuellendum, utiq; affixa in ſuma ceruice cucurbitula, Quippe duplex eſt auerſio,& quæ ad totius corporis inferna,& quæ ad capitis poſteriora,propterea uidelicet quod ipſæ nares & in ſuperiore & in anteriore parte ſunt ſitæ &c.

Cohibentia ſanguinem narium.

Cohibent ſanguinis narium fluorem Acatia, *aizoon,antimonium,tela aranea, athanaſia nic.cum ſucco plantaginis, puluis dragacanthi uſtus,bolus armena, camphora cum aceto & aqua lactucæ, cartæ uſtæ, ſemen cicutæ, coagulū agni, cinis choclearum terreſtrium, corallus, coriandrum recens, hematites lapis, conſtringere extremitates corporis, gallæ cum oui albumine.gipſum cum lentibus, bolo armena & aceto,gumi arabicum cum ſanguine draconis,charabe.,fumus lanæ ſuccidæ,uaporatio lapidis molaris cum aceto, limacia cum aceto,minium,myrtus,roſa,mumia,ſuccus nepitæ, olibanum,oſtraca uſta cum aceto, cortex oui combuſtus, ſemen & radix peoniæ, plantago, ſuccus rutæ, epithema circa hepar cum ſandalis, ſanguis columbæ & aſini, ſarcacolla cum oui albumine,ſolatrum ſumach,ſpodium,ſtercoris aſinini odor et ſuccus impoſitus,uernix,uirga paſtoris,ſuccus urticæ, trociſci de terra ſigillata,troc.ſtellæ tucia &c.*

De pronoſticis fluxus ſanguinis narium.

Hip.aph.4.aph.27.Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunq; ex parte, cum reficiuntur, alui ijs humectantur, B. causa ob quam uenter humectatur in resumptione est calor natiuus iam propter fluxum sanguinis debilitatus, quo fit, ut nec cibi bene concoquantur nec in sanguinē transmutentur, nec per totum corpus distribuantur, unde humiditas ad uentrem illabitur, & sic fit aluus humidior. Et aphor, 5.aph.33. Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum, Bac. Consueuit Hippocrates per unum exemplū multa notare, unde si sanguis per hæmorrhoidas etiam defluent, non essent propter hoc quod aphorismo aduersaretur.

Obiectio. Cum per tot loca poßit sanguis expurgari, ut per hæmorrhoidas uarices sputum &c. Cur tantummodo de naribus facit mentionem? Responsio.

Quia omnibus alijs maius uel minus inest detrimentum, sed sola quæ fit per nares uacuatio nullo modo periculosa est, Hip. & Gal. pronost.3.cap.7. capitis dolor uehemens & continuus cum febre, si quod ex indicijs extiterit exitiosis integro lethalis est, si uero ex ijs quæ didicisti de ægro tanquam conualituro speres a principio quidem ad septimum diem sanguinis e naribus fluorem expectato, Hipp. ibidem magis expectari sanguinis oportet eruptionem in minoribus natu quintum & trigesimum annum agentibus, In maioribus autem natu suppurationem &c. Et aph.4. aph.25. sanguis quidem supra, qualiscunq; fuerit, malus infra autem bonus est. Bac. hic intelligitur de sanguine, ab ipso ore, non a naribus destillante, alioqui aphorismus esset falsus, quum sanguis e naribus defluens poßit esse bonus &c. Et aph.5.aph 60. Quibus in febribus aures obsurdauerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum, Auic.2.4.tr.i.ca. 73. & 74. Et plurimum accidit fluxus sanguinis narium iuua=

tiuus in imparibus, & parum fit in quarto, In.2.uero.5. 7.et 9.fit & melior est qui sequitur partem infirmam & diuersificans non est cum illa bonitate, fluxus sanguinis narium paruus est malus, & pluris malitiæ est qui est sanguinis nigri & parum fit malus ex sanguine rubeo & splendido, & quum cadit in.4.significat difficultatem crisis &c. Aet.ser.5. cap.124. fluxum sanguinis e naribus in quarta die in febribus fientem, pessimum signum Hippocrates dicit, multitudinem enim significat in toto corpore aut in capite &c.

De asperitate linguæ.

Asperitas siue scabrities linguæ nihil aliud est, q̄ superficiei linguæ inæqualitas cū siccitate et duritie, Fit aūt a uaporibus tenaciū humorū ad linguā peruenientibus, aut a caliditate nimia febrili satis superq; desiccāte, Fit etiā interdū in somno dum hiante ore dormimus hiatus siquidem oris humiditatē absumit &c. Loci consentientes de linguæ scabricie.

Quod linguæ asperitas sit superficiei inæqualitas non est cur probem cum sensui satis pateat. Aet. ser.5.c.118. lingua inquit in febribus aliquando siccatur aliquando exasperatur magis aut minus & diffringitur, aut nigrescit, aut carbonis speciem induit quod ad uiscerum inflammatione contingere solet &c. Gal.2.de cau.morb. cap.7. Quippe exasperantur quæ antea fuerunt læuia, & leuigantur quæ prius erant aspera, illa quidem ob acres humores, aut medicamenta abstergentia, hæc uero ob pinguem humorem aut uiscositatem &c. Hip.prorrhet.1.text.3. Densæ linguæ atq; aridæ phreniticæ Gal.in com.inquit scriptum esse τραχεῖαι id est asperæ non autem δασεῖαι idest densæ & reddit rationem, qua postea uidere poteris, & subdit quod talis lingua immoderatæ siccitatis nota est, quo fit ut & ardentibus superueniat febribus &c.lege uberius hunc locum, & plura scitu digna

inuenies: Auic. l. 4 cap. 22. demostrat asperitatem a uiscositate humorum fieri etiam a siccitate, quum dicat, cum eius asperitas non est pp uiscositatẽ, imo a siccitate oportet &c.

De cura asperitatis linguæ.

Asperitas unico duntaxat scopo curabitur, si ei naturalis leuitas restituatur, uerum si ad eius causas respexeris, Binæ erunt, in curanda asperitate indicationes. Altera quæ causæ antecedenti oppugnet, Altera causæ coniunctæ, Antecedens causa si humores uiscosi fuerint, aut eorum uapores, euacuatione quamprimum tollendi sunt si febrilis & igneus calor, frigidis extinguendus erit, Moxq; si tanquam causa coniuncta uiscidus humor asperitatem efficiat, statim cum abstergentibus remouebitur, Colluatur ergo primũ os cum oxysaccharo hydromellite & aqua hordeacea, & chocleari argenteo, uel canula, uiscositas illa auferatur, possumus etiam en hoc casu cõficere ex saccharo & oleo Amygdalino dulci ueluti eclegma ac linguæ superficiem linire, moxq; spongia linguam expurgare, Sed si febrilis feruor in causa fuerit, tunc Asperitatem humectando aut infrigidando curabimus, utpote cum portulacæ succo in ore retento, Facit etiam rhu obsoniorum mulsæ admixtum, similiter prunæ damascenæ & myxa. At nigredini linguæ summopere subuenit sacculus ex mucilaginibus seminum citoniorum psylij super lingua admotus, nam scabritiem ẽt tollit. Loci conten. de cura asperitatis linguæ.

Gal. in arte med. c. 95. quæcũq; partes ob id quod exasperatæ naturalem amiserint habitũ, his leuitas naturalis est restituenda, ossa leuigãdo & asperam linguã leniendo humidis q̃ nihil mordeãt, et lentorẽ habeant etc. Aui. l. 4. c. 22. In essentia uiscositatis idest dũ asperitas uiscositatẽ sequitur, fricetur lingua cũ brusco cum oleo amygdalino & zuccharo tabarzet, idest ultimæ coctionis donec mundetur &c. Aet. ser. quinto

cap.118.lingua quæ ſiccatur opus habet humectatione, Humectanda autem eſt cum decocto ſeminum lini, efficatius tamẽ erit ſi una myxæ coquantur. Deinde colluat os aqua pura aut ſpongia pura detergeant, Et portulacæ ſuccus in ore detentus locos humectat, & prunorum damaſcenorum aut myxarum oſſa in ore detenta mitigant &c. Vide uberius Paulum lib.2. cap.53.& Auic.loco cit.lege etiam Arculanum & Gentilem de fulgineo in ſuo introductorio, ibi, Si lingua propter humorem ſuperfluum fuerit aſpera os prius lauari oportet cũ aqua & aceto, & poſt mundari debet cum chocleari argenteo, quod ſi lingua fuerit propter calorem adurentem nigra ualet ad hoc ſacculus mucilaginum &c.

Obſeruationes circa uictum.

Aet.ſer.5 cap.118.Sunt cibi mordacitatis exortes & omnino non adſtringentes, leuesq; ac ſorbiles &c.

Obſeruationes circa decubitum.

Paul.lib.2.cap.53. Cæterum in latus decumbere prodeſt, nam ſupinus cubitus exſiccat, item os conniuere, hiatus enim madorem abſumit, Auic.loc. cit. Et non oportet ut non ponantur puluinaria multa, neq; ſupinetur dormiens, nam hæc duo exſiccant lignum &c.

Obſeruationes circa topica.

Arcul.in.1.4.Auic.præmittatur remedium Auicennæ ſcilicet zucharum cum oleo amygdalino, & remaneat ſuper linguam per horam. Deinde ſequatur oxymel, nam primum mollientia, mox abſtergentia magis conueniunt.

De pronoſticis.

Aet.ſer.5.cap.cit.Si uero lingua nigreſcat, aut carbonis ſpeciem referat, et præcordia reperiantur mollia, periculoſum ſignum eſt &c. Auic.loc.cit. Oportet ut non dimittatur ſuper linguam nigredo, imo fricetur cum eo quod ſcis, et ſi nõ,

eleuabuntur ad caput uapores maligni, & faciunt cadere in ſirſen &c. Bac. nigredinem hanc linguæ fieri a uaporibus aduſtis ex materia in uentriculo uel in membris ſpirituali= bus contenta, non eſt qui ignoret, unde ab eorum uaporatio= nem & guſtus corruptio ſequitur, & accidit caſus in ſyrſen ideſt in paraphrenitiden &c.

De uigiliis ſuperfluis.

Vigilia quam græci αγρυπνιαν uocant, eſt ſi phyſicum lo quamur quædam ſenſuum ſolutio, cuius cauſæ efficientes ſunt concoctio iam perfecta, caloris natiui ſuper humiditatẽ ob= ſtruentem uictoria, & puri ſanguinis ab impuro in corde peracta ſeperatio, ſunt & aliæ accidentales cauſæ, ſicuti cor= poris tactus, terribile ſomnium, malus humorum motus, do= lores &c. At ſi medice loquamur uigilia eſt animalis diſpo= ſitio, qua effunditur ſpiritus animalis ad inſtrumenta ſenſuũ & motus, ut eis utatur, & eius cauſas eſſe dicimus ſiccitatẽ ſcilicet primi ſenſitiui, & calorem interdum cum materia, interdum abſq; materia. Fiunt etiam uigiliæ in febribus ſic= cis cerebrum mordicantibus ſurſum elatis &c.

Loci conſentientes de uigiliis & earum cauſis.

Quod uigilia ſit quædam ſenſuum ſolutio, hoc innuit ſa= tis unice Ariſtoteles in lib. de ſomno & uigilia, & ibi om= nes adamuſim cauſas recitat, quæ nuper a me exaratæ ſunt. De ſecunda diffinitione medica loquitur Auic. ſatis fuſe ubi de uigilijs & ſathara uerba fecit. Gal. in lib. de plenit. circa finem, Si principium ſentiendi inquit ſicceſcat, at incaleſcat, ſtatim in uigilias illabitur, Nam bilioſi omnes ex utraq; bile, inſomnes degunt, & .2. aph. com. 3. Sic & uigiliæ fiunt qui= dem propter calorem primæ partis ſenſitiuam: ſed uel ex ſo la intemperatura, uel ex humoris bilioſi abundantia &c. Vi de etiam Gal. 3. de loc. aff. cap. 5. ibi, Ad hæc non minori argu=

mento sunt capitis ardor & refrigeratio, siquidem ardor uigilias, refrigeratio soporem inducit &c. lege locum et uberius de uigilijs & somno plura inuenies, Auic. prima tertij, cap. 4. eius causa complexionalis est caliditas & siccitas, Fit etiam ex uitrositate humiditatis occultæ in cerebro, aut propter dolores et cogitationes comunes &c. uide latius hunc Auic. textum &c.

De signis uigiliarum.

Si uigilia à siccitate nuda absq; caliditate prouenerint tūc capitis adest leuitas, & siccitas oculorum linguæ et narium, nec aliquid caloris uel frigoris in capite percipitur, si à calore cum siccitate fierent, præter iam dicta signa adhuc uisitur inflammatio & adustio, si ab humorum nitrositate, tunc nares excrementis abundant, oculorum adest lippitudo, & sentitur quædam paruæ grauitas in capite & uelociter expergiscuntur cum quosdam saltu, si uero oriantur ex dolore febribus & cogitatione, tunc eorum causæ pro indicijs suppeditabunt.

Loci consentientes de signis uigiliarum.

Auic. prima tertij. tra. 4. cap. 5. signa eius quæ fit à siccitate pura sine materia & non socia caliditati, sunt leuitas capitis & sensuum &c. Vide latius in hac re eius interpretes & qui recenter de his scripserunt.

De uigiliarum curatione.

Scopi pro curandis uigilijs erunt tantum duo, quorum alter causas uigiliarum remouebit, Alter uero multis modis somnum inducet, Si igitur uigiliam ex siccitate ac caliditate aeris cibi uel potus, aut ab accidentibus animi corporis sicuti a doloribus a febre, aut a salsis humoribus contingerint, unice per contraria cuiusq; causæ curabuntur. Si igitur a siccitate uigiliæ prodirēt, tunc humido uictu balneo temperato

quiete

quiete & tranquillitate fruatur, & caput cum oleis humectantibus, ut cũ oleo nenupharino uiolaceo uel rosaceo inungatur, Si uero a caliditate similiter frigida proderunt ut lactuca portulaca endiuia cucurbita &c. Si a dolore sedetur dolor, prout eius causa manifestabit, Si uero fierent ab humorum nitrositate, tunc omnia acria & salsa procul sint, & euacuetur humor salsus uel nitrosus cum cõfectione hamech. electuario de dactilis &c. Cibetur patiens piscibus petrosis, & carne tenui &c. Somnus post hæc introducitur cum lotionibus extremarum partium cum rebus somniferis, cum inunctionibus & cum unguento populeone opio & croco, aut cum his quæ uirtutem animalem relaxant ligando siue uinciendo extrema corporis, fabulando cum luminibus accensis, compellendo eum ut palpebras aperiat ac conniuet, Prouocari etiam somnus potest, cum suppositorijs cum epithematis circa tempora, cum suffumigijs & pulueribus, cum pillulis de arnaglossa, & potionibus ut syrupo de papauere uiolato cum decocto capitum papaueris et seminũ eius emulsione, cum eclegmate, ac ipsis odoribus olfaciendo scilicet oleum nenupharinum de papauere, & nares linire modo non sit quod prohibeat &c.

Loci consentientes de cura uigiliarum.

Prædictæ indicationes ex ipso Auic. 1. 37. c. de cura uigiliarum sumuntur, ubi singulas somnum efficientes causas remouet, unde inquit oportet ut habens illam, cuius causa est siccitas utatur cibo humido, & balneis temperatis &c. Vide illum fusius, & multa uno intuitu compræhendes quæ de prima indicationum a nobis supra relata sunt, De secunda indicatione loquutus est Aet. ser. 5. cap. 116. ibi si uigiliæ nimium infestauerint manus & crura deligari iubebimus eo tempore, quo ad somnum conuerti solent & hortamur, ut aßidue

aperiant ac claudant palpebras, donec satis fatigati fuerint, deinde de repente soluimus ligamenta & tollimus lucernam & multam quietem esse iubemus &c. Itidem ait Paul. lib. 2. c. 41. & Auic. 1. 4. cap. 20. ibi multiplicentur inter manus eius candellæ & eleuentur uoces cũ fabulis &c. De cæteris rebus somnum prolicientibus totas est in hoc capite plenus Auicen. & Aetius ubi puluinares odoramenta suffumigia cataplasmata, & unguẽta somnifera docet, itidem Paul. loc. cit. quos ne sim ita nimis longus a te consulendos relinquo. Vide fusius in hac re Auic. 1. 3 tract. 4. c. 6. Item. 1. 4. ca. 20. uide etiam gentilem in suo introd. ibi circa inquietudinem habentiũ febrem ualet ad hoc odorare frigido olea uel intigatur tenta bombacis in illis oleis, & ponatur in naribus. 2. oportet applicare timporibus infrigidantia. 3. Si non fuerit quod prohibeat ut opilatio fortis uel apostema ualet syrupus de papauere, &c.

Obseruationes circa stupefacientia.

Arcul in. 1. 4. Auic. non conceditur inquit decoctio papaueris & mandragoræ & similium stupefacientium in statu paroxysmorum aut exacerbationum, ne opilãdo porros sua frigiditate intensa magis noceat quàm stupefaciendo conferat, unde Auic. ibi dixit esse talia præparanda cum æger inuenerit leuitatem & quietem ex paroxysmo &c. & hæc intelligi debent de his omnibus quæ siue odore siue suffitu, siue lotione & uapore possunt stupefacere, Nam Paul. lib. 2. ca. 41. loquens de suffitu, id ualere inquit modo caput repletum non sit, & Auic loc cit. Similiter si non fuerit quod prohibeatur in potu syrupus de papauere, & loco eius &c. unde eius expositores prohibentur hæc inquiunt si pleuritis ab humore crasso uel asthma adfuerint &c.

Somnum inducentia.

Somnum prouocant Agnus idest casus, aizoon, alchechen=

gi. amygdalæ amaræ, amomum, anethum, anisum, odor ari=
stologiæ, camphora cum aqua lactucæ in modum caputpur-
gij, Castoreum cum oleo rosaceo, ceparum plurimus esus, ci=
cuta, cinnamomum, odor cyperi, coriandrum, cotula, crocus,
diacodion, diapapauer helleborus, phylonium romanum, Ra
dices granati syluestris, mandragora biosciamus, lactuca, fo
lia salicis, cucurbitæ, laudanum, malua, myrrha odor matri=
cariæ, muscus herba, nenuphar, oleum Anethi, lactucæ, papa=
ueris uiolarum, nenupharis, cucurbitæ, opium, aqua hordea=
cea, albumen oui papauer, peucedanum, unguentũ populeon,
porrum plantago, requies nic sotira nic. rosæ, uiolæ, usnea, so
latrum sandali, fumus styracis, sy. de papauer, triphera un=
guentum ros. uinum purum.

De pronosticis uigiliarum.

Galenus. 7. meth. cap. 6. siccat totum corporis habitũ uigi
lia eoq; infestissima est ijs qui ex siccitate laborãt, et 12. met.
cap. 1. lædunt aũt uires uigiliæ dolor et immodica euacuatio,
& cap. 5. eiusdem uigiliæ spiritum corrumpunt &c. Auic.
1. 3. tra. 4. cap. 4. et dicitur q̃ ille in quo sahara sit fortis dein
de accidit ei tussis, moritur, & cap. 6. eiusdẽ et quãdo speties
saharæ accidit in ætate senili, eius cura ẽ praua, et alibi dixit
q̃d uigiliæ cerebri intẽperiem corrũpunt, ac ipsum debilitãt,
humores adurunt et acutos morbos prænũtiant etc. Hip. aph.
2. aph. 3. somnus atq; uigilia, utraq; si modũ excesserint, malũ.
Bac. si modũ excesserint intellige naturalẽ, non qui tempore
optime ualetudinis fieri solet, sed de eo, qui naturæ expediet
contra morbum, et nota somnũ et uigiliã modũ excedere tri
pliciter, quãtitate scilicet qualitate et tẽpore, quãtitate si fue=
rint superflui uel deficientes, qualitate si fuerint profundi &
leues, tempore, si consueto uel insueto tempore dormierint
uel uigilauerint, et sic trifariã nisi mediocritatẽ seruauerint,

utraq; mala sunt. Et aph.7.aphor.18. In uigilia conuulsio uel desipientia malum, Bac. lege Gal. comm. ubi inquit quod ex ijs quæ maxime euacuant & exsiccant uigiliæ sunt, atque ideo conuulsionem ex siccitate faciunt & desipientiam, quia immodicæ siccitatis ratione in longis uigilijs biliosior redditur sanguis &c.

De siti superflua.

Sitis est appetitus frigidi & humidi, & fit a superflua caliditate cerebri pulmonis & membrorum spiritualium, aut ab eorum siccitate, aut à toto ut in febribus, aut fit a mala concoctione uentriculi, a quo uapores eleuati sitim inducunt, aut a mala temperie calida & sicca sine materia, uel cum materia biliosa & salsa.

Loci consentientes de sitis superfluæ causis.

Quid sit sitis lege Gal. de inæquali intemperie cap.3. ibi ex esuriendo uel sitiendo deficiente hic humida, illic sicca substantia, &c. & 1 de diff feb. cap. 7. siccitatem inducunt diuturnæ euacuationes, & longi temporis fames & febres ardentes, atque ut in uniuersum dicatur, quæcunq; animalis solidas partes exsiccant sicuti febres hecticæ &c. Aet. serm.5.c. 19. Sitis duplex est altera ob humiditatis inopiam, altera ob caliditatis redundantiam, In febrientibus itaq; ambæ affligunt &c. Gal. aph 4. com. 19. Sitis fit aut propter uentriculi dispositionem, uel propter datum medicamentum, uel propter humoris euacuati naturam &c. lege rationes quas posthac adducit, uide etiam latius de his causis.5.aph.comm. 27.&.4. de sympt. cau. cap.7. ibi. Si uero salsi & biliosi humoris uitio mordicationem senserit uentriculus potionem magis, quam cibos desiderabit &c.

De curatione sitis superfluæ.

Sitis unica duntaxat indicatione curabitur, si causam a

qua sitis proficiscitur, unice remoueamus, Quare si caliditatis ac siccitatis redundantia fuerit, statim cum refrigerantibus & humectantibus tollitur, ut cum mucilaginibus seminũ citoniorum psylij & zaccharo, uinoq; granatorum compositis, si a calefactione cerebri & membrorum spiritualium, tunc ultra inunctiones circa caput factas ualet etiam anhelare super aqua frigida, uel frustum anguriæ in ore retinere, uel Gargarismata ex aqua frigida & omphacio os colluere, aut epithemata circa collum gulam hepar frigida applicare, his tamen adde ad maiorẽ horum penetrationem aliquid aceti, Si causa fuerit mala concoctio, uel simplex siccitas somno quam primum auferetur, Si a uaporibus in somno cõcentratis, uigiliæ eos resoluendo etiam sitim sedabunt, Si causa fuerit intemperies calida, & sicca simplex, tunc frigida actu & potentia congruunt, si talis intemperies fuerit biliosa uel salsa imbibita, tunc potus actu sit calidus potestate frigidus, Sitis ab eduliorum caliditate facta, aut ob multum uini potum, protinus remouebit frigidæ potio, Quæ nisi iuuerint, ad narcotica & sensum oris uentriculi stupefacientia recurremus. Interim sex res non naturales in contrarium discrasiæ præparentur, & si qua alia adsint symptoma corrigantur &c.

Loci consentientes de cura sitis superfluę.

Quod caliditas & siccitas suis contrarijs remoueantur, non est, ut totiens probetur, quum medicorum libri ex his referti sint. Paul. lib. 2. cap. 52. Verum sitim in febribus placare solet fotus capitis ex oleo frigidißimo uel rosaceo uniuersim super accommodatus, & hoc intelligitur quando a cerebri caliditate sitis proficiscatur, unde Auic. 1. 4. cap. 17. Oportet ut inungatur caput cum oleo frigido ualde &c. Bac. intelige tu nisi fuerit quod hoc fieri prohibeat, sicuti destillatio, uel capitis repletio, De siti quæ procedit ex calore spiritualium

membrorum loquitur etiam Paul. loc cit. & Aetius serm. 5. c. 19. ubi commendat & glycyrizam & catapotia, quæ ex semine papaueris domestici tragacantho & ouorum albumine conficiuntur. Itidem ait Auic. proponens & mucilagines seminum citoniorum semina lactucæ nigræ & tamarindos &c. De siti ex mala concoctione uel simplici siccitate loquitur Gal. 5. aph. com. 27. ibi. Concoquitur enim per somnum ut liquet, & subdescendit id quod efficit sitim, Aet. ser. 5. ca. 19. At sitis ob siccitatem factæ medella est somnus, cõcoquit enim humores, sed sitis ob caliditatem medella sunt uigiliæ, Bac. ratio est, quia calor in uigilijs circa superficiem expanditur, & uapores qui os uentriculi infestabant per uigilias resoluuntur, unde Auic. loc. cit. & sitis quandoq; fit ex frigore & abscindit eam somnus, & quandoq; fit ex calore, & abscindunt eam uigiliæ, &c. De intemperie calida & sicca lege Arculanum in. 1. 4. Auic. & inteliges quomodo frigida actu & potentia congruunt, De siti ex edulijs calidi, & uini calore facta, uide Aet. loc. cit. & Gal. 5. aph. com. 27 ibi. Et illam quæ facta est ex uino caliditatem aqua restinguere Theorema est medicinale. Quod ad narcotica sit tandem procedendum docet Arculanus loc. cit. qui cum octo modos extinguendi sitim poneret, septimus inquit est stupefaciẽdo aliqualiter os stomachi cum intensæ frigidis actu & potentia, et hoc ualet in quacũq; siti &c. Aet. loc. cit. sint omnes cibi humectãtes, & sic de reliquis sex rebus non naturalibus intelligito &c.

Obseruationes circa sitis remedia.

Aet. serm. 5. cap. 19. lenimenta quædam sitis excogitanda sunt, nam intẽpestiue sumptus potus non solũ sitim nõ extinguit, sed etiam uice uersa auget. In principijs n. exacerbationum, omnes materiæ febres accendẽtes ad profundum declinant, & propterea sitim intendũt, Datus autẽ in illo tempore

potus a materiæ multitudine superatur, et simul uitiatus accessio fit mali, Quare in principijs et augmētis potus exhibitionē prohibere oportet, In uigoribus autē primum per gargarismos et per collutiones oris sitis mitiganda erit, declinatione incipiente potus dabitur, In remißione uero etiam nolētes aliquādo cogantur potum assumere, ne humores ad exacerbationis acceßionem delati resiccētur ac exurantur &c.

De pronosticis sitis.

Hipp. aph. 4. aph. 19. Qui in medicamētis purgati nō sitiūt, nō quiescūt priusq; sitiāt. B. nota duplicē esse sitim, mendosā s. & uerā, Mēdosa fit in multis qui purgātur, ante ipsam euacuationē, & fit ob malā uentriculi dispositionē, uel ob pharmacū assumptū, uel a natura humoris nondū euacuati. At uera sitis illa est, quæ ab euacuatione exiccāte uētriculi humiditatē ꝑ mēbrorū inanitionē prouenit, pōt ēt interdū accidere, uel ob mordicationē, uel ob quā fecit medicina calefactionē, sed quæ dicta est prius euacuationē iā fore cōpletū significat. Obiect. Qūo distinguitur uera sitis à mendosa? Respon. Dupliciter ratione symptomatū, & ex eo q̃ statim a principio esse incipit, Ratione symp. quia mendosa cū grauitate ac molestia uētriculi mouetur. Vera āt cū quadā quiete leuitatē ac sōno, præterea mēdosa, ab aßūptiōe medicamēti statim incipit, uel paulopost, uera aūt in ꝓceßu euacuationis euacuata. s. nō parua quātitate humoris, sed de hac re legere poteris fusius Mesuē, ubi đ 4. intētione laxatiuorū, c. desiti loqtur, ibi. n. triplicē sitim demostrat, Alterā quæ supoccupās dr̄, Alterā q̄ succedēs et duplex est, una quæ euacuationi sufficiēti succedit, altera q̄ euacuationi nimiū superfluēti seqtur uide illū fusius. Hip aph. 5. aph. 27. Qui noctu bibere apetūt, ijs admodū sitiētibus, si sup dormierint, bonū. B. scias uelim q̃ potus trifariā cōsiderari pōt. 1. ut sitim sedat ac demulcet, & exhiberi debet

parua huius quantitas ut lambendo potius quam deglutiendo bibatur. Secundo ut cibum liquefaciat, ac ad formam chyli il lum redigat, idcirco in multo cibo multus potus, & in pauco paucus exhibeatur. Tertio, ut ad membra chylus deferatur, unde Auic. cap. de eo quod bibitur & comeditur inquit hominem non debere bibere in hora digestionis, sed facta dige stione, & de hoc potu tantum dari potest, quantum ipsa sitis naturalis desiderat &c.

Authores dissentientes circa sitim.

1 Adserere potum ualde sitienti non esse propinandum.

2 Adserere a somno potius augeri sitim quam tolli.

3 Adserere, sitim non esse indicium debitæ euacuationis.

Confutatio dissentientium circa sitim.

Ad primum respondet Gal. aph. 5 com. 27. dicens illud non esse in obscuro quod potus ualde sitientibus est dandus siue ex potatione uini mæracioris siue ex deffectu potus, sitis aduene rit, Nam deffectui succurre confert &c. & ita innuit potum esse sitienti propinandum.

Ad secundum respondetur quod somnus sitim ex nimio potu aut cibo producentem aufert, ut testatur Gal. loc. cit. & Hippocrates in eodem aphorismo, nam somnus calorem reuocando concoctionem adiuuat. Obiectio.

Si a caliditate sitis oritur, quomodo per calorem reuoca tum a somno potest auferri? Responsio.

Scias quod cum calor naturalis in somno concentratur ualidiorem efficit concoctionem, ex qua id descendit quod sua acri caliditate sitim producebat, & sic calor digerendo sitim remouet, nec credas sitim a temperato calore oriri, quum potius ab igneo & non naturali ipsa proueniat.

Ad tertium Galen. aphor. 4. com. 19. Verum inquit in his quando abunde fuerint euacuati consequitur sitis, sufficiens

enim est ea, quæ ex euacuatione prouenit siccitas hanc efficere &c. Bac. quasi dicat sitis cum incipit ob membrorū inanitionem, est perfectum completæ euacuationis indicium, unde Auic. 4. 1. cap. 6. Ex significationibus quibus cognoscitur hora, qua est catharcticum constringendum, est sitis, & cum uentris solutio perseuerauerit, & sitis non acciderit, non erit timendum quod superfluitas perueniat &c. Obiectio.

Quonam modo igitur cognoscam esse nimis euacuatum.

Responsio. Poteris cognoscere si ex cholagogo exhibito ultra bilem pituita uel alius humor educeretur, deterioris tamen periculi ac timoris est, si ab alijs humoribus etiam sanguis exierit, ut testatur Auic. 4 1. cap. cit.

De aliis febrium symptomatibus.

Quæ supersunt febrium symptomata de his fusius in secundo libro mentionem fecimus, nam de tußi, de dolore capitis, de alui profluuijs, de uomitu, et similibus repetere, præter id, quod molestum est, etiam non decet. Quicquid igitur breuitati studentes de industria misimus, tuum erit quotiens lubeat, ad hæc confugere.

Finis libri quarti.

IOANNIS BACCANELLII, DE CONSENSV MEDICORVM, *in curandis tumoribus.*

Liber Quintus.

De tumoribus preter naturam, &.1. quid sit tumor.



VMOR *quem Græci ὄγκον dicũt est teste Hip. omnis præter naturam molis uel tumor id unum est eorum quæ corpori accidunt, distensionem in longum latũ & profundum significans ac naturæ modum excedens, uel tumor est id incrementum, per quod partes corporis à naturali habitu in quantitate recesserunt, quæ definitiones etsi tumori quadrent, in multis tamen mancas esse putarim.* Nam *incrementũ quod loco generis in definitione ponitur, non modo ægris, sed etiã sanis cõuenire potest, siquidem craßi in latũ & profundum ultra naturalẽ statum augeri possunt, quũ nedum adhuc præter naturã se habeant, Hæc igitur particula scilicet actiones lædens, in definitione deficiet, alioqui tumor de quo loquimur non esset morbus, sed potius symptoma uel aliquod pathema ut dolor. Erit itaq; tumor ita definiendus.* Tumor *est præter naturale incrementũ, naturalẽ statũ in corpore excedẽs ac noxã actionibus inferens ab aliqua materia replẽte ac extendente* **confectum.**

Loci consentientes de definitione tumoris.

Loquitur de prima definitione Gal.1.*pronost.com.38.c.13. ibi.* Tumorem *solet* Hippocr.*nominare omnẽ molem præter naturam etc.* De.2.*loquitur.1. de tumoribus præter naturã.c.1. ibi. Quod apud græcos ὄγκου uoce significatur, unum quoddam ex his quæ corporibus accidunt, existit. Sic.n. nominant ipsi διάστασιν idest destensionẽ, nõ autem dimensionem ut*

Aug. luc. De. 3. definitione uerba fecit Gal. 13. meth. ca. 1. ibi. In hoc. 13. de tumoribus qui præter naturã incidunt disserere incipiemus, in quibus scilicet partes à naturali habitu in quãtitate recesserunt etc. Quod uero nõ integræ sint istæ definitiones ostẽdit Gal. non solũ in. 1. de tumoribus, cũ exemplũ afferat de crassis, sed etiã. 1. de morb. diff. c. 12. ubi inquit si tumor ad tantã magnitudinẽ attollatur, ut ob hanc ipsam functio impediatur morbus censeri debet, alioqui uel symptoma uel pathema sicut et dolor etc. quibus uerbis plane adscrit, particulã super a me dictã in his deficere, Quod aũt nostra definitio sit uera probari potest tali raciocino, Illa est uera definitio, quæ datur per genus & differẽtias, et nullius rei extraneæ essentiam explicat quàm definitæ, sed definitio hæc a nobis data est huiuscemodi, igitur erit uera. Quod probari facili poterit, si singulas definitionis partes examinemus, nam particula præter naturale incrementum quæ loco generis ponitur, dicta est ob ipsos uentris mamarum ac testiculorum tumores qui sunt naturales, Deinde naturalem statum excedens, adiunctum est, ob alicuius partis uel totius symetriã, quæ naturæ limites non excedit. Subdidi, noxã actionibus inferẽs, ut excludãtur symptomata ipsa quæ morbũ sequuntur, ob aliqua materia, pp tumores in luxationibus quæ ex ossibus non ex alia materia humorali constituũtur. Demũ additũ est, replente ac extendẽte, ut ostendatur tria esse morborũ genera in tumore simul coeũtia, scilicet intẽperies, mala compositio & soluta continuitas.

De diuisione tumorum in genere.

Tumorum tres sunt principales differentiæ, quas Iuniores in sex postea partiti sunt, Nam tumorum aliqui sunt cum dolore, ut inflammationes, aliqui absque dolore, qui sint molles uocantur ædemata, si duri, hos Græci uocant scirrhos. Quod si inter inflammationes erysipelas,

inter ædemata flatuosæ inflationes, & demum ἀποστήματα connumerentur erunt sex scilicet inflammatio Erysipelas ædema scirrhus inflatio & ἀπόστημα quod latine abscessus & barbare exitura nominatur.

Loci consentientes de tumorum diuisione.

Gal. aph. 4. com. 34. Neq; nos latet triplicem esse tumorū differentiam, uel enim sunt cum dolore, quos iuniores inflammationes nominant, uel absq; dolore duri, quos græci scirrhos, uel sine dolore molles quos ædemata idest inflationes &c. Quod uero Erysipelas inter inflammationes enumeretur, lege Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. ubi Herpetes Erysipelata inter inflammationis speties connumerat, de quibus cum fecisset mentionem, postea hæc uerba subdit, Inflammatio quidem in tot speties secundum ipsam paßionis naturam diuiditur, Multas uero quispiā prætermissas putaret deceptus multitudine nominum, sed hæc omnia inflāmationes quædā sunt in prioribus comprehensæ spetiebus &c. Et sic Erysipelas est inflāmationis speties.

Obiectio.

Si Erysipelas inter inflammationes reponitur, non erunt igitur sex tumorum genera distincta ut Iuniores adserunt.

Responsio. Satis tuæ obiectioni facit Galen. in primo ad Glauc. cap. ult. ubi inquit, quod inflammationes dicebantur a ueteribus, quædam ueluti excandescentiæ, sed a Iunioribus non æque. Neq; enim Herpetas neq; erysipelata nec tale aliquid quicquam inflammationibus annumerant. sed uni tantum affectui ex calidis, qui fit cum tumore duro atq; dolore phlegmonoso, &c. quibus uerbis plane significatur quod Iuniores aliter ac ipsi ueteres de tumorum generibus loquuntur, idcirco Iuniores plura, ueteres uero pauciora esse faciunt, uel dicimus quod si erysipelas fiat a sanguiue tenui inter inflammationes connumeratur, sed si a flaua bile pro-

ueniat erit distinctum aliud ab inflammatione genus, & sic sex erunt.

De causis tumorum præter naturalium in genere.

Omnis tumor fit uel per fluxionem uel per congestionē Fluxionis causæ sunt quinq; pars expellens, membrum suscipiens, multitudo uel mala qualitas humoris meatuum laxitas & amplitudo, & membri caliditas seu dolor attrahens, Cōgestionis causæ sunt error facultatis alteratoriæ & altricis, & imbecillitas expulsoriæ. Rursus tumorum causæ primitiuæ sunt casus, percußio, fractura, distensio luxatio & inordinata uictus ratio. Antecedentes causæ sunt quattuor humores tam naturales quàm non naturales, ex naturalibus primū ex sanguine oritur phlegmone ex flaua bile erysipelas, ex pituita ædema, ex melancholia scirrhus, ex non naturalibus, ex ijs scilicet qui a massa sanguinis segregati sunt abscessus, & pustulæ proueniunt, Causæ coniunctæ sunt materiæ siue humores in ipsa laborante particula contentæ, Tumorem actu producentes &c.

Loci consentientes de causis tumorum præter naturalium.

Conciliator diff. 96. Apostema dupliciter generatur, aut per fluxionem quando materia ex uenis & arterijs ad membra glandulosa defluit, aut per congestionem, quæ fit a superfluitate nutrimenti. De his similiter loquitur etiam Gale. 2. de diff feb. cap. 11. & 13. meth. cap. 5. & 6. de sympt. cau. cap. 2. ibi tumorum causa est humorum fluxio &c. Quod autem causæ fluxionis sine quinq; lege Auic. 2. 1. cap. 18. ubi ex parte membrorum enumerat membrum expellens & debilitatem membri recipientis &c. Quod calor membri & dolor sine causa fluxionis lege Gal. 13. meth. cap. 5. & 6. ibi sane fluxio=

nis causa duplex est &c. De causis congestionis loquitur Gal. etiam.13.meth.cap.5.&.2. de diff.feb.ca.2. ibi at cum plus assumptum fuerit quàm poßit alterari, de quod superfluum est a uirtute expulsoria detruditur, quæ si imbecilla fuerit, grauat & extẽdit & in eodẽ loco residet &c. De causis primitiuis loquitur Aui.3.4.ca.1.ibi et de eis primitiuæ sunt cõtusio aut incisio aut fractura aut diffocatio &c. At de antecedẽtibus facit mẽtionẽ Gal.1.de dif.mor.ca.12.ibi. Principio q̃d oẽs nascãtur ex abũdãti humore, Erysipelas à flaua bile, cãcer ab atra Phlegmone à sanguine, ædẽ a pituita &c. Itidẽ ait.13. meth.c. 4.& Pau.li.4.ca.17.sub diuersis uerbis hæc met recitat, & Aui. 2.1.ca.5.ibi. Materiæ uero unde fiãt apostemata sunt sex, quatuor.s.humores, aquositas & uẽtus &c. Cæterũ de humoribus naturalibus et nõ naturalibus satis lucide, ubi de humoribus scripturus loca citauimus, Quod aũt abscessus & pustulæ fiat a nõ naturalibus non solũ habes Gal.2.ad Glauc. Sed ẽt Aui.ubi de exituris uerba facit, In reliqs cõsule neotericos et præsertim Guidonẽ Cualiacũ, Ioã. di uige, Guliel. Placentinũ Argilatã, & cæteros qui de manuali operatione scripserunt.

De signis tumorum præter naturalium in genere.

Signa communia quibus tumores cognoscuntur, ex eo nota sunt, q̃ pars cui accidunt magis remittitur, quam cum naturaliter se haberet, & in tumorẽ extensa cute attollitur. Cognoscuntur etiam tumores per calorem tumitionem & dolorem, uel per has differẽtias, quæ ex calore frigore mollitie ac duritie spectantur, Nã color ruber sanguinem subesse significat, flauus & pallidus bilem, subalbidus & laxus pituitam, liuidus & fuscus melancholiã, Principij tumoris signa sunt fluxus ac distensio particulæ incipiens cum modico dolore, Cognoscitur augmentum, quum tumor ad molẽ paulatim attollitur, et eius symptomata augẽtur, status quũ tumor una cum

ſymptomatis in ſuo uigore perſeuerãt, Declinatio, ubi non ſolum tumor deprimitur, ſed etiã eius ſymptomata minuũtur. Signa ſuppurationis ſunt dolor intrinſecus pulſatio & caloris augmentũ, Signa reſolutionis tumorũ ſunt leuitas mẽbri et deficiẽs pulſatio, Signa corruptionis particulæ ſumuntur a nigredini loci liuiditate et graueolẽtia, ſed d̃ his et alijs ſignis dicemus, ubi d̃ ſingulis tumorũ differẽtijs ſeorsũ tractabitur.

Loci conſentientes de ſignis tumorum in genere.

De ſignis cõmunibus plane uerba fecit Gal. 14. meth. cap. 9. cum dicat commune tumoris ſignũ eſſe, quũ pars magis renititur q̃ ante quũ naturaliter ſe haberet, lege locũ fuſius, nam habet omnia ferè ſigna quæ pridẽ à me recitata ſunt. De temporibus tumorũ lege Auic. 3 4. c. 2. ibi ſit adhuc principium quũ materiæ defluũt &c. et. 2. 1. c. 5. Principium apoſtematis ſit, quũ humor ad exteriora egreditur, Status, quũ ægritudo ad maiorẽ ſtatũ puenit in quo eſſe debet. poſt incipit minui et declinat eius eſſe ad reſolutionẽ, aut ad puris collectionẽ &c. De ſignis ſupurationis loq̃tur Hip. aph. 2. aph. 47. ibi. Dũ pus cõficitur dolores ac febres accidũt magis, quàm iam cõfecto.

Obiectio. *Quod dolores accidant, tum pp extenſionẽ membri, tum pp tumoris calorẽ, nõ mirũ eſt. ſed quo pacto febres accidãt cũ fieri nõ poßit q̃d illa ſanies ſit materia febris, ad huc capere nõ poſsũ?* Reſpõſio. *Intellige hos febres fieri nõ per ſe. ſed potius p accidẽs, ex trãſpiratione ſ. uaporis putridi ad cor, & nõ ex ſanie tanquã febris materia, aut quia ex calore mẽbri in quo pus cõficitur, dũ ſanguis ferueſcẽs mutatur ad ſaniẽ, corpus totum calefit, et ſic fiunt febres, nouiſti. n. ex Gal. qũo pus originẽ trahat a ſanguine q ſemimalã trãſmutationẽ hẽt.* Obie. *Dolores et febres accidũt ne ĩ declinatiõe timorũ, an in augmẽto, ſiqdẽ dictũ eſt p Aui. q̃d poſt ſtatũ incipit minui tumor et declinat eius eẽ ad puris colectionẽ, febres*

igitur in declinatione contingent, & non in augmento?

Responsio. Tempora tumorum sunt in triplici consideratione apud medicos. Nam interdum consideratur ipsorum quantitas, interdum accidentia, & interdum materiæ concoctio. Hic igitur Auicennas considerat quantitatem ipsius apostematis, quia tunc uidetur quasi detumescere, & in quantitate minui cum pus in ipsum conuertitur, idcirco quo ad eius quantitatem, declinationem nominauit, non quo ad eius materiæ concoctionem, & accidentia, quia reuera hæc potius in augmento contingũt quàm in declinatione. De alijs signis lege fusius Auic. 2. 4. cap. 2. & multa colliges circa hanc rem idonea, uide etiam Aet. ser. 14. cap. 31. ibi. Resolutionem dicirus, quum humor allapsus discutitur &c. De signis quæ corruptionem particularum ostendunt, ubi de gangrena loquemur satis fuse tractabimus si Deus uoluerit.

De cura tumorum præter naturam in genere.

In primis considerandum est, num tumor factus sit, an adhuc fiat, Si factus sit, tunc cura est, ut quod præter naturã in particula continetur per euacuationem quamprimum remoueatur, Si uero adhuc in generatione fuerit, prohibendũ per euacuationem ne fiat, uerum antequam curationem horum aggrediaris duo potissimum scopi, quibus cura uariatur, respiciendi sunt, Quorum alter a tumorum differentia sumitur, Alter a læsæ partis natura. Tumorum igitur differentia habetur ab ipsorum quantitate qualitate & materia efficiente. Considerabis itaq; quantitatem, quum scieueris, aliter magnum tumorem esse curandum aliter paruum. Qualitatem, si cognoueris hunc esse calidum illum frigidum, hunc ab influxu fieri, illum a congestione, hunc factum, illum adhuc in generatione esse materiam, si phlegmonem a sanguine, erysipelata a flaua bile &c. Secundus scopus qui a læsæ

partis

partis natura sumitur, erit tibi notißimus, si partis tempe-riem formationem situm ac potentiam contemplatus fueris, nam aliter tumor in carnosis partibus quàm in neruosis, aliter in glandulosa parte quàm in alijs non glandulosis curabitur, His igitur sic se habentibus. Primo, si tibi occurrerit tumor ex influxu humorum generatus, excogita primum causas, quæ tunc eum excitant ut abscindantur, & si quid in eo collectum est, remoueatur, quod ut magis aperte loquar, ad particularem curationem descendam, Scito igitur id primũ quod si tumor fiat ex influxu, tribus scopis curabitur, fluxionis scilicet diuersione, doloris mitigatione, ubi tumor de genere præsertim inflammationem fuerit, Tertio eius quod collectum est, euacuatione, Diuersio fiet in corpore plethorio per sectionem uenæ, In cacochymo per purgationẽ, quæ cuiq; humori redundanti sit accommodata, Doloris mitigatio perficietur anodinis ac dolorem demulcentibus, aut malã qualitatem retificantibus, aut uias eiusdem partis naturales aperientibus, ut facilius affecta pars repurgari poßit euacuatio eius quod collectum est, fieri solet, uel in principio tumoris per repellentia, aut in fine per discutiẽtia, de quibus posthac suo loco dicemus, uerum interim memorare quod sæpius à me dictum est, in principio alicuius, qui ab influxu generatur, tumoris, esse puris repellentibus utendum, in augmẽto repellẽtibus cũ discussorijs, ita tamẽ qđ discutiẽtia à reprimẽtibus ualde uincãtur, in statu utraq; æqualiter esse admiscẽda, in dẽione solũ resoluẽtia ac relaxãtia esse adhibẽda, Qđ si tumor in absceßũ puenerit, tũc primũ mitigatorijs mox supurãtibus ac cõcoquẽtibus demũ ipsis discutiẽtibus remedijs utere. Quod si nec habilis sit materia ad discutiẽdũ, nec spõte locus apiatur, tũc manu opatrice indiget, ut scalpello incidatur ac pus ipsũ amoueatur ne aliqua erosio intrinsecus supueniat Apto igr̃ tumore, tũ detergẽtibus opus est et carnẽ implẽtibus

demum more aliorum ulcerum ad cicatricē inducētibus, etc.

Loci consentientes de cura tumorum in genere.

Gal.13. meth. cap 6. dicamus communem omnium tumorum curationis indicationem esse euacuationem, qui uero adhuc in generatione sunt, in ijs prior euacuatione est confluentis ad affectum locum humoris inhibitio &c. lege locū hunc fusius, & inuenies quod duo scopi sint, qui de tumorum curatione indicent, ibi uariatur cura non tantum pro tumorum differentijs, sed etiam pro laborantiū particularum ratione, &c. De differentia tumorum in quantitate, qualitate materia loquitur Auic 2.1.cap.5. ibi Apostemata diuersis differunt differentijs in materia ut nosti, in qualitate, quia aliud calidū aliud non &c. Quod uero situs formatio temperies & potentia membri consideranda sint, lege Gal.2. ad Glauc. cap.2. ibi. Quattuor uero sunt ab his indicationes, ab eorum temperatura à formatione à siti à potentia &c. De abscißione causarum tumores efficientium loquitur Gal 13. meth. cap. 2. ibi quæ causæ tumores accersere uidētur has cum in corpore iam conceptæ sunt, sed adhuc incipientes et exiguæ sunt, utiq; ne maiores fiant prohibendum &c. De tribus particularibus intentionibus scilicet de fluxionis diuersione, de doloris mitigatione, ac euacuatione loquutus est Gal. de.i. 2. ad glauc.c. 2. ibi semper fluxionis motum ad contrarium trahere expedit &c. ibiq; etiam de mitigando dolore loquitur, quum dicat si magnus dolor cum fluxu inciderit, tunc in huiuscemodi affectibus sufficit uehementiam doloris mitigare etc. quomodo fiat dolor postea docuit Gal.13.meth.cap.6 ibi fit dolor propter intemperiem, uulnus, contusionem, distorsionem, obstructionem, & spirituum flatuosum &c. & in hoc capite etiam uerba facit de uacuatione tumoris dicens uacuatur quod impletum est, non modo medicamentis ijs quæ digerunt, sed e-

tiam quæ adstringunt & refrigerant.i.repellentibus & digerentibus,ubi præcipue tumor ad suppurationem nō uertitur, unde Gal. 2.ad Glauc. emplastrum habet, quod non solum id repellit quod influit,sed & quod continetur, exiccat & circumiacentia membra corroborat,quod ex semper uino,corticibus malorum punicorum in uino decoctis rhu & farina hordei componitur,quo utendum est ubi nullus dolor adfuerit. Aet.ser.14.cap.31. In principio repellentia, In augmento ex discussorijs aliqua ad repellentia admiscebimus. In uigore mitigatorijs dum uehementißimi fiūt dolores,utemur in declinatione solis discutientibus &c. De tumoris in abscessum peruenientis cura loquitur Gal 2.ad Glauc.cap.6. ibi curatio eorum qui abscedunt tumorum fit incipiente abscessu per ea quæ dolorem sedant atq; elaxant,procedente autem tempore ad ea quæ concoquendi ac suppurandi uim habent trasferri oportet &c.Et.13.meth.cap.5.Si aliquando puris copia medicamenta superet,nec ea uideātur tibi, totum digerere posse,secare,exitum ei, quod digestioni non ceßit, eo potißimū oportet,quo est editißimum &c. hoc idem adserit Auic.3. 4. cap.29.ibi cum inueneris exituram, (sic ipse abscessum nominat) cum maturatione,cuius non speratur eruptio,tūc oportet ut perfores,quoniam si demiseris saniem, corrūpitur & corrodet uenas &c.Bac.Intellige si abscessus fuerit in membro nobili,uel in loco quem uenæ tendones Nerui carthilagines occupent, Nam tunc.i.remouendum est pus, ne ex hoc mali aliquid subiectis partibus contingat, Quomodo autē diuersæ fiant sectiones,prout diuersæ sunt partes corporis affectæ docet Auicenna ex opinione Amyli,ibi,Si exitura fuerit in capite,tunc sectio fiat æqualis,ne cooperiant eam pilli, si in oculo fiat lata &c.lege eum fusius,nam ipse in his sectionibus uidetur quasi lineas naturales sequi, uide etiam de his

sectionibus Gal. 13. meth. c. 5. ubi in axillis & inguinibus ipse myrti folium in sectionis magnitudine imitari docet, quæ sectio non plane magna est, nec adeo turpem reddit cicatricē, nec particulā imbecillē ut in sectione magna fieri solet, Auic. loc. nuper cit. Et cum perforaueris eam antequā facias eam conglutinari, oportet ut mūdes eam &c. Bac. Plures satis intentiones in hac re mostrauit Gal. 13. meth. cap. cit ibi. Quin etiam mitigare prius incisam partem oportet fomētis uel cataplasmate, moxq; ea quæ pus citant, deinde ea quæ expurgant, Demum quæ cicatricem inducunt, nisi adfuerit concauitas quæ implenda esset, imponantur. Mouet pus ipsa manna, ut ipse testatur quæ nil aliud est q̃ thuris purgamētū &c.

Obseruationes in ualentibus medicamentis.

Gal. 13. meth cap 5. Quum fidenter iam ualentibus medicamentis utaris tunc obseruatio bis in die quem præstent effectum, primum mane. 2. uesperi Bac. Hinc forte orta est occasio quod medici bis in die ægros uisitant.

Obseruationes in repellentibus medicamentis.

Guido gu. lia. Repellentia in principio omnis tumoris ab influxu excitati conferunt, exceptis his casibus, si materia fuerit in emunctorio, si uenenosa si crassa & ad motum inepta, aut particulæ impacta, Si tumor critice fieret si talis tumor à causa duntaxat primitiua excitetur, si in principe aliqua parte oriatur, si in plethorico corpore, si in corpore cum imbecillis uiribus destituto sim cum dolore uehementi inciderit, quia tunc mitigare opus est, & non repellere.

Obseruationes in resoluentibus medicamentis.

Gal. 2. ad Glauc. cap. 6. Melius est fortiter resoluentibus medicamentis commiscere emollientia, ne humores in scirrhos conuertantur.

Obseruationes in sectione tumorum.

Auic.3.4.cap.29.& sis solicitus ut cadat porta perforationis inferius & quære locum saniei cum tua perforatione, & perfora in loco maturiori & magis carnoso, & sit illa pars longior à uenis arterijs & chordis &c. Bac. Neoterici ex hoc Auicennæ loco plura alia notãt, ut primũ fiat sectio in loco quo materia est collecta, locus sectionis sit inferior, fiat sectio secundũ longitudinẽ musculorum neruorum et uenarum, uitentur nerui arteriæ uenæ quoad fieri poterit, nec tota affatim euacuetur materia sed paulatine, ne resolutis spiritibus ex nimia euacuatione uirtus prosternatur, demũ blandius quam fieri potest, & sine dolore locus seccetur, &c.

Obseruationes post uacuationem puris.

Gal.2.ad Glauc.cap.2.postquam secueris & pus euacuaueris, cauendũ est deinceps, ne oleum, aut aquã imponas, aut si quando uulnus abluere oporteat, tunc melicrato, uel oxycrato uino & mulso utendum est, Itidem ait Auic.3.4 c. 27. ibi & non oportet ut approximet perforato uel secto aqua, neq; oleum, neq; aliquid quod sit pingue &c.

Prohibentia tumores & apostemata.

Prohibẽt ne tumores fiant acetũ, acetosa, althea, bolus armena, bleta, camaleonta, camphora, hepatica, uaporatio lapidis molaris cũ aceto, lutum samium, ouum, psylium, rubus caninus, sanguis draconis, solatrũ sumach stercus, terra sigillata, talch tribuli, acatia, chymolea creta, poma põtica acetosa styptica plumbum sandali plantago, & quæcunq; frigida & styptica sunt.

Sedantia dolores apostematum.

Dolores sedant althea, radix canabis syluestris caßia fistula, cucurbita, folia ebuli fermentum, hiosciamus, malua, farina hordeacea, orchis, panis frumenti cum mellicrato, parietaria, folia pini, polenta, pulegium, sarcacolla stercus uaccæ, uiola cum farina hordei usnea &c.

Maturantia tumores & apostemata.

Althea, amomum, anethum, butyrum, caulis, folia colocyntidis frumentum ficus galbanum lapatium rotundum, lilium, semina lini malua, mellilotum, cæpæ narcisi, panis cum aqua & oleo, pix, sanguis hirci uel ursi calidus sapo, uiscus cum resina & cera radix hircos, ceratum Andromachi mes. diachylon, fœnugræcum cum uitello oui et terebenthina, cheiri idest uiolæ citrinæ.

De pronosticis tumorum.

Auic. 3. 4. cap. 1. *Quando multiplicatur materia apostematis calidi & magnificatur apostema, tunc est de summa apostematum althoin mortificantium & de summa prædictorum est, quæ dicitur* Barachien, *& istæ speties malæ, & quæ eis similantur multiplicantur in anno pestilentiæ, & de apostematibus calidis illa sunt mala quæ non excitantur ad declinationem, quam sequitur leuitas & detumitio, neq; ad aggregationem materiam, imo ad corruptionem mēbri &c.* B. Altoin *&* Barachiē, *sunt nomina apostematum quæ in tēpore pestilenti solent accidere,* Interpretantur enim *apostemata uenenosa, ut ipsæ refert* Auic. loc. cit. cap. de Althoin.

Hip. pronost. 1. tex. 40. *Quicunq; tumor dolens durus & magnus est, periculum mortis breui fore significat, Quicunque uero mollis non dolens digitis cedit prementibus diutius immoratur, &c.*

Authores dissentientes circa tumores.

1 *Adserere, tumorem & apostema idem esse cum* Auicinnianis.

2 *Adserere, tumorem non esse morbum quum in genere quantitatis sit, & non qualitatis.*

3 *Adserere, omnem præter naturam tumorem esse tantum morbum, & non symptomæ.*

4 Adſerere, tumorem eſſe morbum ſimplicem, & non compoſitum.

5 Adſerere, apoſtemata eſſe duntaxat calida quæ a ſanguine & bile oriuntur.

6 Adſerere, non dari cauſam coniunctam apud Gale. quum ipſa ſit morbus.

7 Adſerere non eſſe diuerſa tempora, quo ad concoctionem & ſymptomata.

Confutatio diſſentientium circa tumores.

Ad primum. Idem nõ poteſt definiri per idem, niſi utrunque uim relationis obtineat, neq; idem poteſt eſſe genus & ſpeties reſpectu eiuſdẽ, ſed apoſtema eſt tumoris ſpeties prout notat Gal 3. ad Glauc. & definitur per tumorem, ut apparet ex Conciliatore diff. 95. ibi. Apoſtema eſt tumor præter naturam mutans membrum a ſua naturali diſpoſitione &c. Igitur idem tumor & apoſtema non erit, non enim tumor apoſtematis ſemper tumor eſt ut apparet, Verum de his nominibus eſſe illos parum ſolicitos, quibus rerum ſcientiam inuenire propoſitum eſt, monet Gal. 6. meth cap. 1. idcirco nõ adhibendo nos fidem nominibus interdum pro tumore, etiã nomine apoſtematis more arabum ſæpe utimur.

Ad. 2. habes exemplum de magnitudine uitiata a Gal. 1. de morb. diff. cap. 9. ubi de corpore Nicomachi immodice aucto quod ſanitati reſtituit Aſclepiades, recitat, & ſic morbus dicitur etiam in quantitate. Obiectio.

Si apoſtema non eſt in genere qualitatis, quomodo erit morbus? Nam omnis morbus in affectu, a naturali habitu permutato & actiones lædente conſiſtit, ut Gal. 3. de ſympt. diff. cap. 1. & ſic in qualitate reponitur, & nõ in quantitate.

Reſponſio. Duo in tumore conſiderantur, incrementum ſcilicet illud quo corpus tumeſcit, et mala eius diſpoſitio qua

membrum afficitur, erit igitur ratione incremẽti in genere quantitatis, sed ratione malæ dispositionis erit in qualitate, & sic erit morbus actiones lædens &c. Ad.3. respõdet Gal. I. de mor. diff. c.12. *Quod si tumor non eousq; tumeat, quo functio impediatur, symptoma potius uel pathema dicitur, q̃ morbus, Præterea id quod ad inflammationem sequitur erit symptoma, sed tumor teste Conciliator diff.95. ad inflammationẽ sequitur, erit igitur quãdoq; symptoma & nõ morbus.*

Ad.4. *Auic. cap. de comp. ægritud. inquit quod apostema est ægritudo composita ex omni genere ægritudinum, & sic non erit morbus simplex, Nam ipse pro apostematis nomine tumorem præter naturam intelligit.* Obiectio.

Morbus compositus ad membra tantum cõposita attinet sed apostema fit etiam in membris simplicibus, igitur non erit compositus, nam mutat membrum à naturali qualitate, ad eam quæ est extra naturam. Respon.

In apostemate iuxta Auicennæ placitum, Cõsideratur mala temperies, mala compositio et soluta continuitas, Erit igitur ratione malæ complexionis morbus consimilis in simplicibus membris, & ratione malæ compositionis morbus compositus, & ratione solutæ continuitatis erit ad utrunq; indifferens. Ad confirmationem argumenti dicimus qualitatẽ *ibi posse accipi pro communi quadam dispositione ad temperiem compositionem & solutã continuitatẽ, & sic nulla erit tua obiectio, quam nuper attulisti.* Ad.5. Respondet Auic.2. 1. cap.15. *dicens non esse existimandum quod apostema calidum sit illud, quod ex sanguine & cholera tantũ generatur, sed illud etiam quod ex quacunq; materia siue illa sit calida p essentiam, siue accidat caliditas ei propter putrefactionem,* Bac. *non minus ac si diceret, Apostema dici potest calidũ per se, cum ab humoribus calidis gignitur, aut per accidens pro-*

pter putrefactionem ei contingentem. Ad. 6. Gale.1. de diff. mor.c.7. Quum affectus ipse functioni primo incommodat, eius uero causa, ipsam non lædit, affectum quidē morbum, id quod efficit, causam morbi nominamus, id quod in succis craßis uiscidisq; atq; in obstructione facile deprehenditur, quippe obstructio ipsa morbus est. succi autē obstructionē facientes sunt caussæ morbi &c. ex quibus plane uerbis pate causam coniunctā dari posse apud Gal. nō enim de antecedentibus causis loquitur Gal. Sed de his præcipuæ quæ obstructiones actu efficiūt, Quod autem causa coniuncta distinguatur a morbo, hoc probat Gal.1. meth. cap.8. dicens, eius affectus qui actionem impedit, causæ possunt quidem nō esse, possunt & adhuc remanere, ergo diuersæ inquit omnino ab affectibus sunt causæ, Quod Galeni argumentum si concesseris, hoc etiam concedas licet, causæ cōiunctæ sunt causæ, igitur ab affectibus diuersæ, & sic distinguuntur. Ad 7 Galen.3. de uict. rat. in morb. ac. c. 62. Coctis siquidem qui affectum progignūt humoribus, cōfestim excreabunt, Quod si qualia oportet solum expuere cœperint, in neutro adhuc modorū neq; in affectu, neq; in symptomatis morbus augebitur, Nam sæpius affectio ipsa, qua laborāt, mitior quidem existit, sed symptomata augentur, ut in phlegmone obseßis particulis &c. et sic fieri potest, quod morbus nō crescat crescētibus symptomatis quū eorū diuersa sint tēpora, et hæc dicta sint ad eorū confusionē qui crescentibus symptomatis, semper credunt morbum augeri, &c.

De inflammationis definitione.

Commune quoddam nomen erat apud Hip. & alios ueteres, ut quicquid efferuescētia ac ignea quadā dispositione corpus afficeret φλογωσις diceretur sub quo nomine non solū erysipelata herpetes bubo dothienes phigethla et carbūculi cō tinebātur, sed quicquid ab optimo & cōmisto sanguine ortū

trahebat, At Iuniores magis proprie loquentes: id tamen φλεγμονιν esse dixerunt, quæ ab optimo ac syncero sanguine, mediocriter tamen crasso & superfluenti prouenit, appellantes inde φλογωσιν non ueram inflammationem, sed eam duntaxat, quæ à uitiato & non naturali sanguine, alijs humoribus admixto generatur, Definiunt autem uerã φλεγμονιν esse tumorem cum rubore ac duritia tactui renitentem & pulsatiles dolores afferentem absq; febre, quæ cum adhuc corpori intrinsecus ac extrinsecus accidat, de ea quæ extrinsecus nobis occurrit, uerba faciemus.

Loci consentientes de inflammationis definitione.

Gal. 2. de Art. cur. ad Glauc. cap. I. Cõmunis igitur in omnibus immoderata caliditas, & ueluti quædam φλογωσις, unde & φλεγμονης nomen, de ipsis efferre antiqui consueuerunt &c. Auic. 3.4. cap. 20. Et scias quod nomen phlegmones in lingua Græca est absolutum super omne quod inflammatum est, deinde dicitur de omni apostemate calido, postea dicitur de eo quod est ex apostemate calido cũ proprietate prædicta, & non caret inflammatione &c. Gal. 13. meth. cap. 1. Quum autem ueteres phlogosin subinde phlegmonem appellent, sciri uolumus nos nõ hoc loco de hac phlegmone disserere, sed de ea quæ supra inflammationem tensionem quoque in particula facit &c. Quid uero sit inflammatio habetur ex Gal. in lib. de sectis ad eos qui introducuntur cap. 19. et 20. ibi. Inflammatio est tumor præter naturam calidus durus & tactui renitens atq; dolorem afferens, partem ipsam, non magis quàm antea fuit, rariorem uel duriorem uel densiorẽ efficiens sed effluxu humoris superuacui repletam, atque ea causa distentam &c. Itidem ait in lib. de tumo. cap. 2. & 2. de loc. aff. cap. 7. & 1. de diff. morb. cap. 12. ibi porro phlegmonẽ in præsentia non nominamus &c. Quod inflammatio sit si-

ne febre, lege Gal. in lib. deffinit med. Quod *atque adeo non uera phlegmone detur habes ex Auic. loc. cit. quum dicat, & parum contingit ut phlegmon sit simplex, sed secundum plurimum associatur ei erysipelas &c.*

De causis phlegmones.

Causæ phlegmones, etsi plures esse uideantur, hæ tamẽ ad numerum duntaxat ternarium redactæ sunt, ut earum quædam sint prægressæ, quædam antecedentes & quædam coniunctæ. Causæ prægressæ siue externæ sunt contusio fractura luxatio &c quæ dum dolorem parti inferunt humorũ etiam fluxionem concitant, Antecedentes sunt, calidioris quàm par sit copia sanguinis, qui ad imbecillam partem aliquã ipsum recipientem, uel ad se trahentem detruditur ac relegatur, Mittitur autem sanguis ab una uel pluribus particulis, aut quia nimis superuacuus, aut qualitate sua molestus aut utroque modo est noxius, Pars uero læsa ipsum attrahit, uel ob calorem morbosum, uel ob dolorem in ipsa parte cõsistentem. Hinc est quod excretoria facultas, tum à dolore, tum à mala sanguinis qualitate, excitata totis uiribus quod ei infestat, expellere conatur, quo fit ut sanguinis aliquid & spiritus in affectam partem exprimat unde pars pro influentis ratione humoris in tumorem attollitur. Causa autem coniuncta est ipse sanguis in laborante particula iam impactus &c.

Loci consentientes de causis phlegmones.

Quod phlegmones causæ sint tres duntaxat, præter cæteros omnes notarunt neoterici. De causis præincipientibus et antecedentibus loquitur Auicennas. 3.4. cap. 2. ibi. Et de eis sunt primitiuæ sicut contusio aut incisio aut fractura &c. Et antecedentes sunt corporeæ ex repletione, aut malitia humorum aut debilitas membri recipientis &c. Gal. 13. meth. cap. 3. At communis omnium phlegmonarum generatio ex sangui-

nis influxu est copiosioris scilicet, q̃ pars postuletur, sane copiosior sanguis influit, alia quapiam, alijsúe particulis aliquãdo eam mittentibus, & ea quæ phlegmone laborare incipit, recipiente, aliquando particula quæ affligitur hunc ad se trahente &c. lege locum hunc fusius, et omne id intelliges quod à me nuper relatum est, Aet. ser. 14. cap. 31. Omnis inflãmatio ob sanguinis affluxũ, uel à manifesta causa uel ab occulta generatur, à manifesta quando offenso pede glandulæ inflammantur, ab occulta quando aliqua parte delegãte aut toto corpore transmittente, & affecta parte ob debilitate recipiente, humorum copia affluxerit &c. Paul lib 4. cap. 17 itidem habet sed breuiori satis sermone, Vide tamen de his uberius Gal. 2. ad Glauc. ca. 1. ibi fitq; semper ex omni ferè occasione, etc. quẽ locũ si diligẽter examinaueris rei totius scopum attinges &c.

De signis phlegmones.

Phlegmones signa sunt tumor præter naturalis in parte læsa, uehemens dolor nisi pars inflammata hebetis sensus fuerit, pulsatio molesta, tensio ita etiam magna ut pars illa propemodum frãgi sentiatur, calor maximus inest, qui adeo partem interdum lædit ut comburi quasi se sentiat. Rubor etiam per summa uiget, non minus ac si ab igne comitaretur, Demũ renixus ipsius partis in ipso tactu apparet, Signa autẽ quibus phlegmones status principium, augmentum & declinatio cognoscuntur, in sermone uniuersali satis copiose ostendimus, Verum aduerte q̃ phlegmone postquam hæc tempora percurrerit, quattuor modis terminari solet, in resolutionem scilicet suppurationem corruptionem & indurationem, quorũ etiam signa in capite uniuersali supra satis exarauimus &c.

Loci consentientes de signis phlegmones.

Gal. de his signis loquitur. 2. ad Glau. cap. 1. ibi sanguine optimo & mediocriter crasso ad particulam effluente, & ob

multitudinem conculcato, uehemẽs dolor hominem arripit, nisi membrum, sensum omnino hebetem habuerit pulsusq; in profundo molestus accidit, tendiq; omnino ac frangi membrum apparet &c. lege fusius hunc Gale. locum & rẽ magis notam percipies, Auic 3.4.c.2. & signa eius sumuntur ex caliditate & inflammatione, & additione quantitatis & tensione & impulsione & pulsatione, si est sumersus, & sit propinquus arterijs etc. locũ ultra legito, nã omnes illas de quibus nup loquebamur causas ad unguẽ recitat, imo quod plus est si sensum Auicennæ Gal. conferas præter id, quod una cõsentiunt etiam locum Gal. magis dilucidatum inuenies ut nõ immerito Galeni interpres appellari debeat, Nam ubi dixit Gal pulsus in profundo molestus accidit, maxime hoc intelligi debet, si arterijs, ut exponit Auic. propinquus fuerit &c. De hisdemmet signis loquitur etiam Gale. 13. meth. cap. 1. ibi. Vltra inflammationẽ etiam tẽsio partis uisitur &c. ibidẽ habet. 14. meth. c. 2. De signis quæ phlegmones tẽpora indicant, plura habes ex Aet. ser. 14. c. 31. ibi. Erit inflãmationis principiũ etc. De signis permutationis ipsius inflammationis nõ solum apud neotericos habetur sermo, sed iuxta Auic. & Gal. 2. ad Glau. c. 2.

De cura ipsius phlegmones.

Omnis inflãmatio, quæ ex influxu partim fiat, partim facta sit, duplici scopo indiget, Quorũ alter est, ut quod influit, prohibeat, Alter, ut quod iã influxit euacuet, Prohibetur quidẽ influxus auersione, repulsione, ac causas ipsius fluxionis remotione, Euacuatur qđ influxũ est p medicamẽta digerẽtia ac discutiẽtia, aut p ea q̃ primũ reprimere sũt idonea, ac parti affertæ robur inducẽtia, erit igitur in cura primus inflãmationis scopus fluxionis inhibitio. 2. materiæ parti inhærẽtis remotio. 3. erit sympt. una cũ uictus ratione correctio, Fluxionis itaq; inhibitio p sectionẽ uenæ perficietur, si modo ætas uires

Regio tempus ad hanc perpetrandam conspirauerint, quæ e directo materiam fluentem auertat, sicuti à dextris in dextra parte uel a sinistris in sinistra facta &c. Verum si corpus qđ inflãmatione laborat cacochimũ fuerit, per ea primũ euacuandum est, quæ humorem noxium extirpare possunt antequam ad Auersionem, (quæ græce antispasis dicitur) accesseris. Sic enim fluxionis motus ad contrarium trahitur, Secundus in curatione scopus erit prout tempora inflammationis expostulant, siquidem in primis ut dictum est (seruatis iam regulis in capite uniuersali traditis) repellenda est materia cum oleo.rosaceo oui candido succo plantaginis etc. aut more Galeni cum oxycrato aqua frigida cui paululum aceti admixtum sit, aut cataplasmate, ubi dolor nõ adsit quod ex semperuiuo malicorio et rhu in uino decoctis cum polenta componitur in augmento non solum reprimẽdum sed etiã digerendum est, sicuti cum folijs maluæ absinthij rosarum farina hordei una cum oleo chamomillino admistis ac cataplasmatis modo impositis. At in morbi uigore uaria sunt, quæ ad discutiendum ac dolorem demulcendum præparantur, sicuti emplastrum Gal. ex medulla panis in feruenti aqua macerati, cum melle, aut unguentum basilicon althea chamomilla &c ceratum diachylon &c. In declinatione solis discutientibus utendum erit, Quod si tumor digerẽtibus medicamentis nõ resoluatur, sed potius ad suppurationem se uertat, statim ad maturantia ac pus ipsum mouentia recurrendum est, qualia sunt, quæ temperatum habent calorem, sicuti cataplasma quod ex farina triticea, in aqua &c oleo uulgari mediocriter decocta componitur, aut hoc quod ex radicum altheæ maluæ caricarum decocto ac farina triticea componitur, suppuratione facta, quæ ex doloris febris &c caloris remißione deprehenditur, nisi locus sponte aperiatur tũc incisione uel

aliquo erodente medicamento sanies euacuanda est, eaq; uacuata ulcus detergendum, moxq; sarcoticis ac glutinantibus siue adcicatricem inducentibus utendum, Neoterici facta incisione protinus ad tollendum dolorem, lychnum in candido ac luteo oui cum oleo rosaceo intinctum ulceri imponunt, moxq; digerentibus cum oleo rosaceo terebinthina & luteo oui cōpositis utuntur, indeq; ad detergentia quæ ab ipsis mundificatiua uocantur se conferunt, Detergunt syr. rosaceus rodomel oxycraton, ac mellicraton &c. Tertius scopus symptomata ab inflammatione remouet, ac uictus rationem instituit, symptomata sunt dolor, durities relicta, ac partis læsæ corruptella, Dolor statim si adfuerit, demulcendus est, ne sui causa maior fluxus uel uirium imbecillitas contingat, fiet hoc mirifice cum oleo rosaceo ouorum luteis admisto, aut cum pasto cui oleum rosaceum cum paucula cera adiunctum sit, His omnibus admisceri potest crocus cum in sedandis doloribus sit maxime efficax, Quod si nec anodinis dolor sedaretur ad narcotica præsertim familiaria erit recurrendū, sicuti ad folia hiosciami oleum de papauere, & huiuscemodi alia, At si inflammatio in scirrhosam duritiem peruenerit, tunc mollientibus primum utere, sicut cucumeris agrestis radice cum caricis pinguibus in aqua decoctis, adiecta farinæ portione cum suillo adipe, uerum hæc durities tanti facienda non est, quantum si corruptella partis uitiatæ appareat, Nam ubi hæc contigerit, protinus, ne pars cui adiuncta est, corrumpatur, eam excides, aut scarificationibus quàm plurimis (si corruptio in superficie duntaxat fuerit) partem excitabis, atq; aqua salsa scarificatam partem ablues, moxq; cataplasma ex fabarum & orobi farina in oxymellite cocta admouebis, De his plura intelliges ubi de Gangrænæ cura loquemur, Interim uictus ratio tenuis frigida et humida insti-

tuatur, ac omnes animi perturbationes longe absint.

Loci consentientes de cura phlegmonis.

Gal. 13. meth. cap. 2. Ergo quae causae phlegmonem accere- scere uidentur has adhuc incipientes, ne maiores fiant inhibe re conuenit, Quum autem eo peruenerint, quo phlegmonem creent has summouere oportet, & quantum iam phlegmo- nes genitum est sanare &c. Quod autem fluxus prohibea- tur auersione docet etiam Gal. 4. meth. cap. 6. ibi. Hoc perpe- tuum est, quod ab Hip. didicimus incipientem fluxionem ad contraria trahendam esse, fixam uero in laborãte particula uacuandam esse, etc. Similiter habes ex Gal. 13. meth. c. 6. quod euacuanda sit materia in phlegmone contenta, per digeren- tia ac reprimentia, ibi uacuatur quod impletum est non mo do medicamentis ijs quae digerunt; sed etiam quae adstringũt & refrigerant &c. De. 1. curationis scopo loquitur Auic. 3. 4. cap. 3. ibi. Cum causa est antecedens, tũc oportet ut incipias cum euacuatione, et comple ei quod meretur ex phlebotomia & solutione uentris &c. Vide Gal. 2. ad Glauc. cap. 2. ubi in- quit quod semper fluxionis motum ad contrariũ trahere ex- pedit, atq; emplastrum apponere ex semperuiuo malicorio, &c. ut supra dictum est, uide etiam. 13. meth. cap. 6. quae phle- gmone adhuc in generatione sunt inquit earum causas prius abscindes, quae uero iam factae sunt, has utiq; curabis solas, ue- rum si totum corpus male sit affectum, idq; uel plethoricum, aut cacochymum tunc plethoricum sanguinis missione, ca- cochymum purgatione quae cuique superanti succo sit ac- commodata, corrigetur &c. De curatione etiam ipsius phle- gmones lege Gale. 3. de temper. cap. 5. ibi. Ergo quum duplex in ijs quae phlegmone laborant particulis affectus sit &c. De secundo scopo loquitur Auic. 3. 4. cap. 3. ibi. Et incipe cum re- percussiuis, deinde appone in augmento cum intromissione

mellifica-

mollificatiuorum & humectantium cum repercußiuis, & quantum procedit in augmento, tantum procedas in additione mollificatiuorum, paulatine & exiccantia sunt quæ sanãt in fine, nã prohibent remanere aliquid quod fiat sanies, etc.

Obiectio. *Cum omnes ferè Græci, ut Galenus, Aetius, & Paulus in augmento discussoria cum repellentibus admiscere iubeant, cur nunc Auicennas cum repercußiuis mollitiua adiungit? uidetur enim longe aliter ac sentiant Græci rem exponere.* Responsio. *Facile soluitur hæc tua obiectio, modo intelligas repellentia in principio applicita esse interdum adeo frigida, ut non solum materiam fluentem reprimant, sed in parte contentam ita impactam ac quandoque duram efficiunt, ut uix absq; mollientibus poßit discuti, unde dictum est ab Auic. mollitiua esse cum repercutientibus admiscenda. Verum si non ualde frigida fuerint reprimentia paulatim ut Græci ad discutientia perueniendum erit, & hæc ad obiectionem dicta sint, quãuis breuius respondere potuissem, si nihil referi dixisse, quæ mollitiua sunt etiam uim discutiendi habere &c. Lege hac de re Gal. 2. ad Glau. cap. 4. & nota quod reprimentia in principio morbi conueniunt duplici de causa. Primo quia affectis partibus robur inferunt, unde minus prompte affluxus excrementorum in se recipiunt. Secundo quia eorum, quæ in ijs iam contenta sunt. tenuißima retrorsum exprimunt. Quod si tum fluxio humorum per ea remedia compescitur, tũq; dẽsitas in affecta particula craßiore detinetur, id tempestiua erit relaxatio, ut Gale. inuit. 11. meth. cap. 15. Aet. ser. 14. cap. 32. si inflammationes ad suppurationem conuertantur, adiuuare oportet ut q̃celerrime suppurentur. Ibiq; suppuratoria q̃ plura docet, hoc idem habet Auic. ibi. Cum uideris inceptionem apostematis incedere itinere exituræ, tunc dimitte infrigidationem, & incede in uiã eius,*

quod maturat & saniem facit, &c. Itidem ait Paul. lib. 4. capi. 18. Quod autem Neoterici facta incisione, ijs utantur, quæ dolorem primum leniant legere poteris iuxta Ioannem de Vigo cap. de phlegmone, & plura quæ pridem à me dicta sunt, inuenies: lege etiam Gal. de cura ulceris phlegmones. 13. meth. cap. 5. ibi, Non ipso ulcere etc. De tertio scopo & præsertim de doloris mitigatione loquitur Auic. loc. cit. ibi, & multotiens sedat dolorem uinum dulce mistum cum oleo rosaceo & pauca cera, aut lana æsipi infrigidata in æstate, & tepefacta in hyeme &c. Itidem ait Pau. lib. 4. cap. 17. & Aet. loc. cit. ibi dum uehementißimi fiunt dolores mitigatoria applicabimus &c. De scirrhosa duritie loquitur Gal. 14. meth. cap. 4. ibi, Hac igitur de causa ad scirrhosos affectus nullum uehementer excalefaciens siccans ue medicamentũ est aptũ, sed ea tantum quæ cum molliendo digerere possunt, &c. De corruptela partis habes Auic. tertia. 4. cap. 3. ibi, Si ergo timueris aliquid de corruptione emplastra locum cum farina hordei & uolubili, et si apparet aliquid de hoc, tunc scarifica locum, & scias quod scalpellationis alia est magis apparens, alia magis profunda, & illud est secundum locum apostematis & dispositionem membri &c. Bac. Nota quod si carnosus fuerit locus, in quem corruptio decidit, & ipsa sit satis profunda expediet locum altis multisq; incisionibus scarificare, eoq; magis, quo membrum sensu ac motu priuatum senties, At si locus fuerit neruosus paucaq; corruptio in superficie, tũc leni et nõ profunda scarificatione opus est, sed de his ubi de Gãgræna tractabimus uberius sermocinabimur, etcæ.

Obseruationes circa curam phlegmonis.

Gal. 2. ad Glauc. cap. 2. Oportet in his inflammationibus principia curationum optima fieri. Nam quæ in ipsis errata contingunt, difficulter sanabiles aut omnino insanabiles fa-

ciunt dispositiones sunt autem hæc duo maxime errata, si nulla de toto corpore prouidẽtia habeatur, & si calefiat atq; humectet etiam membrum &c.

Obseruationes circa reuulsionem & deriuationem.

Gal. 13. meth. ca. 6 si circa sedem uel partem huic uicinam phlegmone incidit, aluum non deijcies, neq; cum in uesica uel cole uel renibus est cœpta urinas prouocabis, sed ad partes quæ maxime lõginquæ sunt, semper reuulsionem facies, etc. Itidem habetur 13. meth. cap. 11. ibi, si circa fauces & palatũ, aut deniq; in ore phlegmone laborare inceperint, in his omnibus cauenda sunt quæ pituitam per os euocant &c.

Obseruationes circa reprimentia & resoluentia.

Auic. tertia 4. ca. 3. Et scias quod administratio eorũ quæ fortiter repercutiunt in primis, & eorum quæ fortiter resoluunt in fine, est mala, Nam infrigidatio fortis perducit ad corruptionem membri, & in resolutione uehementi accidit dolor, &c. Obseruationes in scarificatione.

Paul. lib. 4. cap. 17. si ob defluxionem ortas inflammationes scarificatione diuiseris, præsertim per initia malũ quoddam haud mediocre ægrotanti accerses, &c.

Inflammationi conferentia.

Conferunt inflammationi, modo recte distinguas tempora, Acatia cum albumi oui, Acetosa, aphodilli decoctio, Folia alcannæ, Althæa, berberis, amomum, smirnion, atriplex, auricula muris, bolus armenia, blitus, camphora, Folia cannæ recentia, chamomilla, caßia fistula, cauda equina, caulis agrestis, ceratum de sandalis, cerusa, chymolia, lithargirium cum cerusa & aceto, cucurbita, diachylon paruum, dragachãtum cum succo uermicularis, farina cum mellicrato, farina fœnu græci, scoria ferri, furfur cum aceto, holusiamenũ, folia hyosciami, succus alchechegi, lenticula aquæ, lycium, lingua arie-

tis, semen lini cum melle & oleo, lupinus cum aceto & melle, lutum sigillatum, samium, malua, mellilotum, succus menthæ, myrtus, nasturtium, nenuphar, oleum nenupharinũ, cucurbita, uiolaceum, rosaceum, myrtinum, opium cum succo corigiolæ, Farina hordeacea cum uitello oui, ozimum fluuiale cum aceto & oleo, panis frumenti cum melliorato, Folia papaueris, portulaca, plãtago, psyllium, rosa ruta syluestris, sandali, sanguis leporis, semperuiuam, solatrum, terra sigillata, tribuli, uiola, uirga pastoris, uolubilis magna, Iridis radix. Folia uitis &c.

De pronosticis inflammationum.

Hip. pronost. 1. tex. 33. Tumor in ilijs durus & dolẽs pessimus est, si omnibus ilijs fatiget, si uero altera parte infestat, sinistra, minori cum periculo est &c. Bac. idest si inflammatio dextram partem affligat, propter iecur plurimo non uacat periculo, si sinistram minus mali affert, si utranq; lacessit exitiosissimum malum est. sed quia de interioribus hoc dictũ est, lege Auicennã in superiori capite, ubi de pronosticis, Tumorum uerba fecimus.

Auth. dissentientes circa inflammationem.

1 Adserere, in omni affectu externas causas esse semper inquirendas.

2 Adserere, Idem esse, dicere phlegmonem ad suppurationem & ad putredinem finiri.

3 Adserere, uinũ dari posse in inflammationibus.

4 Adserere in omni phlegmonem motum tanquam nociuũ esse uitandum.

5 Adserere, omnem, internam inflammationem esse lethalẽ

Confutatio dissentientium circa inflammationes.

Confutat primum Gal. 4. meth. cap. 3. ubi inquit illud iam definiri tempestiuum est, nullam externarum seu primitiua-

rum causarum curationis indicatricem esse, sed huius indicationem ab ipso affectu initium habere, Apponet autem id liquido in iis quibus nosci affectus exacte potest, siue ulcus siue Erysipelas, siue phlegmone in parte aliqua consistat, superuacuum est, causam quæ horum quodlibet, efficit, inquirere, nisi iam etiam faciat &c. & sic externæ causæ non sunt semper inquirendæ.

Ad secundum Inquit Galenus pronost. primo tex. 31. quod omnis tumor præter naturam disiecto cõmittente eum humore, curatur, Ergo perspicuum est, ut nisi desistat, cunctant, humores ac spatio temporis prorsus mutatio futura est per qualitatem interdum ad putredinem, quotiens nihil eorum concoctionem præ imbecillitate natura molitur, Interdum si uires ualeant in pus &c. quibus uerbis apparet liquido, non idem esse finiri ad suppurationem & ad putredinem.

Ad. 3. Gale. 4. meth. cap. 7. Non latet autem & de uini usu quod cauẽdum id est, ubi phlegmones suspitio adest, alias dari nihil uetat. Ad. 4. Respondet Gal. 13. meth. cap. 6. dicẽs illud enim patere, uel me tacente arbitror, eũ cui crura phlegmone laborant, non esse uel ambulatione uel cursu exercitandum, sed nec stare illi esse iubendum, imo sedenti plurimũ fricari, mox manuum motu exercitari illi est satius, At si cui in supernis partibus cœperit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inambulatione, aut cursu, est salutaris &c. Bac. Intellige tu ubi copia humorum non fuerit plurima, Nã si corpus ualde plenum fuerit, non tantum exercitium, sed etiam balneum illi non erit proficuum, ut monet Galenus. aphor. 3. cõmen. 20.

Ad quintum Galenus pronosticorum primo. comento. 34. dixit. Quod inflammatio interna mortem breui fore significat ut inquit Hippocrates, At uero id, nisi

aliquid intimum afficiatur, mēdacium est, intima sunt iecur, uentriculus, lien, & abdomen, Nam musculi si ita affecti fuerint raro mortem afferunt, nisi magnitudo inflammationis una cum imbecillitate uirium esse contingat, aut medicus aut æger errorem cōmittant &c. & sic non omnis inflammatio n t rna lethalis est, ut patet &c.

De erysipelatis definitione ac diuisione.

Quum duplex sit erysipelas Alterum legitimum ac exquisitum, Alterum uero adulterinum et spurium, legitimum erit ex sanguine & flaua bile calidioribns quàm opus sit mixta fluxio, quæ inferiorem carnem nō molestat. Sed cutim, quàm ἐπιδερμιν græci uocant) tantummodo afficit, Adulterinum uero est quod alijs tumoribus una admiscetur & ab illorum exuperantibus symptomatis nomenclaturam adeptus est, ut sit erysipelas phlegmonodes quum inflammationem superat, aut erysipelas ædematodes quum in mistione ædema uincitur uel erysipelas scirrhodes, quum ipsum ex nimium refrigerantibus durum & uix resolubile euadit, Atque hic affectus duplicem habet differentiam, utique uel cum ulcerationem fit erysipelas, uel absque ulceratione. Cum ulceratione tunc esse dicitur, cum non tantum cutim, sed ipsam quoque inferiorem carnem exulcerat. Definitur etiā alio modo erysipelas, quod sit tumor rubens cum ignita inflammatione febres interdum ac dolores inferens etc.

Loci consentientes de definitione erysipelatis.

Paul. lib. 4. cap. 21. Tumorem ex feruente & tenui sanguine conflatum, priuatim quidem & proprie erysipelas, qui ignis sacer dicitur Gal. appellauit. Qui uero nec planè biliosa nec sanguinea fluxio est, sed ex ambabus mixta, utique ab eo quod in mistura superat nomē uitio indidit etc. Hoc idem habet Galenus 2. ad Glau. cap. 1. & 14. meth. ca. 2. ibi, Erysi-

pelas biliosæ fluxionis germen est, ac circa cutim maxime consistens tum hanc externam, quæ omnium partium commune est tegumentum, tum membranosam & tenuem quæ singulis internarum est circundata, atque hic affectus duplicem habet differentiam, quod uel absque ulceratione, uel una cum ulceratione incidat, quum uero nec planè biliosa nec sanguinea fluxio est, utique ab eo quod in mistura superat, nomen ipsi indatur ac dicitur de eo quod exuperatur, sicuti phlegmonem erysipelosum id uocemus uel erysipelas phlegmonosum &c. Et eodē in loco cap. 3. inquit, quod sicuti phlegmoni admiscetur erysipelas, ita etiam aliquando ædemati et uocatur erysipelas ædematosum nō secus q̄ ubi ex refrigerando durū ægreq; resolubile redditur uocabitur erysipelas scirrhosum etc. Hoc idem sentit Auic. 2. primi, cap. 5. ibi, Aposteme quod ex cholera rubea & pura componitur, est erysipelas, & ex eis est compositum nomine composito superantis præponendo nomen, quandoque enim phlegmonem erysipelatodem dicunt, quandoque erysipelas phlegmones etc. Vide & Gal. in lib. de tumoribus præter naturam cap. 10. De ultima definitione erysipelatis habes non solum Cornelij Celsi locum libr. 5. cap. 26. ibi, Erysipelas dicitur cum super inflammationem rubor, & cæte. Sed etiam hoc idem à Galeno in lib. finit. med.

De causis erysipelatis.

Causæ erysipelatis externæ quidem sunt frictiones, motus uiolenti, insolatio, medicamentorum admotio, ualde attrahentium, & quæcunque sanguinem extrinsecus in bilem promouere possunt, Causæ antecedentes sunt flaua bilis una cum sanguine admixta, aut feruidus sanguis substantia tenuißimus ad partem læsam concurrens, Causæ coniunctæ sunt prædicti humores erysipelatem actu efficientes.

Loci conſentientes de cauſis eryſipelatis.

Satis ſuperq; de cauſis eryſipelatis atteſtantur loci in eius definitione adducti, lege tamen Gal.14.meth.cap.1.ibi, Morbus quem græci eryſipelas uocant, is uti moſtratum eſt ex bilioſo ſucco naſcitur &c. De indicijs eryſipelatis.

Cognoſcitur eryſipelas ex calore, multo inflãmatione uehementiori, maioriq; febre, & ex calore rubeo ad flauum pallidum ue declinante, Quod ſi tetigeris facile ſanguis ſubterfugit ac rurſus illabitur exquiſite tenuis & aſpectu rubidus, Signa uero quibus eryſipelas à phlegmone diſtinguitur, ſunt, quod non dolet, nec ita alte pulſat in corpore, ut ipſa inflammatio ſiquidem in cute magis conſiſtit, quàm alte deſcẽdat, At ubi per cutim diffuſum fuerit, parum & quaſi nihil infeſtat, præcipue ſi exquiſitam fuerit, Dolor eryſipelatis magis mordicat ac pungit, quàm ullam more inflammationis, tenſionem faciat, Incipit etiam à naſo, deinde per totam faciem expanditur &c.

Loci conſentientes de indicijs eriſipelatis.

Gal.2.ad Glau. cap.primo Eryſipelas multo inflammatione calidior, magisq; colorem flauum repreſentans, & ſi tetigeris facile ſanguis ſubterfugit rurſuſq;, illabitur exquiſite tenuis & aſpectu rubidus, non tamen dolet & hic ut inflammatio &c. De ſignis interſtinguẽtibus eryſipelatem à phlegmone habes plurima ab Auic.3.4.ca.4. ibi. Et illa ex quibus diſcernitur à phlegmone ſunt, quoniam eryſipelas magis apparentem habet rubedinem & clariorem, quæ rubedo deſtruitur per tactum, deinde reddit uelociter, & uides in rubedine eryſipelatis colorem croci quod nõ apparet in phlegmone, & eryſipelas fit in cute, & phlegmone profundatur etiam in carne &c. Videas uberius hunc locum & plurima intelliges, Gal. 14.meth.ca.1. ſigna etiam quibus eryſipelas à

phlegmone distinguitur, satis fuse declarat, & quæ amborũ sunt cõmunia, ibi. Sed præstiterit fortassis eum pluribus uerbis a phlegmone distinguere &c. Auic. 3. 4. cap. 4. et ubi plus accidit erysipelas, accidit in facie, & incipit a lepore nasi & expanditur in facie tota &c.

De cura erysipelatis.

In curando erysipelate duo maxime consyderabis, humorum scilicet ad partem imbecillam fluxionem, & eorũdem in eadem parte malam qualitatem, siquidem defluxio uacuationem per se expostulat, & mala qualitas, qua calida et mordax est, refrigerationem, Nec uacuationis indicatio sicuti in phlegmone refrigerationem superet, sed refrigeratio euacuationem, Nam pluris facienda est mala erysipelatis qualitas, q̃ ipsius humoris aggregata q̃titas, uerũ ut duo hæc assequaris quadruplici scopo curationem hanc aggredi oportet primo, cũ rationis uictus institutione, secundo cũ materiæ ad læsam partẽ defluentis, auersionem tertio cum humoris iam defluxi euacuatione, quarto, cum Symptomatum si quæ acciderint ablatione, Victus igitur ratio ea semper instituenda est, quæ humectet ac refrigeret, Absint pinguia, acria, dulcia & quæcũque caliditatem præ se ferunt, similiter omnes aliæ res nõ naturales esse debent ad frigiditatem et humiditatem procliues. At auersio humoris in legitimo erysipelate fiet nõ per sectionem uenæ ut in inflammatione, sed potius per medicamenta bilem flauam educentia, Quod si erysipelas cũ inflãmatione coniunctum sit, aut sanguis ipse nimis redundarit tunc uenam secare opus est, humerariam si in capite, aut Iecorariam si in infernis partibus erysipelas cõtineatur, Euacuant igitur bilẽ rhabarbarum, manna, tamarindi, cassia, infusio rosarum & id genus alia tertius scopus est humoris iam fluxi uacuatio, quæ primũ fieri debet p repellentia ad alias partes, (seruatis tñ his quæ in capite uniuersali traditæ sunt regulis) aut per

ea quæ per insensibilem habitum humores digerunt, Repellemus itaque quod influit ac feruorem refrigerabimus per ea quæ humectant & simul frigefaciunt sitq; refrigerandi terminus coloris ipsius mutatio, nam quod non exquisitum est erysipelas si plus æquo refrigeretur, cutem liuidam facit ac denigrat, & in senili corpore sic refrigeratum non adeo potest discuti, quin induratus tumor relinquatur, idcirco antequam locus niger uel liuidus appareat, ad discussoria progrediendum est. Refrigerant igitur, solanum semperuiuum, portulaca, umbilicus Veneris, psyllium, altercum, lactuca intybum, lenticula palustris, cerata ex aqua admodum frigida & id genus alia. Discutiunt autem emplastrum ex hordei farina & ceratum rosaceum cui admistum sit aliquid calcis etc. Quod si liuor cutim occuparit, tunc incisa cute cataplasma superponendum est, & locus aqua salsa uel aqua & aceto abluendus est. Quartus scopus remouet ipsa erysipelatis symptomata sicuti dolores & relictas durities, non secus ac dictum est in phlegmones cura cum mitigatorijs scilicet ac mollientibus, utrum si contingat ipsum erysipelas ulcerari, curetur cum unguento de cerusa de plumbo, &c.

Loci consentientes de curatione erysipelatis.

De hac erysipelatis cura loquitur Gal. 14. meth. cap. 3. ibi, curationis uero methodus, sicuti in alijs compositis &c Vbi habes quod pro sanguinis misione, medicamento, quod bilem trahat uti debemus. Obiectio. Paulus qui in omnibus ferè imitatur Galenum, non cholagωgon sed sectionem uenæ proponit ac commendat. Quare hoc in loco ab ipsius Galeni textu erit ualde discrepans. Responsio. Conciliatur locus Pauli, si de erysipelate, quod à sanguine redundante, uel una cum phlegmone admistum fuerit, tantum intelligatur, lege ultra iam citatum Gal. locum & intelliges quo-

usque in erysipelate refrigerandum sit, & quo modo in erysipelate spurio, non ita frigidis, sicuti in exquisito utendum sit. Mox quæ refrigerent & humectent, & cætera denique omnia, quæ à nobis iamdudum recitata sunt, Auic. tertia 4. capi. 5. oportet ut euacues corpus in ea cum solutiuo choleræ, & si indigeat phlebotomia, phlebotoma etiam, & phlebotomia quidem non confert, nisi quando materia est inter duas cutes. Bac. suspicor Auicennæ textum hoc esse in loco corruptum, & quod legi debeat, & phlebotomia quidem nõ confert, nisi quando erysipelas est inter duas materias, ac si diceret quando una cum phlegmone coniunctum est, & tunc concordatur cum superioribus dictis. Quod uero hoc ita sit ex eius uerbis paulo inferius recitatis cognoscitur, cũ dicat fac illud secundum quod existimatur esse de duabus materiis &c. lege totum hoc Auicennæ caput, & certo intelliges eum non tantum Gal. interpretem, sed uerum in suis dictis paraphrasten fuisse. Obiectio. Auicennam, quem nunc tantopere extollis haud scio quomodo cum Raze concordaueris? Siquidem Auicenna iubet in principio erysipelatis frigida & styptica, quæ sicca sunt esse applicanda. Razes uero frigida et humida, prout omnes græci fatentur. Responsio.

Non erit ita magna inter utrunque discordia, si de erysipelate cum ulcere & sine ulcere distinxeris. Nam Auicennas styptica ad loci roborationem & ad ulcus, quod siccari expostulat, imponenda iubet. Razes uero in erysipelate exquisito, in quo nullum est ulcus, ut Græci humida esse applicanda dixit, & utriusque ratio uera est. Vide latius de hac curatione Aetium Ser. 14. cap. 59. itidem Pau. lib. 4 cap. 21. Quod uero in erysipelate refrigerationis indicatio superare debeat, uacuationis indicationem, habes huius rei causam à Gale. 13. meth. cap. 8. ibi, In illo nanque refrigerationis indicatio ma-

gis urget &c. Habes etiam medicamentum simplicißimum refrigerans ac humectans aduersus erysipelata ex Gale. 10. meth. cap. 9. ibi. Incipiam autem ab eo medicamine quod omnium quæ humectant & refrigerent simplicißimum &c. Habes insuper curationem erysipelatis cum ulcere ex Gal. 4. meth. ca. 5. ibi In quocunq; ulcere erysipelas superuenerit &c.

Obseruationes circa curationem.

Gal. 2. ad Glau. cap. 2. Erysipelati, quod cum inflammatione coniunctum est, mixta, quantum fieri potest, curatio est adhibenda, semperq; illi, quod magis superat resistendum &c.

Obseruatio circa euacuationem.

Ioannes Tagaultius Quoniam erysipelas uehementiores quàm phlegmone febres accendit, medicamenta, quæ impense sunt calida, ut scamonij succus & electuarium de succo rosarum huic affectui minime idonea sunt.

Obseruationes circa repellentia.

Gal. 14. meth. ca. 3. Periculosa tamen toti corpori est eiuscemodi curatio propterea quod bilis iterim ad aliqd princeps membrum fertur, quippe, quum si uel sanguis ipse abundet, haud tutum sit ex minoris notæ membris fluxione eius repellere. Vnde concludit, quod non nisi post totius corporis uacuationem repellentibus auxilijs uti debemus &c.

Obseruationes circa uictus regimen.

Ioannes de uigo cibus itaq; sit, ex farre hordeo contuso, in aqua omnibus decoctis cum amygdalis & semine comuni & nullatenus cum brodio, quia laborantes tali paßione uitare debent pinguia salsa calida & acuta, uinum interdicatur. Vtiliter tamē sumuntur lactuca, borago, cucurbita & omnia incrassantia sanguinem &c.

Igni sacro conferentia ex Dioscoride.

Conferunt asarum, acacia, acinos herba, anchusa, lyco-

psis, Aizoen maius, brasica satiua, acetum, beta. Baccharis, bechion, crocus, cupressus, coriandrum, cicuta, cotyledon, cici, chalcitis lapis, ærugo ferri, harundo, helxine, isatis, lens, lilium, lens palustris, lapis smyris, myrtus, malua, mandragoras, portulaca, plantago partenion, polygonon mas, pentaphillon, peristereon rectus, papauer satiuum psyllium, Rhamnus, rosa, ruta, rubus, idæa, salix, sanguis, seris, solanũ satiuũ stratiotes aquatic⁹ et urina, unguentũ de plũbo de cerusa, oleũ rosatũ myrtinũ uiolaceum. De pronosticis ignis sacri.

Hip. aph. 6 aphor. 25. Erysipelas ab exterioribus uerti ad interiora nõ est bonũ, ab interioribus ãt ad exteriora, bonũ, Bac. exemplũ ueluti omniũ morborũ attulit Hip. Siquidẽ bonũ signũ est, ab interioribus ad exteriora oẽm morbũ uerti. Cõtra uero malũ sicuti in experientia quotidiana cõprehenditur. Et aph. 7. aph. 19. In oßis exutione erysipelas, Bac. adiũge tu, malum, Nam osse nudato si caro circunstans ab erysipelate apprehendatur, fieri non põt, quin sit malus affectus. Et aph. 7. aph. 20. Ab erysipelate putredo aut suppuratio, Bac. intellige tu hæc absq; dubio erysipelati superuenire, dummodo uel repellentibus aut digerentibus ipsum non discutiatur. Et Aphor. 5. aph. 43. si mulieri grauidæ in utero sit erysipelas, lethale, Bac. lethale quidẽ erysipelas utriq; est & mulieri et fœtui, Nã si febres acutæ, à quibus afficiuntur, solæ interimunt, quãto magis si cũ erysipelate coniungantur, Auic. 3. 4. c. 4. Et quando accidit erysipelas, a fractura oßis sub cute, tunc illud est malum &c. Bac. hoc dictum Auicennæ non idem est cum apho. superius narrato ut quidam existimarũt, siquidẽ aliud est denudari, aliud sub cute frangi, hoc enim duplici ratione malũ est, tum ob fractionẽ oßis, tũ ob inflãmationẽ quæ post fracturã superuenit, poteris ẽt de uario erysipelatis euẽtu prædicere si uaria fuerint, quæ curationẽ peruertãt accidẽtia etc.

Authoritates dissentientes circa erysipelatem.

1 *Adserere, quod idem semper sit erysipelas & ignis sacer.*

2 *Adserere quod phlegmone sit maioris inflammationis q̃ erysipelas.*

3 *Adserere erysipelatem non esse tumorẽ præter naturalẽ.*

Confutatio dissentientium circa erysipelatem.

Quod idem semper non sit erysipelas & ignis sacer osten dit Celsus lib. 5. qui ignem sacrum ab erysipelate diuersum fa cit, siquidem eum inter mala ulcera connumerans, duas ignis sacri species esse demonstrat, Alteram in altitudine postulis continuis, alteram in sumæ cutis exulceratione, latam et inæ quabilem &c. Obiectio. *Qui fit igitur ut à latinis ignis sacer dicatur, si idem semper non sit?* Responsio. *Latini in hoc Plinium imitati sunt, qui dum in pluribus ex- ponendis simplicibus Dioscoridem sequeretur, pro erysipe- late ignem sacrum in omnibus ferè interpretatus est. Ad secundum Auic. tertia 4. cap. 4. Inquit, quod quandoq; conse- quitur ex caliditate erysipelatis, ut comburatur cutis, et non est ita in phlegmone, non ergo est inquit inflammatio erysipe latis, minor inflammatione phlegmones, imo plus &c. & sic calidior est erysipelas ipso phlegmone. Ad tertium Gal. in lib. de Tumor. præter naturam, cap. 10. quum fluxio biliosa in aliquam partem decumbit, siquidem fuerit bilis exquisitæ, cutem exulcerat, si uero sanies aquosa, uel sanguinem habeat admixtum, minus erit acris & magis particulam in tumo- rem attollit, quàm exulceret, hoc igitur erysipelas nomina- tur, Alteram uero herpes, &c. Quibus uerbis planè duo no- bis ostendit, alterum quod tumor sit erysipelas, alterum quod ab herpete longo interuallo dissidet.*

De Herpete, & eius differentiis.

Herpes qui à serpendo dictus est, nil aliud est, quàm flauæ

bilis in aliquam partem defluxio, & hic triplex est. Primus dicitur ἕρπης ἐσθιόμενος, qui exedendo carnem ac cutem ueluti serpẽdo ambulat, Alter uero ἕρπης κεγχρίας, qui pustulas ad formam milij per cutem affert. Tertius generis nomine sibi uendicato ἕρπης simpliciter nominatur, qui solius cutis exulceratio est, Hunc morbum falsò uocant Auicinniaui formicam, siquidẽ formicæ nomen, quam Græci μυρμηκίαν dicunt, uerrucis potius congruit, quàm herpeti, Hancq; diuidunt in miliarem ambulatiuam ac corosiuã. Definiturq; formica miliaris quod sit pustula uel multæ pustulæ, quæ egrediuntur & faciunt accidere apostema paruum &c.

Loci consentientes de herpete, & eius differentiis

Gale. 2. ad Glau. cap. 1. Quando bilis flaua secernitur & in aliquo membro consistit herpes uocatur, siquidem crassa sit secundum substantiam totam exulcerat cutem usque ad carnem suppositam, atque hunc affectum Hippocrates nominat herpetem exedentem. Si uero te maior fuerit, id quod in superficie est tantum, ueluti deurit, atq; hæc species generis sortitur appellationem, quum simpliciter & sine additione herpes uocetur. Altera species est miliaris dicta, quoniam in hoc affectu pustulæ paruæ ac multæ per summã cutem similes milio excitantur, &c. Vide de hac re Aetium Ser. 14. cap. 60. ibi, si flaua bilis citra alterius humoris mixturam secreta iuxta partem aliquã constiterit Herpes appellatur affectio etc. Itidem ait Paul. lib. 4. cap. 20. ibi, cum bilis flaua, & cæ. Auic. tertia. 4. cap. 6. Formica est pustula aut pustulæ quæ egrediuntur, & faciunt accidere apostema paruum & ambulant & fortasse ulcerant &c. Et paulo post, & ad summum omne apostema cutaneum ambulatiuum, quod profunditatem non habet est formica, uerum alia miliaris & alia corrosiua etc.

De causis ipsius Herpetis. Causæ præincipientes

herpetis sunt quæcunque bilem flauam progignere apta sunt. Causam recedens herpetis excedentis est crassa acriorq; bilis exulcerans, sicuti herpetis simpliciter dicti, minus acris & tenuior bilis, At herpes miliaris ab ipsa etiã bile oritur. Multo tamen minus acri ac calida quàm prior quanquã alij opinati sint hunc herpetem, non à sola bile flaua oriri. Sed ab ea duntaxat, cui portio pituitæ admixta fuerit. Causæ coniunctæ sunt ipsi humores hunc uel illũ herpetẽ actu producẽtes.

Loci consentientes de causis herpetis.

Gal. 14. meth. cap. 17. herpetas inquit biliosus procreat succus adeo tenuis profecto ut non solum omnes interiores partes, quæ utique carnosæ substantiæ sunt transeat, sed etiam ipsam cutem usque ad sumam cuticulam erodit &c. & paulo post loquens de miliari herpete dixit, quippe is non protinus ulcus facit, sed admodum exiguas pustulas ad spetiem milij, quæ interposito spatio in ulcas abeant adeo non sine ratione uuibusdam uisum est in eiusmodi uitio, bili esse aliquid pituitæ admixtum &c. Paulus lib. 4. cap. 20. si flaua bilis substantia craßior sit, acriorq; totam cutim usque ad carnem subiectam exulcerat & herpetem exedentem excitat, si tenuior et minus acris calidaq; herpetem miliarem. At Oribasio authore pituita cum flaua bile mista herpetem miliarem creat etc. Itidem habet Aetius ser. 14. cap. 60. & Gale. 2. ad Glauc. ca. 1. Auicennas autem nullam agit de his causis mentionem.

De signis herpetis, & quo mõ ab erysipelate differat.

Cognoscitur omnis herpes tum à colore partis lesæ, tum à figura pustularum & ab ipsa quam in cutem imprimit punctura. Color enim flauus est & malum serpit ab uno in aliũ locum, Figuraq; pustularũ ad instar milij se habet, interdum latior est, cum acuto capite pungiturq; locus ac si à formica perfoderetur unde nomẽ illi à barbaris inditum est, Cognoscitur

ſcitur bilis eſſe craſſa ſi cutem uſque ad ſubiectam carnẽ corrodat, aut eſſe tenuis, ſi cutem duntaxat deurit, aut eſſe cum pituita admiſta ſi puſtulas exiguas excitet. Differt herpes ab eryſipelate ulcerato, humoris tenuitate, ſiquidem tenuiſsimus humor eſt, qui herpetem exulceratum promouet. Differt à phagedena, quum herpes ulcus non ſemper ſit, ſicuti phagedæna. Differt à cancro, quum craſsiſsimus ſit humor qui cancrum, mediocriter craſſus qui phagedænas, at tenuiſsimus, qui herpetum procreat &c.

Loci conſentientes de ſignis herpetis.

Auic. tertia 4. cap 6 & color quidem formicæ ad citrinitatem eſt decliuis, & eſt inflammata cum ſubſtãtia uerrucali & rotunda, & paulo poſt, et ſentitur in omni formica, ſicut punctura formicæ &c. Quibus plane uerbis, tum partis læſæ colorem, tum figuram & loci puncturam aperte demõſtrat, & ſi uerrucas cum herpete fœdo quodam errori combinet; quod itidem faciunt omnes, qui ſuum Auicennam ſequuti ſunt, lege de hac re Ioannem de Vigo, cap. de formica, Galenus. 14. meth. cap. 17. At tenuiſsimus eſt humor, qui herpetem exulceratum excitat, craſsiſsimus qui cancrum, proximum ab ijs occupat, quod craſsitudinem attinet, qui phagedænas creat &c. Faciunt etiam ad hanc rem demonſtrandam loci ſuperius adducti non ſolum in cauſis ſed etiam in definitione poſiti &c.

De cura herpetum.

Omnis morbus, qui ab humorum confluxione oritur, triplici ſcopo curari ſolet, primo prohibendo ne humor in partem affectam confluat, ſecundo ſi confluxerit etiam impactus exiſtat, euacuatione remoueatur. tertio ſi ulcus, uel puſtula in loco relicta fuerit oportunis remedijs auferatur. Prohibetur itaque humor ne ad partem defluat, ſi is qui defluit à toto corpore euacuetur, quare in herpete exedẽte flaua bilis primum

uacuari debet, tum per ea quæ cholagogo dicuntur, tum etiam humorem per urinas euocantia, At in herpete miliari non tantum cholagogis opus est, sed eo quod mistæ sit facultatis medicamento, euacuatoq; corpore statim expedit ad ea quæ influentem humorem possunt reprimere, curationem aggredi, reprimentia tamen non sint frigida & humectantia, sicuti dictum est in erysipelate, præcipue uti herpes exedens curari debeat, nam frigida & ualde exsiccantia potius expetit, q̃ humectantia, cuiusmodi sunt lactuca polygonium, portulaca &c. Sed eius loco sumantur caprioli ex uite, folia rubi & plantaginis, quibus lenticula interdum mel & farina hordeacea adiungi possunt, si in forma cataplasmatis ea applicare uoluerimus. Secundus curandi scopus optime per ea perficietur, quæ humorem id fluxum, & in parte contentum dißipãt ac digerunt, quod utique fieri poterit (modo humor ille uitiosus in partem læsam non amplius confluat) per id tantum cataplasma, quod à Galeno in curanda phlegmone superius expositum est, quod constat ex corticibus malorum granatorum &c. nam præter id quod humorem repellit etiam exiccat, digerit, & corroborat. Tertius scopus ulcus ipsum, siue pustulas curare intendit, unde omne ulcus exsiccari desyderat non tamen exsiccatione mordente, sed leni, præsertim, si nec malignum nec ualde putridum fuerit, quod hoc liniměto perficitur. Accipe lythargirij unc. 1. cerusæ unc. s. Tuciæ ʒ. 1. succi plantaginis solatri unc. ij. Radicum oxylapathi ℥. s. aceti ℥. 1. s. olei rosacei unc. ij. Misce, & fiat linimentum. At ubi malignum ulcus fuerit, tunc arsenico calce & sandaraca utere, uel saltem his ceratis, quæ ex prædictis rebus componuntur. Pustulæ uero solis discussoriis in declinatione morbi adhibitis euanescět. Loci consentientes de cura herpetis.

Gal. lib 14. meth. cap. 17. Horum omnium communis cu-

ratio est, ut inhibeatur primum humoris confluxio post sanetur ulcus, & paulo post, ad curationem oportet inquit cognoscere tum humoris copiam, tum craßitudinis tenuitatisq; modum & sic superabūdantem euacuare, itaq; si quis toto prius corpore purgato, mox quæ influentem humorem reprimant, regerantq; medicamentis utatur, iam herpetem curauerit, sin neutrum horum fecerit, & cicatricem tantū inducat, is exulceratam cuticulam ita sanauerit proxime tum illi, quo minus exulceretur non consuluerit, & huius rei causam ostendit exemplo Romanæ mulieris quæ herpetē in malleolo patiebatur &c. lege totum hoc caput & omnia quæ à me pridem dicta sunt luce clariora inuenies. Auic. 3.4. cap. 7. Formica corrosiua alienetur ab humectatione, quam administrasti in erysipelate. Humectatio enim non est conueniens ulceribus, &c. Paul. lib. 4. cap. 20. Corpore igitur toto medicamine quod ducendæ bili est, uacuato, loco affecto refrigerantia, siccantiaq; inducuntur, principio caprioli uitis rubi, & plantaginis applicantur, postea uero lenticula his miscetur interim, & mel et polenta &c. itidem habet Auic. loco citato Gal. 14. meth. cap. 17. In herpete uero, quoniam tenuis humor est, qui id uitium creat, abunde est etiam aluum soluisse, uel urinas per ea quæ id modice efficiunt citasse &c. Aet. ser. 14. cap. 60. utimur in herpetibus erodentibus pro euacuatione sero lactis cum portione scamonij, In miliaribus eo, quod bilē simul ac pituitam ducit, posthæc medicamentis refrigerantibus ac simul exsiccantibus cum adstrictione, ita ut herpeti in superficie tantum erodenti, mitißima adhibeantur, Miliari uero magis discussoria &c. Galenus loc. nuper citato. Constat inquit quod in generatione ulceris exuperare debebant, quæ repellendi facultatem habent, ubi non amplius confluit in ægrotantem particulam uitiosus humor, quæ digerunt lege etiam pro Tertia in-

tentione non solum Aet. sed & Paul. & plura inuenies ad pustulosum herpetem & ad ulceratum remedia lege insuper Ioan. de Vigo Argillatam Cornelium Celsum Ioannem Tagaultium qui plura docent ad ulcus herpetis facientia.

Obseruationes in repellentibus.

Gal. lib. 14. meth. cap. 17. si quidem exiguum uitiosi humoris, etiam si quis ad uiscera et magnas uenas retrudat, nullum profecto quod sensu percipiatur malum committet, ac si eius leuis quantitas non sit, in princeps aliquod membrum aliquando procumbit, ubi scilicet prius naturæ uiribus totũ corpus expurgantis non sit uel per deiectionem uel urinas uel cutim, quæ totum corpus includit, euacuatum &c. Bac. ac si diceret non esse reprimendum si multus sit uitiosus humor &c. Nota etiam ex hoc loco quod flauæ bilis euacuatio est facilis, pituitæ uero et atræ bilis, difficilis, eo potißimum quod utraque sit craßior, ac glutinosior, quo fit, ut magis purgantis medicamenti ope indigeant &c.

Obseruationes circa uictus rationem.

Cel. lib. 5. in omni sacro igne neque lenibus, & glutinosis cibis, neque salsis & acribus utendum est, sed his quæ inter utrunq; sunt, qualis est panis sine fermento piscis hedus aues excepto q; apro omnis uenatio &c.

Herpeti conferentia.

Conferunt maxime herpeti Acetum, capilli adusti, chelidonion, caries lignorum succus cicutæ, cupreßi folia cum hordeo & aceto, coriandrum cum pane, Radix Curcumæ, Ficus non maturæ in modum emplastri, stercus gallinæ recens chamepytis cum melle non sinit dilatari, lentes cum aqua maris coctæ, decoctio seminis lini cum uino. Folia plãtaginis, malua, Folia myrticum uino & oleo rosaceo, muscus herba, Folia oliuæ agrestis, olibanum cum aceto & oleo, succus parita.

riæ cum cerusa, pētaphyllon, pix humida cum sulphure, Psyllium cum aceto, Acacia, Folia rhamni folia rubi, ruta cū oleo rosaceo & aceto. sal cum aceto prohibet augeri, cinis salicis cum aceto, semperuiui succus, solatrum cū cicuta, uel eorum succus cum cerusa, succus tytimali, Herpeti etiam corrodenti conferunt Alumen cum tartaro & sale gemeo, Aizoon, Arsenicū, Helleborus niger, lupini, unguentū diaphinicon, unguentum de plumbo &c.

De pronosticis herpetum erodentium.

Hip. aph. 6. aphoris. 45. ulcera quæcunque annua sunt, aut etiam diuturniora, os abscedere est necessarium & cicatrices cauas fieri. Bac. difficulter sanantur diuturna & longo tempore durantia ulcera tum ob humorum prauorum influxionem tum ob malam dispositionem in membro patiente diu contractam, tum ob aliquam oßis in eo loco corrupti paßionem, & hoc intelligi potest de phagedænis, & exedentibus alijs ulceribus, sicuti in hoc commento planè notatum est a Galeno Celsus lib. 5. cap. 28. omnis autem sacer ignis, ut minimum periculum habet ex his quæ serpunt, sic propè difficilime tollitur &c.

Auth. dissentientes circa herpetem.

1 Adserere ulcus cruentum purum & sordidum, inter proprius ulceris differentias conunmerari.

2 Adserere omnia ulcera esse siccanda.

3 Adserere terminum siccationis nō dari in ulceribus sicuti infrigidationis.

Confutatio dissentientium contra herpetem.

Primum confutat Galenus 2. meth. cap. 2. ubi conumeratis particularibus ulcerū differentijs subiūgit, at cruentū et purū & sordidū, nō à proprijs differentijs, sed ab externis symptomatis sunt appellata. Ad 2. Respondet etiā Gale. 4. meth. ca. 1.

dicens eos ulceratarum partium affectus non esse siccandos, in quibus contusio contingere solet, nam carnes contusas cæsasq; putrefactas necesse est, in pus uersas liquari, quibus uerbis planè intelligitur, quod partes quæ sine contusione sunt ulceratæ, eas quàm maxime siccare oportere, at quæ cum quadam contusione lesæ sunt, ijs quamprimum pus mouere &c. Ad secundum Gal. aph. 6. commen. 45. terminum aßignat siccitatis, ibi, dicens quod terminus siccitatis est, ut abscedat pars eius quæ est uitiata &c.

De gangrænæ & sphaceli definitione.

Gangræna est totius corporis mutatio a naturali cuiusque habitu in alienum atque mortificatio partis non integra cum ulceratione, uel hanc citra, quam mox sequitur sphacelus, ubi membrum ab ipsa deprehensum omni sensu destitutum fuerit ac omnino e mortuum, uocaturq; σφάκελος *à græcis syderatio & caries à latinis, barbare estimenõ & ineptius aschachilos, cuius ethymologiam quum uellet* Ioannes *de uigo interpretari, ita hallucinatus est, ut uix scias, quid in hac re significare uoluerit &c.*

Loci consentientes de gangræna & sphacelo.

Quod Gangræna sit corporis mutatio &c. lege Gal. in lib: finit. med. Quod uero sit carnis mortificatio, habetur ex Gal. in lib. de Tumor. præter naturam cap. 12. ibi at Gangræna solidorum corporum mortificatio est &c. Aet. ser. 14. ca. 56. Gangrænam appellant, quando ob inflammationis magnitudinem mortificatio partis imminet &c. Gal. 6. meth. cap. 5. sphacelus est totius oßium substantiæ quædam corruptella &c. hoc idem habet Paul. *lib. 4. cap. 19. ubi syderationem pro sphac lo eius interpres latine interpretatus est de ethymologia sphaceli & esthiomeni, lege* Ioannem *de uigo & eius errorem intelliges &c.*

De causis Gangrenæ & sphaceli.

Quum igitur Gangrænæ sit membri alicuius corruptio, fieri non potest, quin ab altera harum trium causarum proueniat, Primum à spiritu uitali, qui ne ad partem læsam descendat prohibetur. Secundo à tempore membri ægrotantis iam corrupta. Tertio ab utraque causa quandoque simul aggregata, Prohibetur igitur spiritus uitalis ob magnam contusionem & fracturam, uel ob aliquam obstructionem, aut ob nimiam membri compreßionem, aut ob medicamēta, quæ membrum frigefaciunt ac mortificant. Corrumpitur uero membri temperies ob uenenosam aliquam inflammationem, uel pustulam in eo contentam, aut ob febres diuturnas, aut obstupefacientia aliqua remedia diu tali membro applicita, aut ob ulcera à medicis non satis methodicè curata, aut demū ob aliqua alia temperiem naturalem corrumpentia &c.

Loci consentientes de causis gangrænæ & sphaceli.

Auic tertia 4. cap. 15. Dico quod membro accidit corruptio & putrefactio propter causam corrumpentem complexionem eius & spiritum animalem, qui est in ipso aut propter aliud prohibēs eum peruenire ad ipsum, aut propter aliquid congregans utrasque intentiones, sicuti uenena calida et frigida, & ea quæ cum sua substantia sunt contraria spiritui animali, & sicut apostema & pustulæ & ulcera mala ambulatiua uenenosæ substantiæ, & ea in quibus erratur &c. lege locum hunc & cætera intelliges, quæ à me pridem recitata sunt &c. Quod ob inflammationem hoc malum oriatur, satis constat ex Paulo lib. 4 cap. 19. ubi inquit quod inflammatio, neque discutiatur, neque in pus mutetur, sæpe in gangrænam & syderationem incidit &c. Itidem ait Gal. 2. ad Glau. cap. 9. ibi consequens est, ut deinceps dicamus de inflammationibus quæ gangrænæ factæ sunt, nominant autem gangræ-

nas ea quæ ex magnitudine inflammationis fiunt mortificationes quæ nondum integræ factæ sunt &c. & in lib. de Tumor. præter naturam cap. 7. Igitur Gangrænæ & carbunculi excitantur, quum sanguis tanquam feruens, atque inflammationi propinquus cutem exurit &c. & in lib. finit. med. Gangræna gignitur inquit, uel plethora antegressa, uel dum extinctio fit, aut phlegmone et chyrurgi imperitia male curata etc. Et in lib. de Tum. cap. 9. Generatur gangræna ubi uehementer obstructa sunt in maximis inflammationibus, tum ora uasorum, tum etiam omnes cutis meatus &c.

De signis gangrænæ & sphaceli.

Cognoscitur Gangræna, si coloris flos, qui in inflammationibus aderat, statim extinguatur, similiter dolor & loci pulsatio, nedum sedato affectu ob sensum illius partis iā emortuum, euanescunt, quinimmo nigrities, ac quædam membri mollities in memb. o uisitur. Fit etiam illa pars putrida ac fœtens, quæ dum digitis præmitur, facile præmenti cædit, nec amplius attollitur, uel resilit, sed ueluti à carne seiuncta cutis remanet &c.

Loci consentientes de signis gangrænæ.

Gale. in lib. de Tum. præter naturam, cap. 9. quæ sic laborant corpora naturali perspiratu destituta, facile mortificantur, ac coloris flos extinguitur, qui in inflammationibus aderat, deinceps dolor & pulsus abeunt, affectu ipso nequaquam sedato uerum sensu emortuo &c. Auic tertia. 4. cap. 15. ponens discrimen inter gangrænam & sphacelum, quem ipse corruptim ac barbare ischacilos uocat, inquit, quod in principio, & proprie quod est phlegmonodes non corrumpitur cum eo sensus, cui est sensus, & tunc nominatur gangræna, quæ cum ita confirmata sit ut destruatur sensus & caro, & quod sequitur ad os, siue sit incipiens aut succedēs apostema-

ti, nominatur aſchachilos.i ſphacelus. Fac. *hoc idem uidetur eſſe à* Paulo *mutuatum, quum dicat ubi membra ſic uitiata in totum ſenſu fuerint deſtituta, affectum non amplius gangrænam ſed iam ſyderationem nuncupant &c.* Auic. *tertia* 4. *capi* 16. *Si autem pertranſit diſpoſitio diſpoſitionem apoſtematis & diſpoſitionem coloris, & incipit peruenire ad mollitiem, & humectatur parumper, tunc eſt inceptio eius in putréfactione &c.*

De cura gangrænæ & ſphaceli.

Cum ſanguinis corruptio non modica gãgrænam efficiat, eius curatio potiſsimum tribus ſcopis perficietur, Primo prohibendum eſt, ne materia antecedens in coniunctam trãſeat. Secundo materia coniuncta euacuanda erit. Tertio locus qui à putrefactione læſus eſt, ſi poſsibile fuerit, à tali affectu uindicabitur, prohibetur materia antecedens ne in coniunctam perueniat, non ſolum uictus ratione, ſed etiam fluxionis ſanguineæ per uenæ ſectionem, auerſione, aut medicamento ſanguinem depurante, qualis eſt caſsia fiſtularis, tamarindi decoctum fumariæ &c. Vacuatur materia coniuncta ſcarificando ac ſecando partem læſam, illamque abluendo cum aqua ſalſa oxycrato uel decocto lupinorum in lixiuio, & in circuitu corruptæ partis interdum hyrudines applicando, et ubi ſanguinem ſatis copioſe egredi permiſeris, ad medicamentum quod ad putreſcentia faciat, cuiuſmodi eſt farina orobi uel lolij aut fabarum cum oxycrato, ſtatim peruenies. Interim opus eſt partes ſanas aliquo tuente medicamento præſeruare, ne in corruptionem decidant cum oleo omphacino roſaceo in quo aliqua frigida & adſtringentia bullierint. Proderit etiam circa partes iam ſcarificatas, ubi præcipue morbus ſe iam remittere cœperit, unguento ægyptiaco tunc ſanè uti, putredinem enim prohibet ac reſoluit, facitque ut putre-

factum a sano longe absistat. Quod si nec his remedijs gãgræna detineatur, quin in sphacelum abeat, protinus membrum, quod ipsa occupat, ad uiuum usque resecandum est, móxque uri id, quod inter sanum & uitiatum locum residet, quamprimum candenti ferro oportet, ut simul & semel putredo ac sanguinis profluuium cohibeatur. Post cauteria & inustiones, si qua remanserit crusta butyro eam à partibus ambustis, remouebis. Caue tamẽ ne tã cito crusta decidat ut profluuium sanguinis denuo irritetur, qua tãdem amota per curationem aliorum ulcerum membro tam uehemẽter affecto non inepta medicaberis &c.

Loci consentientes de cura gangrænæ, & sphaceli.

De primo scopo loquitur Celsius lib. 5. ibi in eiusmodi casu primum est, si uires patiantur sanguinem mittere etc. Gal. 2. ad Glau. cap. 9. Curatur autem euacuantibus nobis, quã possumus multum sanguinis, qui in membro patiente compingitur cuius causa fiunt mortificationes ob id, quod arteriæ ex angustia loci nequeunt se attollere etc. Itidem ait Paul. lib. 4. cap. 19. ibi Gangrænam curamus, sanguine ex parte uitiata affatim emisso &c. Et Aet. ser 14. cap. 56. Quod autẽ euacuanda sit materia cõiuncta omnes ferè demõstrant qui de hac re scripserunt. Auic. 3. 4. cap. 16. si autem illud non ualet, non inuenis excusationem, quin scalpelationem profundam facias diuersorum modorum in locis et ponas sanguisugas & phlebotomes uenas proximas ei paruas, ut accipiatur sanguis malus cum cautella eius &c. Gal. 2. ad Glau. cap. 9 sanguinem uero quũ emanare permiseris, imponere debes ex medicamentis aliquod ad putrescentia utilibus, cuiusmodi est farina orobi uel lolij, si uero talia non adsint farina fabarũ adhibe, atque ipsum oxymel solum, & si fortius uelis, sal adijce uel ex trochiscis aliquem exquisitissime tritum, qualis est Andronis

& Polyidæ, & Paßionis &c. Hoc idem recitat Paulus sed breuiori satis sermone, cui addit, quod nõnulli ubi putridam partem præciderint, quo securius radicem euellant, candens ferramentum adigunt. Gal. loc. cit. quando abscindis aut circũcidis id, quod iã putruit, eam, quæ ueluti quædam radix est, sanæ parti adiunctam adurere &c. Aet. ser. 14. cap. 56. proinde partim mortificatam celerrime resecare oportet, quatenus contingit uicina sanam, ita ut nihil prorsus putridi relinquatur. Deinde locum inurere &c. Itidẽ habet Auic. 3. 4. cap. 16. Ibi quod si pars carnis incipit corrumpi incide eam, & paulo post, quum inciditur membrum iam putrefactum oportet ut cauterizetur id, quod circuit ipsum cum igne aut cum medicinis adurentibus &c. Gal. loc. cit. Facta adustione solemus uti succo porri, quum uero exciderint crustæ huiusmodi ulcera possunt quibuscunque medicamentis, quæ carnem inducant, ad sanitatem perduci &c.

Obseruationes in adhibendis medicamentis.

Gal. ad Glau. cap. 9. Verte animum ad corpus ægrotantis, nam si rusticum fuerit & durum natura, fortißima medicamenta desyderat, Fœmineum uero & molles carnes habens, imbecilliora, sic & uiri quicunque & molles carnes habent & balneas amant & in otio degunt, mollia exigunt, medicamenta, neque dubium est idem in pueris faciendum esse &c.

Gangrænæ conferentia.

Acetum prohibet eius ambulationem, cantharides linitæ, Cancer cum melle cinis foliorum ficus, stercus columbi cum farina hordei iride uisco & adipe porum fel ursi, Baccalauri cum melle. Lumbrici terreni cum melle, decoctum lupinorum marubium, Nuces ueteres, passulæ cum oleo coctæ, Pentaphyllon, Põpholix. Raphanus cum melle, Tithymalus cum polenta & oleo. Laudantur etiã à Dioscoride. Ampelos leu-

ce, Braßica satiua. Bulbus esculentus cinnamomum, charatias, Galiopsis. Iuglans, lixiuia e ficu, lilium, lēs, lupinum satiuum, laserpitium, rhus, raphanus, urtica, & uua passa &c.

De pronosticis gangrænæ.

Celsus lib 5. Gangrænam uero si nondum planè tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est, utique in corpore iuuenili, & magis etiam si musculi integri sint, si nerui uel læsi non sunt, uel leniter affecti sunt, neque ullus magnus articulus nudatus est, &c. Gal. in lib. de Tumor. præter naturā, cap. 9. Gangræna nisi per q̃ celerrime curetur, facile, quæ sic affecta est pars, mortificatur, nec non alias continuas inuadit, atque hominem perimit, & loc. cit. cap. 7. quin & febrem acutißimam infert, atque in discrimen uitā trahit &c. Hoc idem confirmant Paulus & Aetius locis superius citatis. Celsus lib. 8. cap. 33. Dictum est membrum præcidi oportere, sed id quoque cum periculo summo fit, nā sæpe in ipso opere uel profusione sanguinis uel animæ defectione moriuntur, uerum hic quoque nihil interest, an satis tutum præsidium sit, quod unicum est &c.

Auth. dissentientes circa gangrænam & sphacelum.

1 Adserere Gangrænam à sphacelo non differre.

2 Adserere Gangrænam etiam oßibus posse accidere.

3 Adserere, in sphacelo totum corpus non esse purgandum.

Confutatio dissentientium circa gangrænam & sphacelum.

Ad primum inquit Aet. ser. 14. cap. 56. quod ubi mortificatio partis īminet Gangrænam uocant at ubi pars mortificata sensum amisit, non amplius gangræna sed sphacelus nominatur & sic secundum magis & minus differunt. Ad secundum Galenus in lib. de Tum. præter naturam, cap. 12. Gangræna solidorum corporum mortificatio est, uerum ossa nequa-

quam corripit ſicuti ſphacelus &c. Ad tertium Gale. 4. *meth. cap. 5. Ad hæc etiam purgationis meminit* Hippo. *totius corporis, tum in alijs quibuſdam uulneribus, tum in ijs, quibus cariem, quam ſphacelum uocant, inſtare eſt metus &c. Quod ſi uniuerſalis uacuatio in ſphacelo adhuc nõ facto conuenit, quanto magis in ipſo iam confecto.* Obiectio.

Fiunt ſphacelus & gangræna ab eadẽ cauſa an à diuerſa?

Reſpõſio. *Memini me legiſſe* σφάκελου *interdum oriri ex aneuriſmate ideſt ex apertione arteriarum, ut teſtatur Gal. in lib. de Tumor. præter naturam cap. 12. Interdum ex fractura oßium & humiditate ſuperuacanea in his partibus contenta, cuius rei fecit mentionem Gal. 6. meth cap. 5. Ibi quinimo nec oßis caries, quam ſphacelum uocant ex alia occaſione oritur &c. Sed Gangrænam tantummodo dixit à corrupti ſanguinis fluxione progigni, ut ſupra relatum eſt &c.*

De œdematis definitione & diuiſione.

Oedema quod barbari undimiam uocant, duplex eſt, uerum & ſpurium. Definitur uerum, quod ſit tumor laxus, mollis, & doloris expers, qui ex naturali pituita in aliquam partem defluxa generatur. Spurium uero quod à naturali pituita degenerat, ita eſt multiplex, prout uariæ ſunt phlegmatis ſpecies, aut uaria humorũ cum phlegmate mixtura, nam ſi à flatuoſo ac uaporoſo phlegmate tumor fiat, tunc inflatio oritur, ſi ab aquoſo, aquoſum apoſtema, ſicut in hydrope uiſitur, ſi à crudo & craſſo, abſceſſus pituitoſi, quos aliqui barbare exituras phlegmaticas nuncupant, & Auicennas du bellet. In quorum numero à Græcis meliccrides, ſtratomata, ganglia, & acheromata reponuntur, ſi à gypſeo, ſtrumæ, uulgo ſcrophulæ dictæ, ſi à putrefacto ulcera et fiſtulæ, pueniũt, qđ ſi alij humores una cũ phlegmate admiſceantur, tunc œdema, uel erit phlegmonodes, uel eryſipelatodes, uel ſcyrrhodes, etc.

Loci consentientes de œdematis definitione.

Gal. 2. ad Glau. cap. 3. Oedema autem uocamus tumorem mollem doloris expertem, quem ex pituitosa substantia, aut spiritu uaporoso fieri constat. Et. 14. meth. cap. 4. sicut ex fluxione biliosa constat erysipelas, ita ex pituita ipsum œdema, rarus quidem atque indolens tumor &c. & hæc de uero ac legitimo œdemate. De spurio autem loquitur Auice. tertia. 4. trac. 2. cap. 1. ubi apostemata phlegmatica inquit uel esse simplicia & nominantur apostemata mollia, aut aquosa, sicut accidit membro, ut in eo aggregetur aqua sicut hydropisis proprie, aut dubellet in quibus sunt nodi lenes, aut nodi duri & scrophuli &c. Quod autem œdemati aliis humores admisceantur ita ut phlegmonodes & erysipelatodes fiat, lege Galenum. 1. de morb. diff. cap. 12. ibi. nam phlegmoni magna ex parte miscetur aliquid, quod uel erysipelatis, uel œdematis, aut scirrhi naturam seruat, similiter erysipelati quod phlegmones, aut œdematis, aut scirrhi speciem referat, ita similiter in reliquis omnibus perpende &c. id est idem fieri existimato in œdemate, atque scirrho & cæ. lege fusius Guidonem Gualiacum, Ioannem de Vigo & Argillatam, & plura ad hanc rem facientia, inuenies &c.

De causis œdematis.

Tres sunt œdematis causæ, primitiua ut casus percußio, & uictus ratio deprauata. Causa antecedens est copiosa humoris pituitosi ad aliquod membrum defluentis repletio. Causa coniuncta est ipse humor pituitosus in aliquo membro infarctus ac aggregatus &c.

Loci consentientes de causis œdematis.

De causa primitiua loquitur Auic. tertia. 4 tract. 2. cap. 2. ibi. Et quando accidit ex percußione & similibus, & nō occurrit materia, quæ attrahitur ad locum eius, nisi phlegma

tunc non apostemat præter apostema phlegmatis &c. De causa antecedente loquitur Gal. 1. de morb. diff. cap. 12. ibi. Principio quod omnes ex abundanti nascuntur humore, sicuti erysipelas à flaua bile, phlegmone à sanguine œdema à pituita etc. Et in lib. de tumor. præter naturam, cap. 10. Erysipelas inquit biliosa exuperāte fluxione gignitur, inflammatio sanguinea, œdema uero à tenui pituita &c. & in lib. 14. meth. cap. 4. sicut ex biliosa fluxione erysipelas, ita ex pituita ipsum œdema, equidem scio inquit aliter quoque œdema prouenire, sicut in affectibus aquæ intercutis, & malis corporis habitibus &c. lege tu neotericos scribentes, & plura de his forte intelliges &cæ.

De signis ipsius œdematis.

Verum œdema facile deprehenditur, si signa exuperantis pituitæ in parte læsa adfuerint, & si eius tumor sit laxus, mollis, albus, qui dum digito ipse præmitur foueā admittit, nec attollitur, sed præmentis digiti uestigium relinquit, ibiq; nullus uel exiguus sentitur dolor. Calor est modicus, & si qua alia dicta sint pituitæ indicia hoc ad œdematis cognitionem spectant, nam quo magis pituita fuerit tenuis, eo, tumor erit mollior, et quo magis crassa, eo tumor erit magis ad duritiem decliuis.

Loci consentientes de causis œdematis.

Gal. 14. meth. cap. 7. Oedema inquit ex pituitoso succo oritur, proindeq; præmentibus nobis cedit, digitiq; admodum alte in ipsa descendunt &c. Auic. tertia. 4. tract. 2. cap. 2. Apostema est album, molle, in quo non est caliditas, & quanto plus est materia subtilior, & magis madida, est mollificatio eius uehemētior, & digitus facilius penetrat in eo quod comprimit, & quanto plus materia est, craßior est ad duritiem, & ad frigus magis decliuis, & plurimum eius est de uapore phlegmatis, et de genere eleuationis. Bac. pro genere eleuatio-

nis intellige inflationis, quæ ex uaporoso spiritu sæpius progi gnitur &c. De curatione œdematis.

Quoniam œdema ut dictum est ex pituitosa fluxione oritur. Idcirco antequam curationem aggrediaris, in primis considerandum est, num œdema hoc sit symptoma, ut in hydrope & cachexia, an morbus per se, si symptoma tunc nulla propria curatione indiget, sed sola frictione cum sale & oxyrhodino tollitur. At si per se morbus fuerit, tunc etiam inuestigandum est, num, tale œdema sit uerum & simplex an spuriũ & alijs humoribus admixtũ. Si uerum & simplex per se fuerit, tunc duplici scopo uniuersaliter curabitur, prohibendo scilicet, ne humor ad aliquam partem defluat, aut euacuando, si iam fluxus, & in aliquo membro impactus extiterit, quod ut commodius fiat, tunc aliis quatuor particularibus scopis indigemus, Primo uictus ratione. secundo materiæ antecedentis purgatione, tertio humoris iam fluxi resolutione, quarto accidentium remotione, uictus igitur ratio sit ad caliditatem & siccitatem cum quadam attenuatione decliuis. Vinum sit album olygophoron & odoriferum, utiliter sumuntur in ferculis fœniculum, petroselinum, &c. At materiam antecedentem purgare expediet, nisi plethora quod raro contingit, aliqua immineat, cum caßia, Diaphinicone, electuario indo, confectione de turbit &cæ. modo primum ipsa peccãs materia cum oxymellite, sy. de duabus radicibus bisantino rodomellite et similibus æquata seu præparata fuerit. Nam hæc & delitescentem intrinsecus materiam, non modo crassam incidunt, sed tenuem digerunt, & euacuant. In. 2 uniuersalis scopo, cum fluxa sit iam iam materia, tunc ijs plurimum uti conueniet, quæ modice digerũt, nec ualde exsiccant, sicuti spongia in aquosa posca imbuta, aut cum lotione ex ijs quæ utranque intentionem aggregant, quale illud est Auicennæ decoctum

ctum ex baurach.i. nitro cinere & aceto &c. De his remedijs plura habes iuxta neotericos authores, quorum cateruã recensere oportunum fore non arbitror. satis est, si post morbi incrementum in statu & declinatione, fortioribus exsiccantibus ac resoluentibus remedijs utaris, sicut est emplastrũ Auicennæ, quod recipit stercoris uacini libram semis calami aromatici spicæ absynthij añ unc 5. cum decocto caulium fiat emplastrum. Spongia etiam sumopere ualet in lixiuio imbuta quod ex cinere ilicis aut fici confectum sit. Quod si œdema per hæc dissolui nedum poßit, sed potius ad suppurationem uertatur tunc maturantibus siue suppurãtibus opus erit, quale est ceratum de diachylone aut emplastrum ex altheæ liliorum alborum ac maluarũ radicibus & cæteris suppurantibus compositum, Factáq; suppuratione, tunc aperiendus est locus uel caustico aliquo medicamine aut ferro, expurgatoq; pure, fiat deinceps prout in alijs ulceribus sordidis dictũ est. Accidentia demum si qua interciderint, auferantur. Nam si dolor œdemati adnectatur, cum anodinis sedandus est, sicuti cum oleo chamomillino de absynthio cũ œsypo humida etc. Si durities adfuerit statim cum emollientibus tollenda est, ut cum medulla crurium uituli cerui dialthea &c. Si pruritus acciderit, sicuti in œdemate ab aliqua solutione perueniente, tunc lenimento quod ad pruritum faciat, quale est id quod a Ioanne de Vigo in hoc casu describitur, utendum est &c.

Loci consentientes de curatione œdematis.

Quod œdema accidens curatione propria non indigeat, author est Gal. 2. ad Glau. cap. 3. ibi. Nonnunquam in pedibus & cruribus eorum quos aqua intercutem uexat, & alijs qui malo habitu laborant. solet contingere, uerum tale œdema in periculosis illis dispositionibus accidẽs est, nulla propria præcipuáq; curatione indigens &c. Itidem ait 14. meth. cap. 4.

& adiungit, quod ſatis eſt ad huius curam ſi partes tumidas perfricaueris oxyrrhodino, aut oleo & ſale &c. quod itidẽ ait Paul. & Aetius, Auicennas uero & quæritur cura quæ eſt cauſæ &c. De quattuor illis ſcopis loquuntur omnes ferè, qui recenter de hac re ſcripſerunt. Plura habes etiam circa uictus rationem iuxta Ioannem de Vigo & Guidonem Gualiacũ. De purgatione loquitur Auic. tertia.4.cap.3.ibi, Euacuatio quæ fit cum ſolutione uentris & abſtinentia ab eo, quod generat phlegma, eſt res, quæ eſt neceſſaria &c. De ſecũdo uniuerſali ſcopo loquitur Gal.14.meth.cap.4.ibi, At ſi ex pituitoſo humore in particulam influente œdema conſtitit, abunde aliquando ſatisfacit ſpongia, quæ ex aqua in qua ſit aceti aliquid, maduerit &c. Auic.loc.cit. & quum factum fuerit illud, oportet ut ſit repercuſsio eius in principio cum eo quod aggregat exiccationem & reſolutionem & fricetur locus fricatione dura, deinde adminiſtrentur ſuper ipſum exiccatiua &c. Quæ autem bona ſint in principio docens, inquit. Et adminiſtretur ſuper ipſum ſpongia nouæ infuſa in aceto ad miſto, aut infuſa in aqua baurach & cineris &c. Gale.2.ad Glauc.cap.3. curationis intentio in huiuſcemodi affectibus mixta eſt, una quidem ut eorum ſubſtantia diſcutiatur. Alia ad aliquid congregandum & reſtringendum &c. Auic. loc.cit. & quotiens additur ægritudo, ponatur acetum in quo infunditur ſpongia fortius parum, & apud ſtatũ perueniatur cum ipſo finis in fortitudine &c. Bac.ideſt quo magis ad declinationem morbus properat, & mage ualida adminiſtrẽtur medicamenta &c. Quod itidem demonſtrat Galenus loc.cit. dicens. Si igitur per ea quæ dicta ſunt non ſedetur, tunc aliquid fortiorum medicamentorum, quod temperaturam admiſtam habeat ex dictis poteſtatibus adijciendum eſt &c. De accidentibus remouendis plura habes ex Auic.loc.cit.ibi, oportet ut

ſedetur dolor in primis cum his quæ ſunt ſicut æſypus humida & uinum coctum & ceretaria ex oleo &c. Multo tamen *plura capies ex Ioanne de Vigo & Guidone Gualiaco quos maturius poteris tuo arbitratu conſulere &c.*

Obſeruationes circa ſpongiam applicandam.

Gal.2.ad Glau.cap.3.oportet autem ſpongiam eſſe omnino nouam, quæ ſi non affuerit ſaltē exquiſite abluta ſit aphronitro & nitro & lixiuio. Bac. *Auic.tertia quarti, cap.3.inquit, quod ſi ſpongia non inueniatur, pānus duplicatus in duabus tunicis cum aqua cineris adminiſtretur & aſsiduetur ſuper ipſum una uice poſt aliam, & oportet ut ſpongia comprehēdat omnia latera, ne declinet materia ad latus aliud etc. In ſubſtantia enim ſpongiæ ſunt exiccatio & reſolutio, Gale.14.meth.ca.4 ſi nouæ copia non ſit, melius eſt eo quod uulgus uocat elychnion utare &c.*

Obſeruationes circa ligaturam.

Auic.loc.cit.Et ſtrictura cum ligamentis confert ei, in quo non eſt materia craſſa, & oportet in illa ligatura ut ſit inceptio ab inferiore ad ſuperius &c.Gal.14.metho.cap.4.Deligetur ab inferiore ſurſum, ſit autem arctatio mediocris, uelut in oſsis fractura ac quidem primæ faſciæ iniectiones, quæ ſcilicet inferne incipiunt, magis arctandæ, quæ deinceps ſunt ſenſim remittendæ, cæterum ut laxa ſit aliqua deligationis pars &c.

Obſeruationes circa poſcam.

Puſca quam græci ὀξύκρατων *nominant, ita tēperata eſſe debet inquit Gal.2.ad Glauco. ut poſsit ipſam quiſpiam bibere, quæ autem plus aquæ continet in principio adhibenda eſt, maxime laxis corporibus, quæ uero fortior fuerit uirilibus corporibus & duram habentibus pellem, et quæ ad primam ſpongiæ appoſitionem non iuuantur. Auic.loc.ſuperius cit. et non oportet ut contangat ipſum aqua &c.Bac.intellige tu de*

aqua simplici, nam præter id quod ipsa humectat etiam sumo pere frigefacit. Quod extra medendi scopum existimat.

Oedemati ac phlegmaticis apostematibus conferentia.

Conferũt œdemati et pituitosis abscessibus, alumen, apiũ, abrotanum, bdellium. folia brancæ urinæ cum assungia ueteri cataplasma allei cum aceto, castoreum, folia braßicæ oleũ de cherua, cyclamen cum oleo bullitum, radix cucumeris asinini cum farina hordei uel elesterium, fœnugræcum, radix liliorum alborum, lupini cum oleo, matricaria, mentha myrrha, nasturcium cum aqua & sale, oleum de styrace, folia paritariæ, pustulæ cum uino coctæ, pix cum cera & oleo, folia platani, sal cum mentastro & melle, sisymbrium, spongia noua, radices tamarisci, uiscus cum calce, hypericon, oleum liliorum alborum, &c.

De pronost. œdematis.

Hip. pronost. *primo tex.* 34. *si uero mollior tumor est, nec dolet & præssus digitis cedit diuturniorem efficit iudicatio uem, ac minori cum periculo est,* Bac. lege Gal. *commentum, & intelliges quur fiat cum minori periculo siue intrinsecus, siue extrinsecus hoc accedat, nota etiam, quod œdemata accidat magis in hyeme q̃ in alijs temporibus & plus in senibus & in ijs præcipue qui ad ganeam dediti sunt quàm in iuuenibus & ijs qui parco uictu utuntur.* T*erminatur etiam œdema per resolutionem raro per suppurationem, & ut plurimum in nudos, siue abscessus desinit &c.*

Auth. dissentientes circa œdemata.

1 *Adserere idem esse œdema cum inflatione.*

2 *Adserere, nudum œdema per se dolorem efficere.*

3 *Adserere œdema purum fieri a dolore tanquam a causa primitiua cum Auicenna.*

Confutatio dissentientium circa œdemata.

Ad primum Gal. 14. meth. cap. 7. uidetur respondisse dicens, nunc de inflationibus disseramus, quibus diuersa ab œdematis curatio est. illa nanq; ceu diximus ex pituitoso succo ortum habent, inflationes uero ex flatuoso spiritu collecto nascuntur, & sic diuersa non modo sunt in causa, sed etiam in curatione. unde idem esse non possunt &c. *Ad secundum idem Gale respondet pronost. primo cōmen. 34. dicens, quod mollis tumor dolore uacat. Hinc inferas tu, sed œdema est tumor mollis igitur dolore uacat.* *Ad tertium respondetur quod œdema si rōne doloris efficeretur ut Auicēnas sequeretur quod pituita ad locum dolētem sola transiret, quod est impoßibile, nam instrumenta naturæ, quibus loco dolenti solet auxiliari inquit Gal. sunt sanguis spiritus & bilis ex quibus tumor calidus generatur potius quàm frigidus, quare nullo modo a dolore tanquam a causa primitiua fieri poterit, nisi forte de œdemate alijs humoribus admixto Auicennas intellexerit &cæ.*

De strumarum definitione & diuisione.

Strumæ quas Græci χοιράδας, & Plinius scrophulas a scrophis uidelicet, quæ id morbi patiūtur, nominant, sunt tumores glandosarum carnium indurati, qui in collo sub alis, ac inguinibus oriuntur, quarum differentias Aetius esse plures existimat a loco orta natura magnitudine & uasorum complexu deductas.

Loci consentientes de strumarum definitione & diuisione.

Quod strumas siue scrophulas latini & χοιράδας Græci nominarint, legere est iuxta Plin. lib. ij. ibi. Guttur homini tantum & suibus intumescit aquarum, quæ potantur uitio, propter quod quædam tubera spongiosa per corpus aliquando

inspersa scrophulæ dicuntur, quæ etiam sub strumæ appellatione continentur &c. Gal. de Tumor præter naturam cap. 17. Quum inflammationes glandosarum carnium ad scirrhum deuenerint, huiuscemodi affectus struma & à græcis χοίρας nuncupatur &c. Et. 13. meth. cap. 5. Quod si scirrhosior adenarum phlegmone fuerit, hæc ægre sanabilis et struma dicitur &c. Quod autem strumæ nascantur in partibus iam comemoratis, testis est Paul. cur autem magis in his partibus quam in alijs duplicem Gal. reddit rationem, alteram quia hæ glandulosæ partes facilius fluxiones recipiunt, cum natura sint rariores, alteram uero, qnia robur uenarum arteriarum neruorum & musculorum est ualentius, sed corporum quæ glandurarum sunt naturæ, imbecillius &c. Aet. ser. 15. cap. 5. Differũt strumæ inter se magnitudine, quia aliæ paruæ, aliæ magnæ, aliæ mediæ, natura, quia aliæ mansuetæ, aliæ malignæ, mansuetæ habent citra inflammationem & dolorem moderatam duritiem, malignæ inflammdtiones ac dolores inducunt, loco, quia quædam in anteriori parte colli, quædam ab utraque oriuntur, quædam sub cutis superficie, quædam circa uasa nobilia insident, ortu, quia quædam eleuatæ facile huc uel illuc impelluntur, quædam insertæ, quæ ad tactum renituntur, multitudine, quia una & plures generãtur. Vasorum complexu, quia quædam uenas at arterias implicatas habent, quædam uero non habent &c.

De strumarum causis.

Strumarum causæ præincipientes sunt, deprauata uictus ratio, & quæcunq; possunt pituitam crassam generare. Antecedentes sunt humores crassi ac glutinosi, qui perinde in scirrhos hunc morbum pariunt. Causæ coniunctæ sunt ipsi humores in hisce partibus impacti ac collecti strumas actu efficientes &cæ.

Loci consentientes de causis strumarum.

*Auic.tertia.4.trac 2.cap.10.cibi craßi & potus aquæ super eos, & nauseatiua satietas, & repletio uitanda sunt, quoniam hunc morbum generāt.*Gale.apho.3.cō.26.Horum adenum paßio struma quoque est, non ex calida materia, neque ad suppurationem properante.sed pituitosiore & frigidiore consistens &c.Visum est in Celso quod ex pure & sanguine concreto id mali contingat, siquidem lib.5.cap.28.dū strumā definit, hæc uerba habet, struma quoque est tumor in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine, quasi glandulæ oriuntur &c. Quod autem tales humores in hisce locis impacti efficiant strumas, authoritatem habes iuxta omnes neotericos qui de hac re scripsernnt.

De signis strumarum.

Notæ strumarum facile capiuntur, si pituitosorum tumorum indicia memoriæ mandaueris præsertim si ex colore albo, & ex duritie quam materia crassa efficit, diligēter id mali inuestigaueris. Cognoscuntur strumæ quæ in pellicula, siue uelamento includuntur ex earum mobilitate & cutis segregatione, infixæ uerò quum a loco dimoueri non possunt, sed carni adhærentes tenaciter permanent. Strumæ etiam plures sunt & ad instar racemi uuarum una post aliam dependet, et in locis supra allegatis sæpe reperiuntur, idcirco a nodis Auicēnæ differūt, quū ipsi singulares sint, et nō plures ut strumæ.

Loci consentientes de signis strumarum.

Quod ex indicijs tumorum pituitosorum strumæ deprehendantur, testis est Guido Gauliacus. Auic. tertia quarti tra. 2.cap.9 scrophulæ ut plurimum accidunt in carne molli & eis uelamen neruosum, & forte ex una earum generātur plures & similantur in hoc altualil &c. Bac pro altualil intellige uerrucas, id est similes uerrucis, quando ex una earum plu

res dependeant, lege locum hunc Auic. & differentiam strumarum cum nodis intelliges, Ioannes de Vigo duas rationes affert, quibus ipsæ a nodis differant, quas uidere poteris ubi de excrescentiis phlegmaticis agit, Paulus libro.6.ca.35.de illis loquitur quæ suis membranis includuntur &c.

De curatione strumarum.

Quum strumas curare uolueris primũ consyderato, nun curationem admittant an per se incurabiles & carcinodes sint, si primum tunc duplici scopo strumæ curabuntur, uictus uidelicet ratione & eius quod in corpore abundat uacuatione. cæteræ uerò carcinodes nullo pacto curationi per manum cedunt. Victus igitur ratio sit incisoria tenuis & calefactoria, absint frigidæ potio immoderata repletio, humida habitatio, & quantum fieri potest inedia tolleretur. Euacuatio fiet, aut per uenæ sectionem existente plethora, aut per uomitum, aut per alui solutionem, prout tempus ætas & rei euentus expostulabit, uena si opus fuerit, secari debet cephalica, uomitusq; a prandio uel sumo mane cum helleboro raphano anetho in aqua decoctis & adiuncta oxymellitis portione, irritabitur. Vacuatur etiã pituita per sedem facta aliquali præparatione, cum agarico hiera picra confectione de turbith pilulis de hermodactilis diaphinicone, & cæteris huiuscemodi aliis pluribus, quibus iã peractis si strumæ non cesserint, primum ad emolientia, deinde ad digerentia ac discussoria progrediendum erit, emolliunt omnes ferè adipes & medullæ ammoniacum, bdellium styrax altheæ radices, æsypus, dialthea, butyrum, diachylon, & cætera alia cerata, quorum cathalogum recensere nunc nostri instituti non est. Discutiunt uero strumas stercus caprillum, uel bubulum cum melle & aceto, in formam emplastri redactum. Itẽ calx uiua cum melle uel oleo uel adipe suillo excepta. Quod si nec

strumæ discuti poßint, de duobus alterum necesse est, aut quod uitiatum erit, excidatur, aut medicamento id putrescere cogente, curetur, strumas igitur ad suppurationem perducunt, non solum emplastrum ex fænugræco seminibus lini, radicibus liliorum alborum cum uiscilagine altheæ confectum, sed id quod a Paulo refertur lib. 4. Quod recipit Myrrhæ drac. x. Ammoniaci thymiamatis drach. yij. uisci quercini drach. yiij. Galbani drach. iiij. Propolis drachma, quæ omnia in pila contunduntur. Ceterũ iam maturatas caustico aliquo uel medicamento rumpantur, uel ferro, Rumpit eas loliacea farina cum fimo columbæ & semine lini uino incocta, At ruptæ mox detergantur cum unguento ægyptiaco aut apostolorum uulgo uocato. Hæc enim sumope ad strumas ulceratas et malignas proficiunt. Quod nisi quid horum prodesse uidebitur, ad earum incisionem ac euulsionem te conferes, In hocque Albucasin aut Aetium ex leonida, aut Paulus libro sexto, capite trigesimoquinto, consules, nam de harum incisione satis luculenter pertractarunt, Caue tamen in hac incisione dum circa collum operaris, ne arteriæ, quas carotidas uocant, uel recurrentes nerui quoquo modo offendantur. Nam quod inde sequitur satis noxæ maioris esse potest, quàm strumæ relictæ & cæte.

Loci consentientes de cura strumarum.

Auicen. tertia quarti tracta. secundo, cap. decimo. Radix super quam est fiducia in curatione habentium scrophulas est euacuatio & subtiliatio regiminis &c. lege tamen hunc locum Auicennæ, & circa uictus rationem plurima intelliges, quæ itidem habet Ioannes Tagaultius in suo Guidone. Gauliaco, quod rursus repetere locus non est, Paul. lib. 2. ca. 35 Maligne quas carcinodas aliqui dixerunt, notũ est omnibus, quod per manum curationi non cædunt. Quod uero uacuatio

fieri debeat tum per uomitum, tum per solutionem uentris, & uenæ sectionem satis patet per Auic. loc. cit dicentem, & de euacuatione laudabili est uomitus, & necessarium est solutione educere phlegma crassum cū pilulis, & iterum sumantur inquit turbith & zinziberis & sacchari partes æquales, & bibantur usque ad drachmas duas, nam præter quod soluit phlegma crassum, est etiam non calefaciens, neque intestinorum faciens rasuram, & phlebotomia iterum inquit est iuuatiua, & oportet proculdubio ut fiat ex cephalica &c. His tamen adiungit Ioannes Tagaultius, quæ urinam ciere possunt, tum quæ collectum humorem in halitum dissoluunt, ac discutiunt, Aet. ser. 15. cap. 5. Cæterum inchoantes strumas tum in pueris, tum in his qui chirurgiam non admittunt medicamentis dissoluere ac discutere conabimur &c. Paulus lib. 4. cap. 33. Probe autem discutit strumas calx melle, uel gymnasiorum sordibus uel oleo uel adipe suillo excepta, Gal. 14. metho. cap. ij. Est uero duplex intentio, nempe uel totum quod uiciatum est scalpello excidentibus nobis ueluti in cancro, uel putrescere id medicamento cogentibus &c. Quod uero maturatæ rumpantur caustico, & præcipue loleacea farina cum fimo columbino testis est Paulus loco superius citato, similiter quod abstergi debent cum unguento apostolorum uocato etiam hoc testatur Auicennas ibi, iam inuenimus unguentum apostolicon relatum ad christianos in scrophulis mortalibus ruptis sanationis magnæ &c. De incisione ac euulsione strumarum loquūtur ferè oēs iam dicti, sed satis breuiori sermone ac lucidiori ab Aetio ex leonida dictū est. Aui. 3. 4. cap. 10. etiam de hac re facit mentionem ibi, qđ si fuerit necessariū in curatione scrophularū uti ferro &c. Qđ autē in his sectionibus ac euulsionibus cauendum sit, ne arteriæ & nerui recurrentes tangantur, exemplum habes ex Gale. 1. de loc. affec.

ca.6.ibi,quum ex ceruice quidam chæradas in profundo incũbentes excideret,unguibus eas euellens,imprudens ob ignorantiã ſimul recurrentes neruos diſtraxit, atq; hoc pacto puerũ liberauit a ſtrumis, ſed mutũ reliquit &c. Paulus Animũ inqt ubiq; adhibe ne arteriæ et nerui recurrẽtes uiolẽtur &c.

Obſeruationes circa uictus rationem.

Auic.tertia.4.ca.10. Tolleret famem quantum poteſt, & aborreat omne quod replet caput materia, & oportet ut cuſtodiat præparatus eis caput ab eo quod facit currere ad ipſum materias ex præparauionibus facientibus currere, ſicut proſternere ſe ſuperficiem, & curuare ſe ſuper genua prolixe, & habere puluinar demiſſum, ſeu nõ eleuatum, ut caueat ab operationibus quæ trahunt materias ad caput, ſicut loquutio plurima & dolor capitis & rixa &c.

Obſeruationes circa ſtrumas calidas.

Auic.loc.cit. in huiuſcemodi ſtrumis oportet ut conficiantur medicinæ calidæ prædictæ cum oleo roſaceo & dimittantur per dies aliquot & adminiſtrentur in ſcrophulis calidis nec oportet, ut ſuperflua ſit adminiſtratio medicinarum acutarum, imo ſufficit eis quod eſt ſicut ſauich de tritico cũ aqua coriandri, & quum ſcrophulæ ſunt magnæ tunc chirurgici alienent ſe a curatione earum cum ferro & medicamine acuto &c.

Strumas curantia.

Strumas curant radices acetoſæ, adeps anguis, ammoniacum, althea cum braſsica in uino cocta, apium riſus cum fimo porci, cinis hepatis aſinini cum oleo, axungia cum helleboro farina & ſale, ſuccus cyclaminis, bitumen iudaicum, bdelliũ, radices & folia capparorum, folia adianti, chocleæ, ſiue limaciæ cum teſtibus ſuis appoſitæ, coriandrum cum farina fabarum, uel ciceris, radix cucumeris aſinini cum aceto, carnes eritij marini ficus Pharaonis, id eſt lac uel decoctũ, gal

banum. flores genistæ cum rhodomelite, lactuca asini cũ adipe, lacertus uiridis alligatus, radices lapatij cum axungia, lentes in aceto coctæ lolium cum semine lini & stercore columbi, lupinorum farina cum aceto, opopanorum, pix humida cum farina hordei, segapinum, caro serpentis abiectis extremitatibus. stercus cameli & capræ, styrax, caro testudinis comesta & fel eius linitus, uerbasci folia cum aceto, uiscus cum resina & cera, succus uitis albæ cum melle & uino partibus æqualibus urina, urtica cum assungia, radix iridis cum melle ex oleo chamomillæ, unguentum apostolicon. Auic. dia chylon, unguentum artauitæ paruum, unguentum de uzifar. Auic. hieralogodion. Auic. oleum cucumeris asinini, oleum irinũ, de ben mes. emplastrũ Oribasij ex Mesue. ij. antido. etc.

De pronost. strumarum.

Auic. tertia. 4. trac. 2. cap. 9. Homines uehementius expositi ad habendas scrophulas in partibus colli & capitis, sunt, curea habentes colla humidarum complexionum, & saluiores scrophulæ sunt quæ accidũt infantibus, & grauiores sunt quæ accidunt iuuenibus, & cap. 10. Multoties inquit redeunt scrophulæ incipientes extenuari & dissolui ad dispositionem suam primam, & scias quod de scrophulis sunt in quibus est cancerositas aliqua &c. Celsus lib. 5. cap. 28. strumæ præcipue fatigare medicos solent, quoniam & febres mouent, nec unquam facile maturescunt, siue ferro siue medicamentis curantur, plerunq; iterum iuxta cicatrices ipsas resurgunt, multoq; post medicamento opus est, quibus id quoque accedit, quod longo spatio detinent &c. Paul. lib. 6. cap. 35. strumæ quæ attactu indolent, & medicamentis impositis deteriores redduntur, malignæ sunt, nec curationem per manum admittunt &c. Aet. ser. 15. cap. 5. Paruæ igitur strumæ facilius curantur quàm magnæ, & mãsuetæ citius quàm inflammatæ, at ue-

ro malignæ incurabiles sunt, quum enim omnes huiuscemodi strumæ cãceratæ ac uasis refertæ sint, si eas per chirurgiam aggrediaris sanguinis eruptionis periculum imminet, supra hoc quod peritius insidentes rescindi non possunt, nam uenas iugulares & arterias carotidas, maligna struma ueluti radices habet. Verum superficiariæ facilius curantur quàm profundæ, & quæ in collo oriuntur quàm reliquæ, sed uocales neruos uitare oportet &c.

Auth. dissentientes circa strumas.

1 Adserere non differre strumas à steatomate et meliceride in cura.

2 Adserere cucurbitulas ĩ strumarũ curatiõe multũ cõferre

3 Adserere ꝑ natura glãdularũ diuersũ nõ esse curãdi modũ

4 Adserere strumas in mammis oriri non posse.

Confutatio dissentientium circa strumas.

Ad primũ Gal. 14. meth. cap. 12 inquit quod communes indicationes in his tumoribus sunt tres scilicet digerere, putrefacere & excidere, & quód meliceris triplicem curationem admittit, Atheroma duplicem scilicet excidere & putrefacere, steateoma uero sola manuum opera curatur, quum nec putrefieri poßit, nec digeri, sed strumarum curatio alia est, quũ in scirrhoso præsertim affectu fuerint, quia non aliter q̃ scirrhis, qui alijs in partibus nascuntur, cõmunis est, & sic in cura differunt &c. Ad. 2. Auic. 3. 4. tra. 2. cap. 10. Et uentosatio est inconueniens patientibus scrophulas secundum plurimum, quoniam nõ est ei poßibile ut euacuet ex materia, quæ est in scrophulis, imo attrahit ad eas et incrassat ipsas per id quod extrahit de sanguine subtili etc. et sic nullo modo cõferunt etc. Ad. 3. Gal. 14. meth. cap. ij. duplicem glandularum naturam ostendit & diuersum medendi modum dicens. Sunt quædam in medio uasorum spatio, & ibi quod scissum et de-

ductum est, implent, & pro diductionis firmamento opus sunt, & has iubet uel scalpello excidi uel medicamenti putrescere cogentibus tolli, Aliæ sunt quæ uel saliuam, uel lac, uel genitale semen, uel pituitosum humorem in faucibus uel laryngе generant, & hæ cum in scirrhoso affectu fuerint, non aliter quàm reliquæ partes scirrhosæ curandæ sunt, & sic diuersus est curandi modus.

Ad quartum Cornelius Celsus in mammis quoque fœminarum se reperisse strumas chirurgicus Meges inquit author est. Præterea ad strumas mammarum remedia docet Paulus lib. 4. cap. 33. quæ si illic fieri non possent, frustra esset dare remudium &c.

De scirrhi definitione ac diuisione.

Scirrhus qui a græcis dicitur σκίῤῥος, siue σκληρὸς & barbare sephiros, duplex est ἀκριβὴς, id est exquisitus ac purus, siue οὐκ ἀκριβὴς, id est non exactus & impurus. exquisitus itaque est tumor præter naturam durus quidem, sed omnino sensus atque doloris expers, non exactus uero durus tumor est, doloris etiam expers sed omnino non insensilis, & si difficulter sentiatur &c.

Loci consentientes de scirrhi definitione & diuisione.

Gale 2. ad Glauc. cap. 4. Exquisitus scirrhus est tumor præter naturam insensatus durusq; non exquisitus uero non omnino insensibilis est, difficulter tamen omnino sentitur &c. Itidem habet quarto de uic. in morb. ac. cō. 21. & Paul. lib. 4. cap. 32. Auic. tertia quarti cap. ij. Apostema durum nominatum sephiros, quod purum est, est illud cui non associatur sensus neque dolor, & si remanet sensus quidam licet sit paruus, tūc nō est sephiros purū etc. lege insup Aet. ser. 15. ca. 3. ubi de Tumoribus induratis sermonē facit, et idēmet intelliges etc.

De causis scirrhi.

Causæ scirrhi, prout de alijs tumoribus dictum est, tres esse possunt, pro catarctica, ut uictus ratio, & quæcunque melancholiam crassumq; humorem generare apta sunt, antecedens causa est humor melancholicus ac crassus in toto corpore, ipso liene hepar non expurgante, receptus ac collectus, quẽ si non naturalis fuerit per se concretus ac lapidosus exquisitum scirrhum producit. At si per admixtionem aliorum humorum compositus fuerit, tunc non exquisitum scirrhum, sed uel phlegmonodem, uel œdematodem, uel erysipelatodem generabit, quod si per adustionem adhuc genitus sit, tunc cancrum & non scirrhum pariet. Verum si fuerit hic humor naturalis nihil horum, sed non exactum scirrhum tunc efficit. Causa coniuncta est humor melancholicus, siue humor crassus & glutinosus, in parte quacũque affecta impactus, qui contumaciter repugnans non nisi ægre solui potest &c.

Loci consentientes de causis scirrhi.

De causis primitiuis satis luculenter omnes ferè neoterici pertractarunt, in idq; unanimiter concurrunt, quod omne melancholiam ac pituitam generans causa sit primitiua scirrhi. Auic tertia quarti trac. 2 cap. ij. & sephiros aut fit a melancholia feculenta sola radicali, aut a melancholia commixta cum phlegmate, aut ex phlegmate solo quod induratum est &c. Gale. 14. meth cap. 4 Siquidem humor unde eiusmodi uitium nascitur, aut glutinosus est, aut crassus, aut utriusque rationis particeps, & in secundo ad Glau. cap. 4. Fit ex humore lento & crasso uix solubiliter induratis partibus infixo. quibus uerbis plane demonstrat non solum a melãcholia, ut in lib. de tumor. præter naturam fatetur sed etiam a pituita crassa & glutinosa scirrhum oriri posse, ut ipse Auicẽnas, in cæteris consule Ioannem Tagaultium Rasim in suo conti-

nenti, & cæteros practicantes, quorum libri ex his referti sunt &c.

De signis ipsius scirrhi.

Indicia scirrhi sunt tumor durus insensibilis tactui renitens, & cæteræ apparentes notæ, quæ melancholicum crassumq; humorem in corpore delitescentem demostrant. Cognoscitur etiam scirrhus cancerosus ex inflammatione, pulsatione, ac uenarũ in circuitu tumoris apparitione, Scirrhus etiã apparet paulatine, sed in dies fit maior, si fiat a melancholia, color eius est ueluti plumbeus ac liuidus, si uero a phlegmate, eius color ad corporis colorem uergit &c.

Loci consentientes de signis scirrhi.

Aet. ser. 15. cap. 3. Scirrhorũ uero nota est tumor pertinax & ad tactum renitens ei ad sensus difficultatem inclinat, ut tandem hi loci, in quibus est, sensus exortes fiant, & ad ossis duritiam perueniant, sed eo pili in ipsis oriri soliti minime nutriuntur & exacte glabri fiant &c. De scirrho canceroso loquitur Auic. tertia quarti cap. 2. ibi & quandoq; canceratur sephiros & propinquitas sephiros ad cancrum & elongatio eius ab eo est, secundum multitudinem inflammationis eius & paucitatem, & apparitionem pulsationis in eo, & occultationem eius & apparitionem uenarũ in circuitu eius &c. Quod autem scirrhus paulatine appareat, idem eodem in loco demostrauit dicens, & omne sephiros aut incipit apparere paulatim, & additur, aut conuertitur ex phlegmone aut erysipelate aut exitura in loco uacuo &c. Similiter de colore scirrhi loquutus est dicens & color qui fit ex melancholia est cineritius, aut si fuerit ex melancholia cum phlegmate admixta, color eius declinat ad colorem corporis &c.

De curatione scirrhi.

In curatione scirrhi consyderandum est, num tumor sit durus ac nullius omnino sensus particeps, an adhuc sensibilita-

tis uestigium in se retineat, primum, ceu illum, qui nullã curationem admittit intactum relinques, alterum uero triplici scopo, dum curationem aggredieris, sanitati restitues regimine uictus scilicet euacuatione, & eius quod præter naturam in particula continetur, ablatione, regimen in sex rebus non naturalibus sit calidum & humidum, in primisq; alimẽta euchyma sint, purum ac probum sanguinem generantia, eaq; fugienda sunt, quæ non modo crassum & glutinosum humorem uerum & melancholicum & nigrum sanguinem parere possunt, absintq; animi παθήματα ueluti sunt ira sollicitudo, curæ uestigia, uigiliæ &c Euacuatio totius corporis, plenitudine apparente, fiet uel per sectionem uenæ, uel per ea, quæ crassum humorem ac atrabilarem euacuare apta sunt, sicut diasenæ Diacatholicon, confectio hamech. Infusio senæ polypodij fumariæ item pilulæ de lapide lazuli, indæ, de fumoterræ uel cassia myrobalani indi &c. At si sanguis plurimæ nigredinis per totum corpus appareat. in primis sectio uenæ ualde erit oportuna, euacuato igitur corpore, tunc ad scirrhosum affectum cum iis quæ & discutere & eodem tempore emollire possunt curationem conuertas, nam si medicamentis quæ discutiunt uehementer & attrahunt in hoc affectu absque emolliẽtibus uti uolueris, id certo efficies, ut quod in eo erit tenuium partium discutiatur, quod uero reliquum est, lapidescat ac ueluti insanabile relinquatur, si uero emollientibus tantum utaris absque discussorijs, periculum etiam imminet ne scirrhus nimia duntaxat emollitione facta, in cancrum abeat, quare superest ut utrisque intentionibus eodem tempore scirrhus curandus sit. sunt autem ea quæ cum emolliendo etiam discutiunt a Gale enumerata, inter medullas ceruinam & uitulinam, inter adipes anserinum & gallinaceũ, inter resinas terebinthinam & laricinam. Emolliunt insu-

per ac discutiunt bdellium, galbanum, ammoniacum &c. Facit ad hanc rem sumopere cortex radicis althææ cum anserino & gallinaceo adipe in forma cataplasmatis appositus, At quia membra corporis alia alijs naturaliter sunt rariora ac densiora, idcirco etiam remedia sub diuersa specie applicanda requirunt, quippe induratis tendonibus ac ligamentis non tantum emollientibus auxiliamur, sed etiam aliqualiter incidentibus. Hoc modo primum in acerrimo aceto candentem ex igne lapidem pyriten siue molarem inijcito, facq; ut uaporem aceti adhuc calidum tendones primum suscipiãt, moxq; medicamentum quod emolliat, imponito. Verum ab initio particula laborans omnino perfundenda est oleo, non aqua, quippe oleum esse debet tenuium partium non adstringens, sed emolliens quale sabinum, aut id sit in quo fœnugræcum altheæ & syluestris cucumeris radices aut anethi comã incoxeris, peractáq; primum oleo tendonum emollitione tũc satius ac præstantius est posthac per aceti suffumigium curare, q̃ antea. nam si non idoneo tempore & per interualla aceti uapore utaris, non sic facilem curam ac a Galeno describitur, inuenies, in cæteris uero carnosis partibus, & ubi nõ est, ut metuas quod nerui uiolentur, tuto ac libere aceto medicaberis, nam in liene affecto ubi per emollientia medicamenta durus tumor emollitus sit, ammoniacum cum aceto liquatum maxime præstat, ac conducit &c.

Loci consentientes de curatione scirrhi.

Quod scirrhus insensibilis curam non recipiat, manifeste apparet ex Gale. 2. ad Glau. cap. 4. ibi. Scirrhus igitur insensibilis curam non recipit, itidem ait Paul. libro. 4. cap. 32. Quod autem triplici scopo curetur regimine euacuatione, et quod præter naturam in particula continetur ablatione, attestatur Auicen. 3. 4. cap. 12. oportet inquit ut de his apostema-

tibus illud curetur, cui est sensus, & sit sollicitudo curationis post mundificationem corporis cum eo quod educit humorem facientem ægritudinem, & fortasse est illa mundificatio cum phlebotomia, si est sanguis plurimæ nigredinis, & super illud sit, quod resoluit & lenit simul &c. Gale 14. meth. cap. 4. Curandi eius communis indicatio est, ut quod præter naturam in particula est totum euacuetur. Modus autem euacuationis eius proprius est, nam detergere id ubi contumaciter inhæret oportebit. quod si quis, ijs quæ uehementer trahunt digeruntq; medicamentis uacuare tentet, nec ijs quæ humectent & excalefaciant, molliet ac liquet, huic paucis primis diebus egregie processisse curatio uidebitur, cæterũ q̃d de affectu restabit, id insanabile erit, siquidem toto quod in eo tenuium partium erat digesto, quod reliquum est ueluti lapidosa concretio linquetur &c. Itidem aiunt Paulus, Aet. & Auic. & cæteri scriptores. Quod autem ea quæ cum emollien do etiam digerere possunt, huic apta sint, lege Gal. loc. cit. & 2. ad Glau. cap. 4. ibi, non igitur curandæ sunt partes induratæ medicamento immodice siccante, sed cum eo quod calorem habeat tepidum humiditatem uero nec multam nec omnino minimam. Quod enim superfluum humorem habet, nihil omnino dissoluit &c. Vocantur etiam inquit mollificantia medicamenta omnes medullæ atque adipes ex medullis primas obtinet ceruina deinde uitulina &c. Aet. Ser. 15. ca. 4. Quum uero partes quædam natura rariores, quædam densiores sint, consequens est, ut singula proprijs medicamentis priuatim opus habeant, quapropter ad tendines & ligamenta præstabilius esse iudico, ut mollientibus medicamentis aliquid adiungatur quod incidendi uires habeat, inter quæ præcipuũ est acetum &c. Gale. 14. meth. cap. 5. In aceto acerrimo candentem igni lapidẽ pyriten seu molare extinguo. deinde post

infusum lapidi acetum ascendente uapore calido in hoc dimoueri scirrhosum ligamentum uel tendonem cogo atq; exinde rursus medicamen quod emolliat impono, oleo tamen principio curationis non aqua omnino laborantē particulam perfundo &c. Vide hunc Gal. locum fusius & omnia a me superius exarata ad unguem inuenies. Quod itidem facit Gal. 2. ad Glau. cap. 4 ubi si quis curationem perfecte uoluerit intelligere, legere nō negligat cercylij pueruli historiam, nam ibi quid pluribus oporteat, Gal. satis luculenter docet &c. Quod uero in cæteris carnosis musculorum partibus scirrhosis, tutum sit aceti medicamentum, hoc idem innuit Gal. 14. meth. cap. 5. ibi, At in liene & carnosis musculi partibus scirrho affectis, tutus aceti usus est, quippe raræ sunt naturaliter, nec est, quod metuas ne quis neruus eius ui lædatur &c.

Obseruationes in balneis.

Auic. 3. 4. cap. 12. & oportet, ne multum utatur balneo, quoniam resoluit subtile & aggregat spissum, & nō potuerit ad hunc finem ut leniat spissum &c. Paul. lib. 4. cap. 32. a balneo aūt in totum ægri abstinebunt, uel certe copioso. Aet. ser. 15. cap. 3. a balneis tamen medicatis abstinentiam cōsulo præsertim, quæ alum. aut sulphuris, aut aeris qualitatē admixtā habent, etc.

Obseruationes in aceti administratione.

Gal. 14. meth. ca. 5. Aceti uis modo ea qs modice et debito tēpore utatur, salutaris eiusmodi affectibus est, ceu crassos humores dissecās ac dissoluens, sin uel immoderatius, uel in tempore non idoneo, tenuiores partes absumens, id qd reliquum est lapidescere sinit, sed siquis eo diutius utatur, substantiā ipsam neruorū delibauerit, ob id igitur sæpe nec inter initia, nec longo tpe medicamentis quæ ex aceto cōponūtur ad ligamenta et tendones, utendū est &c. Auic. 3. 4. cap. 12. & quum apostema est uehementis grosiciei, tunc non est excusatio ab aceto. ipsum. n. incidit & debilitate uirtutem membri, &

proprie quando est neruosum, quoniam est uehementius uacuum a materia, & dimittit eam causæ imprimenti deforis, uerum oportet, ut sit administratio aceti & intromißio eius in medicinis in fine rei non in eius principio &c.

Obseruationes circa humectantia & exiccantia.

Auic loc. cit. & reuolutio resolutionis cũ lenitate sit cum eo quod non exiccat plurimum & humectatiuum raro resoluit, oportet igitur ut sit gradus humectantiũ in caliditate ex secundo ad tertium, & in exiccatione ex gradu primo &c.

Obseruatio circa adipes & mollientia.

Auic. loc. cit. & oportet ne in istis adipibus, & eorũ similibus mollificantibus sit sal omnino, quoniam sal exiccat & indurat.

Obseruatio circa uacuationem.

Mes. cap. de melan. cano quidem est in ægritudinibus melancholicis, ut non bis uel semel, sed per interualla faciamus euacuationem talem habẽtem temperiem, ut natura poßit regulare euacuationem, non aũt euacuatio ipsam naturam &c.

Emollientes medicinæ ex Dioscoride.

Emolliũt adipũ medicinæ, bdelliũ, cinnamomũ, cypros, cistos, cera, cerussa chalcanthũ, calx uiua, œsypus, fœnugræcũ, gleucinum, ammoniacũ, irinũ, laurus, lana succida, linũ, lapis gagates, metopiũ, myrrha bacotica, medullæ animaliũ, naphea, palimpissa, panaces heracleõ, psylliũ. plumbũ elotũ resina, styrax uisum &c. Valent ẽt duritiebus mẽbrorum subsequẽtes medicinæ ex alijs authoribus. s. radix acori, althea cũ fœnugræco & melle, apiũ, balsamus, butyrũ, chamomilla, radix canabis, carnes uacinæ, caseus antiquus, braßica, cheiri, centaurium, cyclamen, cucumer asininus, helleborus niger, sex uini, caricæ, chamepithys, oxylapathum, lenes, lilium, lolium, malua, marubium, mellilotum, nigella, oleandrum, opopanax, pix propolis, raphanus, sapo, segapenon,

serpentaria, sisamum, sycomorus, stercora porci uaccæ cum aceto, triticum coctum, uitis alba, urticæ semina, iris hyperi=con, œsypi ceratum Democriti mes. Diachylon, hiera Andromaci, tyriaca magna, oxycroceũ, algete conf. Auic. prima qn. emplastrum Oribasij ex mes. empl. de melliloto, de styrace uiatici in.6 trac. oleum uetus anethi liliorum alborum amygdalarum dul. de capparibus, oleum irinum, benedictum, nic. ma=sticinum de ben. &c.

De pronosticis scirrhi.

Auic. tertia quarti cap. ij. & purum sephiros, quod habet colorem plumbi & est uehementis tentationis, & duritiei et fortasse super eum est lanugo quædam, hoc est illud cui nõ est sanitas, & est quoddam ex eo cuius color est color corporis, & permutatur de membro ad aliud, & nominatur ferinos, & est durum magnum, quod non sanatur, neque permutatur unquam, & quandoq; sephiros canceratur &c. Bac. in can=crum abit si imprudenter medicus nimiũ humectantibus usus fuerit, nam in habentibus symbolum inquit Aristo. facilis est transitus &c. Gal. 2. ad Glauc. cap. 4. Scirrhus exquisitus qui omnino sensu uacat, curationem non recipit, præterea duri=ties quæ a nimia corporis exsiccatione prouenit, penitus in=sanabilis est &cæ.

Auth. dissentientes circa scirrhum.

1 Adserere omnem scirrhum esse posse cum dolore.
2 Adserere scirrhũ substantiali differentia a cãcro differre.
3 Adserere cum Dino omnem scirrhum quod aliquem sen=sum habet & dolerem esse cancerosum.

Confutatio dissentientium circa scirrhum.

Ad primum Gal. 14. metho. cap. 6. Scirrhum nominamus tumorem durum qui sine dolore est, non tamen omnino sine sensu, idcirco scirrhus siue exquisitus, siue non exactus dolore

uacat, nisi forte cum phlegmone uel erysipelate coniungatur, quod rarum est. Ad secundum respondit Auic. secunda .1. ca. de ægrit. comp. quod neque multum distat quin differentia inter cancrum & duritiem existat per accidentia inseparabilia & non propter differentias substantiales &c. Hac intellige tu ac si diceret quod cãcer & scirrhus adeo affines sunt, ut differentijs substantialibus non differant eo quod uterq; ab eadem radicali materia oriatur, sed tantum accidentibus inseparabilibus, quæ sunt pulsatio inflammatio, punctio, dolor, & uenarum apparentia &c. quæ in scirrho, sicuti in cancro esse non possunt. Ad tertium. Non solum facit authoritas Gal. sed & Dino ipsa aduersatur experiẽtia, quum hoc fieri posit quod aliqui scirrhus inueniatur erysipelatodes, uel phlegmonodes, qui adhuc sensum & aliqualem dolorem retineat, sicuti in praxi quotidie uisitur, & tamen carcinodes non sit, idcirco Dinus sua pace dixerim, in hoc ualde decipitur &c.

De cancro & eius diuisione.

Quod a Græcis καρκίνωμα, siue καρκῖνος dicitur, & a latinis Cancer, a cancro scilicet fluuiatili ex eo nomẽ suscipiẽs, quod in colore & branchijs tenacibus similitudinem præ se ferat, est in duplici differentia, nam interdum sine ulcere & latens siue occultus dicitur, interdum cum ulcere, & in extimis plerũque partibus oboritur. Idcirco definiunt, quod cancer sit tumor inæqualis liuescens circum circa durus ac malignus sine ulcere, uel ulceratus cum dolore uel indolens, & in aspectu teter &c. Hocq; plures corporis partes occupat præcipue fœminarum locos & mammas oculos nares aures faciem labra palatum collum inguina splen & iecur &c.

Loci consentientes de cancri definitione ac diuisione.

Gal. 2. ad Glau. cap. 10. sæpe uidimus tumorem forma &

figura cancro animali consimilem. Nam quemadmodum in isto pedes ex utraq; parte corporis sunt, ita in hoc morbo uenæ distenduntur, ac figuram omnino similem cancro repræsentant. uide in hoc latius Auicennam.3.4 *cap.* 15.*ibi.* Videtur *quod apostema sit nominatum cancer propter unam duarum rerum, aut propter suã tenacitatem cum membro, aut propter formam suam &c.* Aet.*ser.* 16.*cap.*43. *Duæ sunt supremæ cancrorum differentiæ, quidam enim sine ulcere, quidam cum ulcere consistunt, qui sine ulcere sunt, ab omnibus fere ueteribus occulti appellantur, Philoxenus tñ cancrum occultum priuatim nominauit, qui in utero ac intestinis esset,* Bac. *simili sententia est* Gal.*apho.*6.*cõ.*38. *ibi. cancros occultos dixit, uel eos qui sunt sine ulcere, uel absconditos, hoc est nõ apparentes &c.* Paul.*lib.*6 *cap.*45. *Cancer tumor est inæqualis oris prætumidis aspectu teter, liuidus & indolens interim sine ulcere, quem latentem* Hip.*noĩauit, interim ulceratus etc.* Quod *circum circa durus & malignus sit hoc testatum reliquit* Gal.*in lib. finit. med. quem uidere poteris, quod autẽ fœminarum locos & mammas, & partes quascunq; corporis occupet, ultra* Paul. Cels.*lib.*5. *demostrauit dicens, id uitium fit maxime in superioribus partibus circa faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarũ, & in iecore, et in splene etc.*

De causis ipsius cancri.

Causæ primitiuæ cancri sunt, quæcunq; humorem melancholicum, crassum, ac adustũ generare possunt, causæ antecedentes sunt, succus crassissimus, siue atra bilis, quæ si citra feruorem fuerit cancros sine ulcere, at ubi acrior existat cum ulcere eos generabit. Causa coniuncta est ipse humor cancros actu efficiens etc.

Loci consentientes de causis cancri.

De causa primitiua uidetur aliqd tetigisse Gal.2. *ad* Gla. *ca.*10.*ubi in* Alexandria *inquit plurimos tali morbo corripi*

propter uictus modum & regionis feruorem. Comedunt.n. farinam elixatã et lentem et cochleas & plura salita et carnes asininas & alia quædã crassum, et atræbilis humorem generantia. hoc idem adserit 3. de temper. cap. 3. ibi. Gignitur non raro alijs ex uitioso cibo, alijs ex quapiam in ipso corpore corruptella &c. idẽmet etiam in lib. de atra bile ca. 4. legere poteris. De antecedente causa loquitur Auic. 3.4. ca. 15. ibi, cancer est apostema melancholicum de melancholia adusta a materia cholerica, aut in qua est materia cholerica cũ qua cõbusta est, non a pura fœculenta etc. Bac. ut intelligas Auic. scias uelim quod duplici modo atra bilis efficitur adusta, uel qñ in propria essentia aduritur, uel qñ ex adustione flauæ bilis nascitur. species autem atræ bilis, quæ a flaua bile uehementer assata generatur deterior satis est q̃ quæ ex sanguine crassiore originem trahit, ut Gal. 3. pronost. cõ. 29. demostrat, idcirco Auic. a materia cholerica, aut in qua est materia cholerica dixit, ut deteriorem melancholiæ speciẽ denotaret. Gal. 14. metho. ca. 17. Tenuissimus est humor qui herpetem exulceratum excitat, crassissimus qui cancrũ, et in lib. de Tum. præter naturam ca. 8. Verũ citra feruorem atra bilis cancros constituit, atq; eos cũ ulcere ubi hæc acrior fuerit. uide etiã illum in lib. de atra bile cap. 4. & omnes causas ad unguem intelliges.

De signis cancri.

Tumor cãcrosus non facile dũ adhuc incipit percipitur. nã adeo exigua atq; cõfusa sunt eius rudimẽta, ut facile uulgũ latere possint. incipiunt.n. cũ tã parua mole, ut uix ciceris, uel fabæ magnitudinẽ æquẽt, at quum magnus effectus sit cancer adeo euidens est, ut ne puerum quidem clam sit, tuncq; cognoscitur ex duritie, colore liuido inæqualitate uerucosa, & ex uenis in circuitu tumentibus, quæ modo instar pedum cancri animalis effigiem representant, modo minime uisuntur.

Hic tumor tactus prӕmenti digito renititur, interdum dolo-res late diffusos & pungentes infert, alias etiam in alijs eos non generat, plus etiam satis nigricat q̃ inflammatio cum calore tamen non ita ingenti, at ulceratus, purulentum uirus satisq; fœtidum effundit, & iugiter erodens cum cohiberi non poßit alta ac profunda penetrat labri q; prӕtumidis ulcera inӕqualia sordida & grauiter olẽtia prӕ se fert, quӕ uix nisi manus opera interciderit curationem admittunt.

Loci consentientes de signis cancri.

Gale.14.meth.c.19. Vitium quod modo describimus alias confusa exiguaq; quӕ uulgũ fortaſſe latere poßint, affert symptomata, alias ita uehementia & magna & cunctis euidentia, ut ne puerum quidem clam sint, quum autem adhuc incipit nihil miri est si uulgus lateat, non secus profecto q̃ styrpes, quӕ e terra iam exeunt, quando hӕ quoque peritis tantum agricolis cognoscuntur &c. Itidem ait Auic. *tertia quarti, cap.15. ibi, & in primis cum accidit est occultӕ dispositionis, & quando apparet in principio ambigitur eſſe eius, & est sicuti faba parua &c.* Gal. *in lib. de tum. prӕter naturam, cap.8. nigriores sunt colore cancri omnibus quӕ inflammatione infestantur, & minus calidi uenӕ in his replentur & tenduntur magis quàm in ipsis inflammationibus &cӕ.* Hoc *idem repetit cap.13. eiusdem lib. ubi inquit quod si atra bilis mordax fuerit, cutem circumpositum exedit, & uirus effundit.* De *cancro ulcerato habes plurima signa ex* Paulo *lib. 3. cap.67. ibi, exulcerato cancro prӕter dolores &c.* Auic. *loc. cit. & quandoq; reducit eum ad ulcerationem curatio eius cum ferro & ponit ei labia großiora & duriora &c.* Vide *in hoc latius* Aetium *ser.15. cap.43. ex* Archigene & Leonida, *& de cancro tam sine ulcere quàm ulcerato plura intelliges, ibi,* Cancro *itaque non ulcerato &c.* De *ulcerato autem*

inquit. At uero ulceratus aßidue erodit, et ad profundum suffodit, nec sisti potest, & saniem emittit omni ferarum uenenено deteriorem, copia & odore abominabilem &c. Vide etiam Cel. lib. 5. ibi circa locum aliqua quasi puncta sentiuntur &c. Gal. 2. ad Glauc. cap. 10. ubi in molem satis insignem attollitur, nemo sine manus opere potuit curare etc.

De curatione cancri

Curatio cancri non ulcerati trinas duntaxat indicationes in se continet, quarum prima est humoris, a quo uitium progreditur, euacuatio, Altera uero erit prohibitio (si fieri pōt ne de cætero humor atrabilaris generetur & in uenis colligatur. Tertia est ut locus affectus repulso ac discusso humore in eo præter naturam contento, sane integer restituatur. Vacuatio igitur ut pluries repetitum est, tum per sectionem uenæ tum per ea quæ humorem melancholicum purgant, fieri poterit. Sectio conueniet plurimū, si ætas uires & cætera huiusmodi permiserint, eiusque interdum uicem supplebit menstruorum ac hæmorrhoidarum euacuatio, si minus purgantibus medicamentis quæ atrambilem uacuandam faciant, (facta tamen aliquali præparatione) utemur, non erit igitur incongruum si in primis diebus simplici medicamento purgante quale est ipsum epithymū, uacuabimus. Nam quatuor eius drachmæ in sero lactis aut mulsa propinatæ, si tertio quoque die exhibeantur, maxime conferunt. Quod si hoc nō profuerit, nihil prohibet quo minus ad composita in hac re ualentiora te conferas, qualia sunt, quæ nuper in scirrhi capita demostrauimus quibus etiam annumerantur & hiera Ruffi et Medicamenta nonulla Gal. Auic. & Razes in capite de melancholia descripta, Interim ne illius regulæ mesues obliuiscaris, quod sensim blande & per interualla non semel & simul aflatim in hoc morbo uacuandum est. Secunda uero in-

dicatio, quæ ne humor melancholicus colligatur prohibet, ea ſanè perficietur, ſi in ſex rebus nõ naturalibus. nihil ſit, quod non refrigeret ac humectet. unde uictus ratio in primis frigida & humida inſtituatur. cibariaq; tum probi ſucci, tumq; tenuem ac probum ſanguinem generent, aſſumantur, cuiuſmodi ſunt omnes carnes auium exceptis paluſtribus, piſces petroſi, & ex oleribus malua, atriplex, betũ & cucurbitæ, ſed ubi caliditas loci ſuperabundauerit, & ſuccus ptiſanæ copioſus, & interdũ lactis ſerũ maxime proderit, tertia indicatio quæ humorem iã in particula contentum repellit ac diſſipat, certe abſoluetur, ſi primũ locus affectus dum totum uacuatur corpus, ita roboretur ac firmetur, ut ne quid redundantis humoris melancholici ad eum confluat, & ſi quid iam confluxit diſcutiatur, uerũ quia & ad diſcutiendum & repellendum materia inepta eſt, ſed contumaciter repugnat, idcirco medicamenta ea eligenda ſunt, quæ in reprimẽdo ac diſcutiendo mediocria ſint, & qualitate non mordicantia alioqui ſi uehementiora fuerint ac diximus, periculum eſt, ne materia in uenis cõtenta magis craſſeſcat & contumacior reddatur, nec mordicantia ſint inq̃ ne malignitas humoris ex mordacitate irritetur ac effrenet, conducunt igitur & ſolani ſuccus, & ex metallicis uſtis et elotis, tucia plumbũ, ceruſſa, & quæ ex his componuntur, ut diapompholix, diapalma, emplaſtrũ de cancris Auicẽnæ quæ niſi profuerint, tunc cancer aut blãdius ſatis placãdus eſt, aut per manus operã auferendus, aut nullo modo curandus erit. in exacerbatione igitur placandus eſt cũ emplaſtro, quod recipit roſas melilotum ſemen papaueris omnia cum paſſo trita coquito, & cũ uitellis ouorum mixta ſubigantur, proſunt etiam folia altheæ cocta & impoſita, ſimiliter cataplaſma ex folijs plantaginis ſemine papaueris & pſylij cum dactylis pinguibus & adipe anſerino ſubactum

utiliter adhibetur. Quod si cancer per medicamenta non cedat, si quando per sectionem eum curare ausus fueris, post totius humoris melancholici purgationem, id totum quod uitiatum est, abscindes, eo tamen modo ut nulla cancri radix supersit, & sanguinem eousq; fluere permittes, quo etiã te premente, uicinæ partes ipsum craßiorem detrudunt, moxq; cancrum aliorum ulcerum modo curabis, cancros uero occultos, nec per sectionem, nec ustionem tentabis, sed potius intactos eos relinques &c.

Loci consentientes de cura cancri.

Gale. 14 metho. cap 9. Communis indicatio est, ut humorem unde uitium est natum, illico uacues, mox prohibere potißimum si fieri potest, ut de cætero eiusmodi succus in uenis colligatur sin id fieri nequit saltem eum omnino ex interuallis euacuare, & simul particulam firmare, nequid humorum redundantiæ ad eam confluat &c. & sic tres sunt curandi indicationes. Auic. tertia quarti cap. 16. loquens de uacuatione dixit, & iam antecedat mundificatio corporis per solutionem uentris ex materia mala, & phlebotomia, & sumat in potu multis uicibus inter quas sint dies pauci quaq; uice quatuor aureos epithymi cum aqua casei, aut aqua mellis aut decoctionem epithymi in syrupo acetose &c. Gal. 2. ad Glauco. cap. 10. itidem habet ibi, quod si ætas & uires permiserint sanguis prius mittendus est, & menstrua in mulieribus euocanda &c hoc idem dicit Paulus libro. 4 cap. 26. ubi epithymum in sero lactis uel mulsa exhibitum laudat, & hieram quæ nigrum ueratrum recipit. De secunda intentione loquitur Gal. 2 ad Glauc. cap. 10. ibi, in uictus ratione succus ptisanæ abũdãter exhibẽdus et serũ lactis, ex oleribus malua attriplex, et bletũ, et qñ tẽpus tulerit, cucurbitis utẽdũ et piscibus

petrosis, & auibus omnibus exceptis palustribus &c. Paul. *libro.3.cap.67. cibus dabitur, qui facile in corporis membra queat distribui, boniq; succi, uinum paucissimum aquosum, acrium esus, & omnis repletio uitanda est &c.* De tertia intentione habes plurima ex Gal. 14 meth.cap 9. *ibi. post purgationem illud de omnibus eiusmodi affectibus est præceptũ, quod uel retro regerere humorem, qui in mẽbro procubuit, oportet, uel ipsum digerere. præterea quod in principio quidem tam in ipso purgationis tempore, quàm ante, id repellere, ubi iam totum corpus purgaueris digerere, ubi tamen mediocris purgatio tantum præcessit, mixtum esse quod applicabitur pharmacum ex repellente digerenteq; facultate conueniet &c.* Auic.3.4 cap.18. *quatuor intentiones circa curationem cancri docet, quæ sunt cancri destructio, prohibitio additionis, prohibitio ulcerationis, & curatio ulcerati. Prima fit cum eo in quo est resolutio eius quod collectũ est, & expulsio eius quod præparatum est ad colligendum in mẽbro, unde ex medicinis bonis laudat mineralia abluta sicuti est tucia &c. Prohibitio additionis fit inquit cum abscissione materiei & retificatione cibi, & confortatione membri cum medicinis repercussiuis notis, & laudat aquam coriandri & emplastrum ex agresta trita. Prohibitio ulcerationis fit cum ijs medicamentis in quibus non est mordicatio, & sunt terra sigillata bolus armena, oleum omphacinum, aqua semperuiue, cerussa cum succo lactucæ aut mucilagine psylij, aut emplastrum cum cancris fluuiatilibus recentibus cum clymia curatio, ulcerati fit cum panno in aqua solatri infuso, & quotiens exiccaeur madefiat desuper cum aqua eius etc.* Aet. ser.16.ca.48. *In exacerbationibus non ulcerati cancri rosas melilotum semen papaueris cum passo paulullum trita coquito, & cum uitellis ouorum subacta imponito &c.* Paul. lib.4.cap.26. loco

dolenti & præcipue in ulceratis cõmendat succum solatri cũ molli linteo impositum & medicamẽtum, quod ex pompholyge constat, Gal. 14. meth. cap. 9. Cæterum si quando cancrũ per chirurgiam curare audebis, expurgato humore melancholico, ubi totum quod uitiatum est, prorsus excideris, sicut nulla supersit radix sines effluere sanguinẽ, nec propere eum inhibebis, imo premendo potius quæ circa sunt, uenas exprimes ex his craßiorem sanguinem, mox alijs ulceribus similiter curabis etc. Quur aũt occulti cancri curari non debeant lege Gal. apho. 6. cõ. 38. & rem satis apte intelliges &c.

Obseruationes circa purgationem.

Halyabbas in purgando non eris unica euacuatione contentus, sed sæpe & sæpius purgare oportet, donec cognoueris materiam cancrum facientem esse penitus uacuatam, itidem ait Gal. 2. ad Glauc. ubi inquit quod tam diu faciendum est, donec sanitas pristina subsequatur, & ratio uictus optimos generans humores interim adhibeatur &c.

Cancro conferentia.

Conferunt cancro, alumen cum lumbricis, puluis antimonij, cinis cancri marini cum plumbo cancer fluuialis cum melle, stercus capræ cũ melle, caulis crudus sæpe appositus, chelidonij radix, cerefoliũ cũ melle, succus et semẽ dragantеæ, helleborus niger, caricæ pingues tanq̃ singulare remediũ non ulcerato, multipeda cũ terebinthina, nasturciũ cum albo oui et aceto, oleũ de iunipero, de fraxino, passulæ cũ ruta, plumbũ cum oleo, lac tytimali, serpentaria, urticæ semen, unguentum Arabicæ de uzifur Auic. cera lota, hieralogodion, hiera Razes, confectio hamech, decoctio epithymi, pilulæ de fumoterræ, de lapide lazuli, diasenæ.

De pronosticis cancri.

Aet. ser. 16. cap. 44. Cancros in pectore obortos omnino

deploratos esse scito, quemadmodum & eos qui in capite collo, humeris, sub alis & inguinibus generantur. sunt enim incurabiles, nam præterquam quod perfecte tolli non possunt, sanguinis eruptionis timor incumbit ne ex ea æger inter manus pereat, eos uero qui summitatem pupillæ occupant, affectæ partis sectione facile curaueris &c. Cels lib 5 non idem periculum carcinoma affert, nisi imprudentia curantis agitatum est, & paulopost subdit, neq; ulli unquam medicina profecit, sed adusta protinus concitata sunt, & increuerunt, donec occiderent, excisa etiam post inductam cicatricem tamen reuerterunt, & causam mortis attulerunt &c. Gal 2. ad Gla. cap. 10. Intentio est tumorem præter naturam, qua partibus sanis adhæret abscindere. sed ob uasorũ magnitudinẽ, quum præsertim fuerint arteriæ, profluuij sanguinis statim periculum imminet, quod si laqueis eas circumprehendas συμπάθειαι insequuntur, si autem & morbi radices exurere statu is, neq; huic rei maximum periculum deest, quum prope loca mortalia fit insignis adustio &c. Hippo. apho. 6. apho. 38. Cancros occultos omnes melius est non curare, curati enim cito pereunt, non curati uero longius tempus perdurant. Bac. Cancros occultos uocat, qui in penitioribus corporis partibus latent, sicuti in palato, in sede, & in sinu muliebri, quos nec sectione, nec ustione, nec aliter curandos consulto dixit, siquidem isti medicamẽtis, uel aliter irritantur breui homines interimunt &c. Paul lib. 4 cap. 26. Hoc malum planè propter succi craßitiem non consanescit, utpote, quod nec repelli, nec discuti queat, nec totius corporis purgatione cedat, tãq; maleficum est, ut mitiora negligens remedia, uehementioribus irritetur & excandescat &c.

Auth. dissentientes circa cancros.

1 *Adserere cancrum de uno in alium locum mutari.*

2 Adserere,

2 *Adserere cancros qualescunq; sint non esse curandos.*

Confutatio dissentientium circa cancros.

Ad primum dicit Gal. in lib. de tumor. præter naturam capi. 8. quod humor qui cancros gignit, ob sui craßitiem, non ex uasis in circumiectam carnem delabitur, hoc est de uno in alium locum non mutatum. Obiectio. *Alterius opinionis fuiße uidetur Ouidius Quum expresse dicat*

Vtq; malum late solet immedicabile cancer
Serpere & illæsas uitiatis addere partes.

Serpere. n. non potest cancer, nisi de loco ad locum mutetur. Respon. *Serpere hic accipitur pro paulatine crescere, si quidem cum cancer incipit, paruus est, moxq; adeo crescit ut ingentem locum occupet, sed locum non mutat. Ad secundum Gal. 2. ad Glau. cap. 10. inquit, quod cancrum in principio sæpe sanauit, & tunc præsertim quum atræ bilis humor admodum crassus uidebatur existere, nam sic purgantibus medicamentis ex quibus sanitas sequitur, prompte succumbit.* Obiectio. *Quo modo hoc fieri potest, quum Albucasis uir in hac re non spernendus dixit se non potuisse sanare aliquem, nec alium quemquam uidisse, qui ad id peruenerit?* Responsio. *Cancer dum incipit, si in loco corporis existat, in quo poßit fieri eius eradicatio, nec de incisione uenarum ingentium uel neruorum timor sit facile curatur, & de hoc non intellexit Albucasis, sed de cancro maligno ac confirmato cũ dixit, & quando antiquatus & confirmatus fuerit, non oportet, ut appropinquetur ei &c. cuius rei dubium nemini est, quod non curetur.*

De inflationis definitione ac diuisione.

Quod a Græcis ἐμφύσημα *siue alio nomine* ἐμπνευμάτωσις, *& a latinis inflatio dicitur, excrescentia quædam est tumori similis a flato inspirato concepta qui modo sub cute, modo*

ſub pelliculis oſſa & muſculos contegentibus colligitur interdum circa uentriculum inteſtina peritoneum, oculorũ palpebras & teſtium ſcrota ſubigitur &c.

Loci conſentientes de inflatione.

Nomen emphyſema idem fere ſignificat ac ſi diceres excreſcentiam, quæ non aliter q̃ ſiquid cum oris ſpiritu impleretur, prouenit, ſed de hac re uberius legere eſt Gal. in libro iſagogico, ubi ἐμπνευμάτωσις inquit eſt excreſcentia oculi ſimilis tumori, & fit cum oculus tumefactus maiorem contraxerit pallorem & inflationem &c. Obiectio. Differt ne emphyſema ab empneumatoſi? Reſpon. Differt tantum ratione loci & non materiæ, quippe emphyſema in locis abditis clam deliteſcit, empneumatoſis uero palam omnibus ſeſe patefacit, uterq; tamen affectus a flatuoſo ſpiritu naſcitur. Paul. lib. 4. cap. 28. inflatio ex flatuoſo ſpiritu nunc ſub cute, nunc ſub membranis quæ oßibus circundantur aut muſculos, aut aliquod uiſcus includunt, collecto, naſcitur etc. hoc idem ait Gal. 14. meth. cap. 7. & ſubdit, porro colligitur aliquando & in uentriculo & in inteſtinis, et in medio horum ſpatio & peritonei &c. Itidem habet Aet. ſer. 15. cap. 2. & ita ſentit Auic. tertia quarti, ubi de apoſtematibus uentoſis mentionem facit. Vide etiam Gale. 4. de uic. in morb. ac. cõ. 21. ibi inflatio bifariam eſt, nempe collecto in quibuſdam cauitatibus uel ſenſui expoſitis &c.

De cauſis inflationum.

Cauſæ inflationum effectrices & primariæ ſunt quæcunque natura flatuoſa ſunt, ſicut legumina aqua &c. Cauſæ uero antecedentes ſunt calor parum ualidus cibos uel humores pituitoſos reſoluere non ualens uel ipſe cum ſuapte natura in flatum tranſeat id, eoq; fit, ſi calor uel extremæ imbecillitatis, aut nimium potens non fuerit, ſed quodãmodo inter has

affectiones medium obtineat. Causa retenti flatus est uel crassities membri, uel constipatio pororum eius, aut quia flatus nimis ex se crassus & nebulosus exire a membro absque medici ope non potest. Causa coniuncta est ipse flatuosus spiritus in aliquo membro inclusus.

Loci consentientes de causis inflationum.

De causis proegumenis consule neotericos practicantes. nam frustra esset omnia in unum congerere, de causis antecedentibus loquitur Gal. 6. de sympt. cau. cap. 2. ubi spiritum uaporantem in uentriculis oriri inquit, quum uel humores pituitosi, uel cibi ab imbecilli calore in uapores resoluuntur, & paulopost subdit, quod calor in cibos agens si parum ualidus fuerit, ut eos quodammodo dissoluit, ita omnino non conficit, atque hinc flatus siue spiritus exoritur, atque hoc fieri inquit, si neq; calor per extremam imbecillitatẽ, neq; cum uehementes sunt ei uires, sed quum medium inter has affectiones obtinet. De causis retenti flatus lege Auic. tertia quarti, ca. 19. ibi. Retinetur propter spißitudinẽ suam & craßitiem, aut propter eius quod continet craßitiem & pororum constrictionem &c. Paul lib. 4. ca. 28. Membrorum autem densitas tum spiritus simul craßities efficit, ut idem spiritus non dißipetur &c. De causa synectica habes locos ex Gal. & Paulo & Aetio in locis supra allegatis, quos ipse consulito. Auic. tertia quarti, cap. 19. De apostematibus uentosis aliud fit a uapore leui & similatur æstuationi, aliud fit a uapore uentoso & cæ. Bac. hic locus Auicennæ adeo deprauatus est, ut uix poßit intelligi quid pro æstuationis uocabulo inferre uoluerit, nã antiquus codex habet æstuationi gentilis, excitationi, Andrea Bellunẽsis althebegi. reddit rationem gentilis quod excitationis uocabulo usus sit Auicennas, quod pro specie œdematis Razes. 13. cont. frequenter habet, significareq; dixit eleuatio-

nem, quæ in cachexia fieri solet, sed quo modo hoc in malo habitu cum sit leuis uapor ut supra, eleuationem pariat ut ipse gentilis refert, adhuc imaginari non possum, leuis siquidem uapor facile discutitur, nec præuiam dispositionem præbet ad hydropem ut cachexiæ nomine demonstratur, nec etiã possum capere, quo modo apostema flatulentum æstuationi, id est feruori ut sonat uocabulum, aßimiletur, idcirco nec codex antiquus in hoc mihi satisfacit. Demum quicquid sibi uelit Andreas Bellunensis pro althebegi tametsi plurima Arabum nomina perscrutatus fuerim, adhuc diuinare non potui. Scio tamen inter Arabica nomina inueniri alterbel, quod ab aliquibus interpretatur inflatio accidens in extremitate, ab alijs quod sit inflatio ex permixtione uaporum cum substantia membri, quicquid horum fuerit, certo mihi magis arridet, quàm altera interpretatio. Quod si impressoris uitio hoc factum sit, ut pro alterbel, legatur althebegi, non castigationi Andreæ, sed potius typographo adscribatur.

De notis inflationum.

Inflationes facile deprehenduntur ex tumore tactui renitente, nam dum inflatio comprimitur non minus ac uter inflatus comprimentis tactum impellit, nec impreßionis uestigium posthac relinquitur. Interdum etiam dum percutitur sonum instar tympani elidit. luceßitq; locus inflatione affectus, & quandoq; per totum corpus modo huc, modo illuc flatus impellitur, iuuaturq; æger maxime si ructum uel crepitum tunc emittat &c.

Loci consentientes de notis inflationum.

Gal 14. metho. cap. 7. Differunt inflationes ab œdematis, quod pressæ digitis non retinent uestigium, siue μὴ βοθροῦσθαι, & sonitum ueluti tympanum reddunt &c. Auic. tertia quarti cap. 19. & est ei impulsio & uicißitudinaria acceßio, &

& fortasse causat sonitum percussio ipsius cum manu et proprie quando inuenit spatium ad quod aggregatur, sicut stomachus & intestina &c. Vide in hoc latius Aet. ser. 9. cap. 27. plura signa recitantem ex Archigene, præsertim si partes stomachi inflatio occupet, nam nimis longus forem, si omnia ad unguem recensere uoluerim, nec esse possum ut ille pingens in paruo totum uolumine mundum, in fine tamen inquit Aet. quod ægri leuantur alimento inferne subeũte, et flatibus per ructus siue per intestina exclusis &c.

De inflationum curatione.

Inflationes una duntaxat indicatione remouentur, quæ curationis omnium communis est, ut id quod præter naturam in quocunq; loco fit, euacuetur. Sed particulariter tribus potissimum scopis curari solent, quorum primus est caloris imbecillis roboratio. Secũdus est materiæ crassæ & flatuosæ extenuatio. Tertius est densitas meatuum corporis reseratio. At hæc minime firi possunt, nisi & recte uiuendi norma tradatur, efficiaturq; interim ut proba concoctio euadat, ac flatulenti spiritus materia fouens extirpetur. Fugiẽda igitur quàm primum sunt omnia crassa flatuosa humida, cruda, ac uiscosa, ut legumina castaneæ fructus &c. quorum loco subeant calida attenuantia ac flatum discutientia, porroipsa concoctio proba efficietur, si uirtus concoctrix cum rebus aromaticis, quale est aromaticum rosaceum, Diacuminum &c. roboretur, uel si ea extrinsecus admoueantur, quæ hoc idem poßint efficere, ut oleum de spica de absinthio de mentha, & quæcunq; simul & semel flatus discutere & concoctionem adiuuare apta sunt, at in extirpatione materiæ flatum efficientis maior satis opera danda est, quàm in reliquis siquidem uarietas loci affecti, ac flatuosi spiritus craßities et tenuitas, aliã atque aliam curationem exposcunt. Si igitur flatus in intesti-

nis contineatur, satis constat hunc ex uitiato uictu fieri, idcirco purgatis per clysterem primum intestinis, per ea quæ attenuant ac calefaciunt, quales sunt irrigationes ex oleo, in quo ruta & absinthium bullierint, flatum discutito, confert etiam atque etiam cucurbitula absque scarificatione admota, at si in musculis ex contusione inflatio retenta sit, non calidis et acribus (ne inflammationes uel dolores irritentur) tollenda est, sed ijs duntaxat, quæ mixtas facultates habeant, in principio igitur mitigatoria, & in declinatione discussoria adhibebis, ita tamen ne ab alteris ad altera repente transeas, sed detractis paulatim mitigatorijs discussoria augeto &c. Mitigatoria sunt sapa æsypus oleum &c. Discussoria sunt lixiuium, acetum, nitrum &c. Quod si inflationes antiquatæ fuerint, primũ lixiuio utitor, mox ijs, quæ molliunt & discutiunt etc.

Loci consentientes de curatione inflationum.

Gale. 14. meth. cap. 7. Indicatio curationis omnium communis est, ut quod præter naturam est euacuetur. in quocunq; id contineatur, propria uero post hanc communem est ut tenuissimis & calidis potestate medicamentis utantur & cæte. Quod uero tres particulares sint scopi, habes ad hanc rem iuxta omnes neotericos practicantes communem sententiam. Paul. lib. 4 cap. 28. loquens de curandi intentionibus dixit huc curandi ratio dirigenda est, ut membra rarefacies crassioremq; spiritum extenues &c. Aet. ser. 9. cap. 27. Cibus autem ipsorum diuidatur, ita ut in prandio tertiam, in cena uero reliquas duas acipiant partes, fructuum atque olerum humidorum esum semper habeant suspectam, & multum potum deuitent &c. Lege in hac re Guidonem de cauliaco tra. 2. ca. 4. & quæ fugienda sint circa uictum, quæue assumenda, longa satis digressione ab ipso intelliges, Ioannes de Vigo lib. 2. ca. 13. inquit, quia inflatio non fit, nisi per errorem cõcoctricis fa-

cultatis, ideo utilißimum esse uirtutem cōcoctricem cum aromaticis speciebus roborare. De flatu in intestinis contento, et de eo qui in artubus & musculis sub cute latet, satis fuse loquitur Gale. 14. meth. cap. 7. ibi, atque in uentriculo & uisceribus, oleum quod tenuium est partium, quodq; rutam habet incoctam id præstabit &c. & subdit aliquando uero cucurbita magnæ, bis, ter ue sine incisione medio uentri affixa prodest &c. lege uberius hunc generali locum, & inuenies quæcunque a me pridem exarata sunt, itidem habet Auicennas tertia quarti cap. 20. nec ulla in re a Galeno discrepat. idē sensit Paul. & Aetius ser. 15. ca. 2. ubi inquit, at uero musculis ex contusione inflatis ex calidorum & acrium usu partes exacerbantur, & auctis inde inflammationibus musculi magis læduntur ac dolores intenduntur, mixtas itaque facultates habere oportet &c. uide illum si habeat. Sic Gale. loc. cit. Debēt enim contusi musculi leniri medicamento, cui mixta facultas sit, quæ simul concoquit, digerat, & modice adstringat &c. & reddit rationem huius adstrictionis, quia inquit si nil adstrictionis tale medicamentum habeat, auget aliquādo phlegmonas maxime in his corporibus, quæ sunt plethorica &cæ. Paul. lib. 4. cap. 28. Quare per initia medicamenta, quæ magis leniunt adhibenda, ubi facta est inclinatio ea, quæ digerunt &cæ. Gale. loc. cit. Quæ uero huius generis inflationes inueterarunt, primo ea quæ ex lixiuio componuntur adhibeas. Secundo loco hoc emplasticum, quod ex sordibus gymnasiorum percolatis, & una cum calce uiua ad luti craßitudinem admixtis componitur &c. Itidem habet Paul. similiter Auicennas & Aetius, hoc idem remedium commendant, quos legere poteris &c.

Inflationes facientia ex Dioscoride.

Inflationes pariunt allium, capparis, glans, castaneæ, la-

ſerpitium porrum, bulbus eſculentus.

Inflationum remedia ex eodem.

Inflationes diſsipant aſpalathus, amygdalæ amaræ, abſinthium, aniſum, anethum, anthemis, althea, coſtos, cicer, cyminum, eryngion, epithymum, elenium, hyſſopum, hieraciō maius, iuncus odoratus, iuniperus, lac, liguſticum, hordeum, ocimum, peucedanum, rapa ſylueſtris, rhaponticum, triticum thymoxhalme, urtica, uinacei, uinum chamædryite uinum ab ſinthite & cæte.

De pronoſticis inflationum.

Faciunt ad earum præſagia ſatis apte quæcunque infraſcriptis aphoriſmis ab Hippocrate *deſcribuntur, quum de inflatione, quæ a ſpiritu flatuoſo progignitur, intelligi poſsint,* Hippo. apho. 6. apho. 40. *Quibus dolor circa ilium fit abſq; inflammatione, iis febris ſuperueniens ſoluit morbum. & apho. 7. apho. 53. Quicunque hepar circumdolent, iis febris ſuperueniens dolorem ſoluit,* Bac. ex hoc Gale. loco *conijcere poteris eos qui inflammatione intrinſeca laborāt, neceſſario febricitare, unde per uerbum ſuperueniens, etiam declaratur ab* Hippocrate *nullam fuiſſe antea inflammationem &c.*

Auth. diſſentientes circa inflationes.

1 *Adſerere inflationes eſſe ſecandas.*

2 *Adſerere, ab inflationibus dolorem non poſſe effici.*

3 *Adſerere, inflationes quaſcunque a ſuperueniente febre diſſolui.*

Confutatio diſſentium circa inflationes.

Ad primum reſpondet Gale. 4. *in morb. ac. cō.* 21. *dicens, eos importune facere, qui tumores præter naturam in muſculis ſecant, tanquam pus in imo reperturi, ſed nihil aliud præterquam ſpiritum, qui totam per carnem minutatim diſſeminatus eſt, uel thrombos, uel humiditatem uiſcoſam inue-*

nerunt, & sic talem sectionem tanquam inutilem ualde reprobat, quod itidem Auicennas dixit tertia quarti, cap. 19. ibi, & quandoque existimat homo quod sit apostema indigens perforatione, quare perforat ipsum & ingreditur uēto sitas tantum &c. Ad secundum Gal. apho. 7. cō. 53. inquit quod hepar uehementer dolet tum propter inflationem, tum propter spiritum flatuosum, & sic ab inflatione etiam fit dolor, imo ibi subdit Gale quod dolor uehemēs propter flatuosum spiritum accidit. Ad tertium uidetur ratio & experientia in contrarium posita, nā tympanitis quæ a flatuoso spiritu oritur, tantum abest, ut a superueniente febre soluatur, quod etiam magis ab ipsa augetur. itidem dolor colicus, & quæcunq; a copioso spiritu flatuoso proficiscuntur, quinimmo spiritus flatuosus ipse nullibi a febre dissoluitur, nisi calor febrilis illius causam superet, & sic non omnes inflationes dissoluuntur a febre, sed hæ duntaxat, quarum causa minor satis est febrili calore & cæte.

IOANNIS BACCANELLII DE CONSENSV MEDICORVM in cognoscendis Simplicibus Liber.

Quo modo simplicium facultates cognosci posſint.

Dictum est a Gale. in secundo de simplicibus medicamentis, quod in expendendis simplicium facultatibus, neq; odoribus, neq; coloribus, neque similibus accidentibus fidem adhibere studeamus, sed ijs duntaxat, quæ tum in sanis, tum etiam in ægris corporibus perspicuo apparent. Non odoribus inquit quia simplicium temperaturas his

medijs assequi non possumus, tanquam eorum multa sint, quæ odorem, ceu crassam essentiam obtinentia, non habeant, sed et si qua sint odorata, etiam de his, ob inæqualitatem eorum substantiæ, non certo iudicare poteris, quum corpora dissimilari esse substantia a Galeno per rosæ exemplum alias demonstratum sit, multoq; minus ex colore certum quid de temperaturis habere possumus, cum tam calida & frigida quàm humida & sicca in singulis coloribus reperiantur. Erit igitur uia quasi regia, si per experientiam facultates simplicium inueniamus, hæcq; haberi non potest, nisi eorum uirtutem per gustum, (pleraque enim indicat gustus) prius inuestigauerimus, nam omnes gustabilium corporũ particulæ dum in linguam incidunt, singulæ pro sua natura, sensum mouent, quo fit ut omnia de temperaturis ex gustu facile conijcias &c.

De odoribus.

De odoribus nihil in præsentiarum dixerim, cum ita diuersas eorum definitiones inueniam, ut uix sciam, quid certi explicem, aliqui enim aiunt odorem esse naturam sicci euchymi, aliqui quod odor sit fumalis euaporatio quod de mente Aristotelis astruere conantur, sed falso, quum odorare non solum animalibus terrestribus, sed etiam piscibus ab ipso Aristotele tribuatur, qua ratione fieri non potest, ut ipsa fumalis euaporatio, cum sit terræ & aeris peculiaris paßio, in aqua generetur, quare alij melius suo modo definientes, dixerunt odorem esse uaporosam diffusionem, quam rursus definitionem, Auerrois ualidißima ratione confutat, quam longum esset recensere, sat tamen nunc sit intelligere, quod hæc uaporosa diffusio potius ad odoris causam se extẽdit, quam ad ipsam definitionem, sicuti ex Auicenna secunda primi, cap. 3. intelligi potest, cum dicat, Plurima causa in propinquitate ad uirtutem odorandi est substantia subtilis uaporosa, pro qua re uide

problematum sectionem duodecimam probl. 10. ubi inquirit Arist. utrum odoris natura fumus sit an aer an uapor, uide etiam de sensu & sen. post medium, & secundo de anima, et inde odoris definitionẽ forte capies sat nobis sit, si medice dixerimus odorata esse plerunque tenuia & calida & si tenuitatis & caliditatis quantitas haud nobis nota sit, ut Galenus ubique fatetur &c.

De saporibus & eorum definitione, ac diuisione.

Sapor iuxta Aristotelis placitum, est paßio gustus a terrestri sicco & humido. secundam alteratricem potentiam ad actum deducta, & fit teste Aueroe ex comiscella partis siccæ cum parte humida, ubi præcipue aliqua ex calore præcesserit concoctio. Hic potest considerari trifariam, uel ratione primarum qualitatum, uel ratione ipsius substantiæ illas deferentis, uel ratione ipsius sensus gustus. Primo modo saporum alij dicuntur calidi, sicut salsus in secundo ordine, amarus in tertio, acris in quarto, alij sunt frigidi, ut acidus in secundo, stypticus in principio tertij, acerbus siue intense austerus in principio quarti, alij sunt medij, sicut oleosus, siue pinguis, dulcis, & insipidus, quãquam dulcia, iuxta Galeni dogma inter calida, sed non urentia reponantur.) Ratione substantiæ adhuc tripliciter, quia ex tenui substantia, acris & acidus sapor proficiscitur, ex crassa. Austerus quem ponticum uocant, & amarus ex media plures oriuntur sapores secundum magis & minus distincti, siquidem pinguis & insipidus primum, deinde dulcis, mox salsus, & nouißime omnium stypticus, id est adstringens oritur ratione sensus gustus, quia sapor uel gustui insipidus, uel delectabilis, uel omnino abominandus sese offert, insipidus cum sapore careat, tunc non nisi improprie sapor dicitur, sicuti sapor pituitæ & cucurbitæ, uerum insipidus etiam dici potest, si formam saporis habeat, nedum tamen ad opus

deductam Sapor delectabilis is est qui nullo modo gustum offendit, sed potius ei suauiter delectat, At abominandus is erit sapor qui uel nimium salsus, Amarus, acris, acerbus, aut qualitercunque fuerit partes gustus disgregans, Erunt igitur sapores iuxta cõmunem omnium opinionem numero octo, Nam Gal. & si septem tantummodo enumeret id sane intellexit, citra insipidum. similiter Aristoteles septem esse dixit, licet in enumerando postea esse octo concludat, Plinius lib.15.cap.27 esse decem adserit, & sunt dulcis, suauis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus acerbus, acidus & salsus, Nec discrepat a Galeno. siquidem iuxta Galeni dogma idem est Austerus adstringẽs & Acerbus, nec inter se differunt, nisi secundum magis & minus, unde 4.meth. cap.7. Id uoco inquit austerum quod styphon .i. adstringens, acerbum uero, quod intensum austerum est, Et scito quod Aristoteles uoluit ex Amaro & dulci tanquam extremis omnes sapores componi, quod itidẽ de coloribus ex albo et nigro fieri intellexit.

De actionibus qualitatum gustus.

Qualitater igitur gustus erunt. Adstringentia, Acria, Amara, acida, dulcia salsa. Oleosa, & Insipida. Quarum actiones singulas nunc exarare sane oportunum Adstringentia ergo quia terrestria & frigida sunt, ideo contrahunt constringũt, densant, repellunt, incrassant & refrigerant exsiccado, Acria uero quia ignea, extenuant, incidunt, diuidunt perpurgant, ex calefaciunt attrahunt & digerunt Amara, quæ terrestria tenuia sunt, perpurgant meatus, abstergunt extenuant, incidunt humores crassos absque manifesta caliditate, Acida tenuia frigida, extenuant, incidunt, perpurgant, refrigerant ac repercutiunt Dulcia calida non urentia, concoquuut, laxant, rarefaciunt, Salsa terrestria calida, Constringunt, contrahunt, seruant condiendo, & desiccant citra manifestam caliditatẽ ue

frigiditatem, oleosa aquea & aeria, humectant emolliunt, & laxant, insipida uero eo quod sunt aquea, cogunt incrassant cōtrahunt constringunt extingunt & obstupefaciūt etc.

De tertijs simplicium facultatibus.

Iam ex dictis qualitatibus hæ plerunque facultates pullulant, quæ sunt, emollientia, pus mouentia, indurantia siue exsiccantia, laxantia, emplastica de obstruentia, abstergentia, aperientia, & rarefacientia, condensantia, constringentia, attrahentia, repellentia, anodyna, diaphoretica, catharetica, escharotica, epulotica, lac proritantia, menses citantia, urinam cientia, et sputum facilitantia & reliqua, ad quæ singula nostra iam iam conuertatur oratio &c.

De emollientibus & pus mouentibus.

Emollientia & pus mouentia utraque calida & humida sunt, differunt tamen quia suppurantia similimum corpori calorem & humiditatem habent, mollientia maiorem, quàm pro natura requiritur, calorem & humiditatem, præterea suppurantia in nostris corporibus ultra quod similem calorem obtinent, etiam existentem in eis humiditatem conseruant, at mollientia præterquam quod calidiora sunt etiam in partibus existentem humiditatem desiccant.

De indurantibus & exiccantibus.

Indurantia quum duplicem habeant substantiam terrenam & aqueam, ut portulaca psyllium solanum &c. ex humido frigidoq; temperamento constant, non humido simpliciter, sed potius medium obtinent, ex pugnantibus facultatibus exiccantibus scilicet & humectantibus compositum, nam indurant absolute quæcunque refrigerant & desiccant, dicimus tamen durum esse corpus quod ex congellatione durescit, sicuti siccum quod natiuum humorem non retinet, nam dura fiunt aut ex resiccatione, aut ex congelatione, aut ex nimia

impletione, aut demum ex harum coniugatione, exiccantur corpora citra congellationem in ualidis exercitijs in sole feruenti, ex inedia ingenti, in febre ardenti, & in medicamentis, quæ ita ſiccant, ut non refrigerent, congellantur corpora a uehementi frigore, implentur a largi tantum humoris afsluxu, quæ igitur ex reſiccatione dureſcunt, ea ſanè humectatione curantur, quæ ex congellatione per calefactionem, quæ ex nimia impletione, per inanitionem, quæ ex horum coniugatione per humectationem, & calefactionem &c.

De laxantibus & tendentibus.

Laxantia proueniunt ex immodice humectantibus ſicuti tendentia ex de ſiccantibus & refrigerantibus laxantium igitur remediarum, aliæ humectant, alia calefaciunt, alia emolliunt, alia euacuando ac purgando laxare ſolent.

De Emplaſticis.

Emplaſtica media in caliditate & frigiditate collocantur, horum quædam terreſtria ſiccãtia ſine mordacitatè ſunt, ut exacte lota calx, ceruſſa pompholix amylum, cadmia, terra cretenſis, cimolio chandrus &c. Nonnulla ſunt terreſtria & aquea, ut albumen oui, nonnulla aeria ut butyrum oleum dulce, ſuillus adeps, & cera elota &c. Vocantur emplaſtica quæcunque medicamenta ſua craßitie ac lenticia meatus corporis obſtruunt.

De deobſtruentibus & abſtergentibus.

De obſtruentia meatus & intima, quibus στεγνωτικὰ aduerſantur, calida ſunt & tenuium partium, ut nitroſa & amara, cutim uero & ulcerum ſordes abſtergentia pleraq; ſunt dulcia & tenuium partium, ut mel, uel ex cerealibus ſeminibus, eruum, faba, hordeum, lupini &c.

De aperientibus & rarefacientibus.

Aperientia quæ ἀναστομάτικα dicuntur, & rarefacientia ſi=

κε ὀἱραιωτικὰ inter se differunt, nam quæ meatus cutis reserant rarefacientia diuinus quæ uasorum ora aperientia, rarefacientium natura tum modice calida tum minime desiccans, tum tenuium partium erit, aperientium uero crassarum partium, tum acris & mordax, nam aperientia sunt acria et terrena ut cyclaminus cepe, fel taurinum &c. Rarefacientia ut chamamelum althea oleum ex cucumere agresti.

De condensantibus.

Condensantia siue πυκνωτικὰ sunt quæcunque refrigerant et adstringunt, ut semperuiuum portulaca. psyllium, lenticula palustris, mandragora, cicuta, altercum papauer, quæ stupefaciendi & enecandi uires habent, si his plus quàm ratio expostulat usus fueris.

De constringentibus.

Constringentia crassarum sunt partium & frigida et aperientibus aduersantur, nempe eorum essentia est terrena & frigida, hinc στεγνωσις idest cutis constipatio, quæ fit uel meatibus obstructis, uel illis ipsis densatis, cuius curatio habetur a Paulo lib.1.cap.21.

De attrahentibus.

Attrahentia sunt calida & tenuium partium, suntq; in multiplici differentia, nam alia sponte nata sunt, ut dictamni essentia & propoleos, sagapeni & succorum cyrenaici & medici, alia attrahunt ex putrefatione, qualis est essentia fermenti, alia qualitatis familiaritate, attrahunt, idq; ex totius essentia similitudine, ceu quæ nutriuntur familiaria alimenta attrahunt talium medicamentorum sunt purgantia omnia.

De repellentibus.

Repellentia sunt frigida & crassarum partium, nam ut perpetuo calidum attrahit ita frigidum repellit, quod igitur uehementius cum frigiditate partium craßitudinē habet, id uiolentius propellit.

De anodinis.

Ἀνώδυνα, siue παρηγορικὰ sunt in duplici differentia, quædam enim anodyna per se sunt, quædam per accidens, quæ per se anodyna sunt, ea in primo ordine excalefaciunt & coniunctam habent partium tenuitatem, quæ uero per accidẽs adeo frigida sunt, ut stupefaciant, ueluti narcotica omnia, anodyna per se, si uere anodyna fuerint, nihil prorsus adstrictionis habeant necesse est, sed magis ut digerant, rarefaciant extenuent, con coquant, nam ita anodynam & sanantem simul facultatem habebunt, soporifera uero siue ὑπνωτικὰ refrigerant corpus & sensum eousque obstupefaciunt, ut si paulo liberius ebibantur mortem afferant, optima igitur erunt quæ una cum frigore desiccant. Nam quæ frigida sunt cum humoris copia, ceu cicuta, ea potui non sunt utilia, talis est mandragora excepto eius cortice sicco, & altercũ præter eius semina.

De Catharcticis.

καθαρκτικὰ sunt in duplici differentia, aut enim excrementa corporis expurgant, aut uim attractoriam familiarium succorum obtinent, quæ excremẽta purgant, aut id agũt per uomitum, aut per uentrem, aut per nares, aut per urinã, aut ex pectore & pulmone &c. Differunt tamen hæc inter se, & si purgantia nomine communi appellentur, tum quia diuersimode uocantur, ut errhina, apophlegmatizonta, uomitoria, uretica, bechica, &c. Tum quia similem uim non habent familiarium succorum, attractoriam &c.

De Causticis.

Caustica siue ἐσχαρωτικὰ, non modo calida, sed crassæ substantiæ sunt, ita ut corpus ignis instar colliquent, quod si non uehementer caustica, & tenuioris essentiæ fuerint, cũ exiguo dolore & morsu, carnem eliquabunt & σηπτικὰ, id est putrefacientia uocãtur, siue corruptiua absq; dolore, nam

putrefacientia

putrefacientia humectant simul, & calefaciunt, septica uero sunt, auripigmentum, sandaraca, chrysocolla, dryopteris, pityocampe, aconitum &c.

De Epuloticis.

ἐπουλωτικὰ, *id est cicatricem inducentia, sunt adstrictoria & desiccatoria, sed quæ conueniunt causis ulceribus, mediocriter abstergentia & morsu uacantia sunt, ut myrrha lythargyrus &c.*

De proritantibus lac.

Lac proritãtia calida & humida esse debent, sed si uis lac copiosius fluere sanguinem, ad quem propius accedit, tũc contemplatur, quod si sanguis fuerit paucior, humectantem & excalefacientem uictus rationem exposcit, at uitiatus ceu biliosus primum purgationem desyderat, mox uictum, quem modo diximus, si pituitosus, medicamenta requirit excalefacientia in primo, uel in secundo ordine, non tamen desiccantia, & potiora sunt, quæ non tantum medicamenta, sed nutrimenta etiam esse possunt, ut eruca, fœniculum, anethum dum uirent et humide sunt nam sicca, ut apium polium smyrnium plusquàm oporteat excalefaciunt & exiccant, idcirco uitanda sunt, quum magis extinguunt, quàm lac procreant, similiter quæcunque desiccant, & refrigerant, lac prohibent, & quæcunque plus æquo excalefaciunt, & quæ sanguinem uitiant & corrumpunt, & minorem illum reddunt, fugienda sunt, sed ea duntrxat adhibebis, quæ modice calefaciant, nullamq; insignem habeant adiunctam siccitatem, nam talia lac procreant &c.

De excitantibus menses.

Menses citantia oportet ut excalefaciant, sed non ualenter desiccent, sicuti in lacte generando modice excalefaciãt, sed non desiccent ut dictum est, utraq; urinas prouocãt uerum non omne ureticum inquit Gale. menses prouocat, nec econtra, ut nonnulli uulgares medici affirmarunt. Vide tamẽ Paulum libro. 1. cap. 47.

De prouocantibus urinam.

Vrinam cientia sunt, calida & sicca, quum serosum sanguinem segregent, crassum uero cogant, ut semina, apij, petroselini, fœniculi, dauci, smyrnij, acoron, meon, & assaron.

De facilitantibus sputum & renes expurgantibus.

Sputum facilitantia, oportet ut sint incidentia, sed nõ insigniter calida, ne ualide desiccent, ut adiantum. Sicut renes expurgantia sint incidentia, sed nõ ualde humida, & lapidem incidentia, sed minimum caloris obtineant, ut radices asparagorum, rubi, betonica, polium, &c.

De particulari simplicium cognitione.

ABrotanum duplex, alterum masculum, quod omnibus notum est, alterum fœmellum, quod uulgo dicitur santolina & est humilis cypressus Diosco. *cap.26. tertij libri uersione* Marcelli. Gale.*6. de fac. simp.* Plin. *lib. 21. cap. 10.* Paul. *lib. 7. calefacit & siccat in tertio.*

Absinthium triplex, uulgare nostrum, Seriphiũ, quod marinum appellatur, & santoni cum quod plurimum in Gallia *ultra alpes nascitur, & est illud iuxta* Mathiolum Senensem *cuius semen uulgo dicitur, sementina quæ pro uermibus datur pueris, & nota q̃* Canabel Serapionis, *non est sementina, ut uolunt aliqui, sed est terra arenosa pluuialis, uide* Diosco. *cap. 24. et. 25. lib. 3. &* Gal. *6. de fac. simpl. ubi amarã & adstrictoriam ac acrem qualitatem illi tribuit,* Paulus *libro. 7. cal. in. 1. sic in tertio.*

Acacalis nisi sit species tamarisci, haud scio quid sit, quoniam nullũ semen uideri potest, quod sit huic simile, lege Dio*scor. cap. 103. lib. 1.* Paul. *lib. 7.*

Acatia, nõ habetur uera, sed eius loco accipitur succus pru nioli agrestis communiter, quãquàm satius foret folijs rhus sumach uulgo appellati, uti, quam succo prunioli dicti, quo-

niam rhus eiſdemmet facultatibus pollet, ac ipſa acatia teſte Dioſcoride. Nec eius gumi, quod à Serapione dicitur gumi Arabicum, habetur, ſed eius loco gumi utimur, quod. 7. de fa cul. ſimpl. a Gal. deſcribitur. Dioſco. 118. cap. lib. 1. Theoph. capi. 4 lib 3. nam acatiam ſimpliciter ſpinam uocat, Plin. lib. 24. cap. 12. Galen. 6. de fac. ſimpl ſiccat in 3. & refrigerat in ſecundo ordine, itidem ait Paul. lib. 7.

Acanthion. i. ἀκάνθιον, quid ſit neſcio, & ſi aliqui carduum montanum pro ſpecie acanthij demoſtrent. Dioſcor. c. 16. tertij. Galen. 6. de fac ſimp. Plin. lib. 24. cap. 12. Pau. calidus eſt.

Acanthum græce ἄκανθα domeſticum & ſylueſtre, eſſe id quod uulgo brancha urſina dicimus, aliqui aſſirmarunt, uide Plin. ca. 22. lib. 22. & Dioſco cap. 17. & 18. tertij, & Gale. 6. de fac. ſimp. Paul. lib. 7. diſcutit & ſiccat.

Achillea. i. ἀχίλλειος, non eſt millefolium, ut putant aliqui ex authoritate Plin. cap. 5 lib. 25 ubi ipſe habet a latinis mille folium uocari, Serapio uocat ſuccum achilleæ, eo q rubeat, ſanguinem draconis, qui nũc paratur ex ſanguine arietis ſorbis & reſina & mille alijs miſcellis de Achillea. Dioſco. c. 34. quarti, Gale. 8. de fac. ſimp.

Acinus ſiue ἄκινος, eſt iuxta Manardi opinionem baſilicum ſylueſtre, & iuxta Ruellium baſilicum, domeſticum, ſed huic oppugnat Plin cap. 15. lib. 21. quum dicat acinum non florere, de acino Dioſco. cap. 45. tertij, Paul. lib. 7. mediocres adſtringendi uires habet.

Acorus ſiue ἄκορον eſt ſecundum Manardum, uerus calamus aromaticus, Braſauola tenet quod ſit galanga, aliqui q ſit uulgare giſiriũ, cõis opinio q ſit calamus aromaticus. De acoro. Dioſco. cap. 2 primi, Gal. de fac ſimp. & quinto eiuſdem cap. 12. Pli. li. 27. c. 2. Pau. calefacit & deſiccat in tertio.

Aconitũ ſiue ἀκόνιτον, uoluit Leonardus Fuchſius eſſe her-

bam paris, sed falso quum nulla sit cum descriptione aconiti similitudo. Leonicenus credidit aconitum esse napellum Auicennæ, quum sint res dißimiles, nec adeo peccauit Auicennas in descriptione napelli, prout notat Leonicenus, ut uideri potest, ex Andrea Belunensi qui Auicennæ textum optime correxit. De aconito Diosco. cap. 75. & 76. quarti, duas species assignat. prima dicitur pardaliches, eo quòd pardos interficiat altera cynoctonon & lycoctonon, eo q; canes & lupos perdat, at mansa uel bibita, radix non statim interficit hominum, sed aliquos in duobus uel tribus uel sex mensibus perdit. Gal. 6. de fac. simp. & Diosc. iterum lib. 6. cap. 7. Paul. lib. 7. lethalis uis & excedens est.

Adiantum græce ἀδίαντον, est uulgaris capillus ueneris. Theoph. ca. 13. lib. 7. Adianti duæ sunt species nigra & alba. uide Plin. cap. 21. lib. 22. Et Diosco. cap. 131. & 132. de adianto & trichomane, uocatur & adiantum politrichon & galiitricon ab ipso affectu, quem circa capillos efficit. Gale. 6. de fac. simp. in caliditate & frigiditate symetron est, extenuat desiccat & digerit itidem Pau. lib. 7.

Aegylops, siue αἰγίλωψ, est id quod uulgo dicitur, segala, & non est auena ut aliqui uolunt. Diosco. 134. quarti, Gale. 6. de fac. simp. Paul. discutit duras inflammationes.

Agallochon. i. ἀγάλλοχον, est lignum aloes, nūc habetur Venetijs, & nuper eius loco afferebatur, ex rhodo, oliuastrum, quod a Ruellio Aspalathum creditur, Diosco. cap. 21. primi, Gale. nullibi quòd sciam, nisi in succidaneis mentionem facit. Pau. lib. 7. locinerosis dysentericis & pleutericis opitulatur.

Agaricum siue ἀγαρικόν, notum est, ideo appellatum, eo q; abundanter in Agaria sarmatiæ nascatur. Plin. libr. 16. cap. 8. Nascitur in Gallia super arbores glandiferas, Dioscor. ca. 1. tertij, In Galatia Asiæ supra cedros, sunt qui dicant in Italia

iuxta laricis arboris radices nasci, Gal.6 de fac.simp. Pau. digerit crassos humores & incidit.

Ageraton siue ἀγήρατον, sunt qui dicant in Hetruria inueniri simile origano. Diosco.cap.57.quarti, & Gal.7. de facul. simp.&.6 eiusdem, Paul.lib.7.habet uim digerendi,

Allium græce σκόροδα, notum est omnibus, duplex est domesticum & syluestre domesticum σκόροδα a græcis dictum, syluestre ὀφιοσκόροδον.i.anguinum, non autem ut Brasauola scorodoprason uel ampeloprason, nam ampeloprason nil aliud est, quàm porrum syluestre, quod in uineis reperitur, & scorodoprason allium & porrum significat: Diosco.cap.141. secũdi, Gale.8.de fac.simp.desiccat & calefacit, in quarto excessu, uide etiam illum secundo de fac.alimentorum in fine.

Alcea.i.ἀλκέα, herba nota est dicitur uulgo malua syluestris siue althea syluestris, non habet proprium caput apud Gal.sed in cap.de malua, de hac mentionem facit septimo de fac.simp.Diosc.ca.155.tertij, uolunt aliqui hanc esse, quam uulgo dicunt herbam ungaricam, Paulus libro.7. syluestris maluæ genus est.

Alypũ, siue ἄλυπον, quid sit nescio, Hoc scio plures de mente athuarij uelle alypon esse turbit album, nam hoc ab ipso habetur, ubi de tripheræ compositioni agit, aliqui dicũt alypon esse alypiam, ut Paul.æg.aliqui dubitant an sit sena, Dioscor. cap.173.quarti, Paul bilem atrã semen alypi ducit et ulcerat.

Alysma græce ἄλισμα, nisi ea sit, quã Ruellius & Fuschius fistulam pastoris, & ab alijs plantaginem aquaticam, quæ uulgo dicitur barba syluana, affirmare nequid audeo, aliqui dicunt esse speciem betæ aquaticæ: Diosc.ca.160.tertij, & Pli. cap.10.lib.25.duas species assignat, Damasonium etiam uocatur a Gal.6.de fac.simp.& habet uim abstersoriam.

Alison, siue ἄλισον, sicut ex Plin.cap.11.24.lib.excerpitur

uidetur esse herba, quæ rubia minor dicitur, uerum quia Aet. alison uocat syderitim heracleam quæ nullam præ se fert similitudinem cum rubia minori, iccirco quid sit affirmare non possum, de hac meminit Diosc. cap 96. tertij, & Gale. 6. de fac. simp. Nonnulli tamen duas species aßignãt, inter quas facile posset rubia minor connumerari, uerum ea quæ morsibus canum opitulatur deperdita est, nec reperitur Paul. lib 7. siccatoriam illi ac discussoriam abstersoriamq; uim tribuit.

Aloe. i. ἀλόη res est notißima, ita ut ubique plantæ eius ad delitias cernantur, cuius tria sunt genera hepaticum succotrinum & cabalinum. Diosco. ca. 23. tertij, meminit de hepatica, & Gal. 6 de fac. simp. desiccat in tertio, & calefacit in primo, adstringitq; modice.

Althea, siue ἀλθαία, planta est notißima, & uulgo dicitur maluauischio, meminit Diosco. ca. 154. tertij, Theoph. ca. 19. 9. lib. uocatur & hibiscus, & est malua syluestris. Gale. 6. de fac. simp. sub nomine hibisci, & 7. de fac. simp. cap. de malua: Pau. lib. 7. discutit relaxat, lenit, & concoquit.

Alumen græce συπτηρία, iuxta Diosc. cap. 77. lib. 5. triplex est scißile rotundum & liquidum, loquẽdo de his quæ in medicinæ usum ueniunt (nam plura apud nos genera nũc habentur, sicut alumen rochæ, plumæ, fecis, catini, scaioli, & zucharini) scißile illud est quod nos plumæ uocamus, alumen rotundum non habetur in Italia, nec liquidum quãquàm Brasauola affirmat esse alumẽ rochæ, quem ualidißimis rationibus confutare Mathiolus Señ. conatur alumen zucharinum fit ex alumine roche ouorum albumine & aqua rosacea, alumen catinum fit ex herba uocata soda arabice chali, unde etiam sal alchali peruenit, nota est herba apud hetruscos alumen scaiolum fit ex petra lucida scamosa & transparenti, uulgo dicta, specchio d'asino, alumen fecis fit ex fece uini cõbusta. Gal. 9.

de fac.ſimp Plin.lib.35.cap.15.Pau.maxime adſtringit.

Ambroſia ſiue ἀμβροσία,iuxta Ruelliũ notiſsima eſt in Gallia,naſcitur inter ſegetes,uerum eam nec uidi , nec ſcio quid ſit,niſi ſit ſpecies artemiſiæ,Dioſco.ca.120.tertij,& Gal.6.de fac.ſimp.adſtringit & repellit.

Ambræ odoriferæ tres ſunt ſpecies colore diſtinctæ,citrina.ſ.albida & nigricans,cuius mentio fit a Serap.lib.aggre. cap.hambar.Auic.lib.2.calida in ſecundo ſicca, in primo roborat cerebrum & cor confortat,nullibi q; ſciam fit mentio de hac apud Dioſ.uel Gal.aut Pau.uulgo dicitur Ambracane.

Amiantus græce λίθος ἀμίαντος,lapis eſt qui ex Cypro affertur,ſimilis alumini ſciſsili,ſimilis etiam ligno,unde Braſauola dixit eſſe aliquos qui eum credant eſſe lignum crucis Chriſti,nam in igne poſitus non comburitur, ſed magis illuceſcit. meminit Plin.cap.19.lib.36.& Dioſco. cap.113. quinti libri. Paul.libro ſeptimo.

Amylum græce ἄμυλον,res eſt notiſsima,dicitur uulgo,uoce parum deflexa amido optimi amyli conditiones recitantur a Plin.ca.7.lib.18 ut ſit albus leuis recens lenis,fit amylum ex granis frumenti,ut Dioſco. cap.92.lib.2. Et Gale.1.de fac.alimentorum,excerpitur ex Plin.ca.25.lib.22. quòd amylum corpus reſtringit, & fluxum ſanguinis, & in doloribus ueſicæ media untia ſumitur cum oleo & paſſulis.Gal.primo de fac.alim.ἄποιον,id eſt qualitate carentem, Paulus refrigerat mediocriter & ſiccat.

Ammi.i.ἄμμι,Seplaſiarij hoc dicunt ameos,& eſt ſimile ſemen cymino,ut teſtatur Plin.cap.15.lib.20.& Gale.6. de fac. ſimp.huius meminit,& Dioſco.cap.63.tertij, Quod uero decipitur per ammi non eſt uerum,ſed quid ſit neſcio Pau. calefacit & ſiccat in tertio.Gal.5.de fac.ſimp.itidem ait.

Ammoniacum græce etiam ἀμμωνιακὸν uulgo dicitur in oſ-

ficinis dicitur armoniaco, & est duplex iuxta Pli.c.24.li.12. primum thrausma dictum & altero est excellentius alterum phyrama, & est crassum & ueluti resina, Primũ thuris similitudinem præsefert, unde a Paulo & Aetio ammoniacũ thimiama nuncupatur, meminit Diosco.ca 89.tertij, & Gal.6.de fac.simp. Auer.5.collig. calidum in tertio, siccum in primo, Paul.lib.7.molliendi uires habet.

Amomum.i. ἄμωμον uerum nonnulli uolunt esse rosam de hierico, non uerum, esse quoddam semen habitum, sed credo uerum non haberi, si recte eius descriptionem perpendamus, utemur igitur loco amomi, acoro ut placet Gale. Diosco.capi.14.primi, Plin.lib.12.ca.13. Gal.6.de fac.simp. Pau.lib.7. eiusdem uirtutis cum acoro, sed paulo siccioris.

Ampelitis terra, græce γῆ ἀμπελῖτις sicuti & terra heretria samiachia selinusia, sunt apud me incognita. De ijs Gale.9.de fac.simp.diffuse & Diosc.c.138 lib.5.Paul.lib.septimo.

Ampeloprasson, siue ἀμπελόπρασον i. agreste porrum, uulgo dicitur porandello, de hoc Gal.6.de fac.simp.meminit & Diosc.159.secundi, Pli lib.24.cap.15.Pau.lib.septimo accerrimum calidissimumq; in summo ordine quamobrem ulcerat.

Anagallis græce etiam ἀναγαλλίς, est herba quæ alio nomine dicitur morsus gallinæ quãquàm non defuerint, qui anagalidem, portulacã sylucstrẽ esse affirmarunt, aliqui ẽt dixerunt anagalidem esse pauarinam, uel centonem, sed longe a uero decipiuntur, quum flores illis non sint eius qualitatis ac ab ipso Diosc.pinguntur, cap.170. secundi, de utraq; anagalide scripsit Gal.6. de fac.simp. Deceptus est Razes interpretans anagalydem pro matrisylua, Pau.uis est abstersoria sub calida, et attractrix, Serapio lib.aggre.calefacit parum & siccat sine mordacitate.

Anagyris ẽt græce ἀνάγυρις, planta est aborescens aliquibus

herbarijs ualde cognita, hanc uoluerunt quidam esse quam dicunt uuluariã, refert Mathiolus eius copiã inueniri in Trentino agro, ego eam minime uidi, de hac Gale. 6. de fac. simpl. meminit, & Diosc. ca. 158. tertij, Plin. lib 27. cap. 4. Pau. lib. 4. calefacit & discutit.

Anchusa, siue ἄγχουσα, quid sit, ut ingenue fatear, nescio, audiui a quibusdam pluribus in locis nasci, & flores habere a buglossa non ualde dissimiles, huius tres species a Diosc. ca. 25. 26. & 27. lib. 4. cõnumerantur, & a Plin. cap. 20. 21, lib. 22. Et a Gal. 6. de fac simp. quatuor species, Pau. adstringẽdi uim habet aliqui hanc Asini lactucam dixere.

Androsæmon, siue ἀνδρόσαιμον. i. humani sanguinis herba, notissima est, nam est species hypericonis, differt ab eo, quũ frutex sit gracilibus ramulis surcosus puniceo colore, rubentibus uirgis &c. ut Diosco. cap. 164. tertij, & Gale. 6. de fac. simp. Pau. li. 7. duplex genus alterum quod diximus, alterum dionysias dictum, cuius fructus purgant & folia desiccant.

Anemone, siue ἀνεμώνη, nisi ea sit, quæ a Brasauola uocatur papauer syluestris, cuius flores sunt rubri, certe nescio si unquam uiderim, hoc certo scio non esse herbam uenti, ut Ruellius, nam herba uenti iuxta placitum Simonis Ianuensis est parietaria, quòd uulgo dicimus uitriola, aut grassella, sunt qui anemonem uiderint longe a papauere syluestri differentem. Diosco. cap. 167. secundi, Plin. lib. 21. cap. 23. Paulus libro septimo, uim habet acrem abstersoriam, & extrahendi ac recludendi ora uasorum.

Anethum græce ἄνηθον, res est notissima, quæ ita similẽ fæniculo effigiem præsefert, ut uix ab ipso, nisi per gustum cognoscatur, meminit de anetho Gal 6. de fac. simp. & Diosco. cap. 60. tertij, Pau. lib. septimo calefacit in secũdo ordine intensius & siccat paulo remissius.

Anisum, siue ἄνισον, res nota & uulgaris est, de hoc mentionem facit Gal. 6. de fac. simp. semen suum dicens esse calidum & siccum in tertio gradu, & Diosco. cap. 58. tertij, Pau. lib. 7.

Angelica herba nota est calida & sicca in tertio ordine, unice ualet contra uenena, perseuerat a peste comesta, confert humori pituitoso crasso, sanat tußim ab humore uiscoso, si eius decoctum bibatur, consolidat ulcera interiorũ, coagulatum sanguinem soluit, roborat stomachum, recuperat appetitum, ualet defectui cordis & morsibus canum.

Anonis siue ἀνωνις, spina est quæ in aratis terris nascitur, uulgo dicitur bognacho, Gale. 8. de fac. simp. anonis calida in tertio gradu & c. huius meminit Diosco. ca 19. tertij, & Theophra. ca. 5. li. 6. de hist. plantarum, & Pli. ca. 4. li. 27. Pau. li. 7 urinam cit, calculos conterit, & dolores dentium mitigat.

Anthemis siue ἀνθεμις, apud Dioscor. est chamomilla, duæ aliæ species a me non uisæ necdum cognoscuntur. Diosco. capi. 145. tertij, & Gal ca. 9. lib. 3. & sexto de fac. simp. inquit q chamomilla calida & sicca est in primo gradu, Pau. uirtute tenui discussoria laxantiq; constat.]

Anthyllis siue ἀνθυλλις, nisi ea sit, quæ uulgo dicitur salsola de mente Ruellij, certe quid sit diuinare non possum, huius duæ sunt species, de quibus Gale. sexto de fac. sim. meminit & Diosc. ca. 144. lib. 3. Plin. lib. 21. cap. 29. Paulus libro septimo exiccat & abstergit.

Antirrhinon, siue ἀντίῤῥινον, quid sit nescio, sunt qui uiderint & uulgarem in Italia nasci paßim affirmant Dioscor. cap. 128. lib. 4. & Gal. 6. de fac. simp.

Anthera, siue ἀνθηρα, non est flos, ut nõnulli putarunt in medio rosarum positus, sed potius quædam compositio, ut ex Gal. Pau. Cor. cel. elicitur ad oris ulcera, & pedum scissuras, & digitorum pterigia accommodata.

Aparine inter lentes naſcitur, omnibus nota eſt, uulgo, eo quòd folia in modum calcaris habet. ſperonella dicitur, uel ut aliqui uolunt in modum ſtellæ folia, heret ueſtibus hominum. Dioſc cap. 95. tertij, Gal. 6. de fac. ſimp. Pau. libro ſeptimo, modice abſtergit & deſiccat.

Aphace, ſiue ἀφάκη, eſt res ſimilis uitiæ, ſed non eſt uitia, Theoph. ſeptimo, & . 11. cap. lib. 6. connumerauit aphacen inter ſpecies cicorij, ſimiliter & Plin. lib 21. ſed ca. 5. lib. 27. poſtea hiſtoriam ex Dioſc. recitat, quare iuxta Dioſc. connumeranda eſt inter legumina, non autem inter herbas ſylueſtres, Dioſc. ca. 137. ſecundi, Gal. 2. de fac. alim. Pau lib. ſeptimo, adſtringit ualentius ſiccat & mediocriter calefacit.

Apion græce σέλινον, ſatiuum, nil aliud eſt quàm uulgare dictum petroſelinum, ut teſtatur Plin. ca. 11. lib 20. Apium ſylueſtre quo utuntur ſeplaſiarij pro uero apio eſt apium aquaticum, eleoſelinum a Dioſc. dictum, ut teſtatur Thoph. cap. 6. libro ſeptimo, non autem eſt ut placet Ruellio, quod uulgo dicitur il macerone, Petroſelinum uero. i. ſaxatile apium maxime macedonicum, nuſpiam in Italia naſcitur, apiũ uero hipposelinum dictum. i. grande apium, illud eſſe tenetur, quod uulgo leuiſticum dicitur, De apio meminit Dioſc. 67. 68. 69 70, & 71, tertij, & Gal. 8. de fac. ſimp. & . 6. eiuſdem Pau. lib. ſeptimo, tanti caloris eſt, ut menſes & urinas eliciat.

Apios herba quid ſit, nam græce ἄπιος etiam dicitur, niſi ſit ſpecies raphani haud ſcio quid dicere debeam, Ruellius familiarem herbam eſſe ruſticis Galliæ inquit, & communiter ab ipſis edi, ſed quum dicat Dioſc. uomitum dicere, neſcio ſi illi credendum ſit, ſunt qui dicant uidiſſe inter ſegetes naſci cum folijs rutæ, ſed paulo ſtrictioribus & uiridioribus, ego nec uidi, nec ſcio quid ſit Dioſco. cap. 170. lib. 4.

Apiaſtrum græce μελισσόφυλλον, eſt illud quod uulgo dici-

tur cedronella ouer melissa, ouer muliferno, in passionibus cordis (si Serapioni creditur) multum ualens. Diosc. ca. 109. tertij, & Gal. 7. de fac. simp. utitur pro marubio duplicata do si Paul. lib. 7. uiribus marubio per omnia respondet.

Arbutus græce κόμαρος arbor similis cotoneo malo, uulgo dicitur in Hetruria albatro: Dioscorid. cap. 143. primi, & Galenus septimo de fac. simp. turdi libenter arbuti fructibus ue- scuntur in hyeme, Paulus libro septimo acerbæ qualitatis est aduersatur stomacho.

Arction, siue ἄρκτιον, & personantia similia sunt nomina, sed quid sit arction, nisi ut Ruellius, sit lappa minor, facile di cerem me nescire, quãquam sunt qui lappam minorem dicãt a Diosco. uocari xanthion, de arctio loquitur Diosco. ca. 101. quarti, & Gal. 6. de fac. simp. Personatia tamen est lappa ma ior Plin. lib. 25. cap 9. Paul. libro septimo, uis tenuis siccans, & mediocriter adstringens.

Argemone siue ἀργεμώνη, inter species papaueris connume ratur, ego tamen nuspiam argemonem uidi, & si ubiq; nasci Mathiolus Señ. affirmet, hoc bene scio non esse agrimonium siue eupatorium, ut nonnulli Dioscor. cap. 168. secundi, & Plinius ca. 8. lib. 25. De hac apud Gale. nil memini me legisse Pau. abstergit & discutit.

Argentum uiuum, siue ὑδράργυρος, res nota est, duplex artificiale & minerale, sed quo pacto conficiatur lege Dioscor. cap. 64. quinti, Gal. 9. de fac. simpl. nunquam ausus est experiri an foris uel intus applicandum foret, ueluti uenenum mortiferum. Auer. 5. collig. ca. 9. est frig. & humid. Gal. 4. de fac. simp. cap. 18. calidum est & siccum.

Aristolochia, siue ἀριστολοχία rotunda & longa notissima est apud seplasiarios, tertia species eius est elematitis uocata, quæ in Italia non habetur, de quarta specie, facit mentionem

Plin.ca 8 lib. 25. & uocatur pistolochia. De Aristolochia meminit Gale. 6. de fac. simp. & Diosco. ca. 4. lib. 3. commendatur in epilepsia, Paul. libro septimo, calida tenuis abstergens sub acris, Auer. cali. & sic. in secundo.

Armenius lapis, siue λίθος ἀρμένιος, iuxta Manardi placitum raro inuenitur licet Mathiolus Senensis dicat in mineris Argenti huius copiam inueniri, & dici uulgo uerd'azurro, quod nec affirmare nec negare audeo, siquidē sua experientia comprobatum refert in ijs omnibus quæ ab antiquis scripta sunt, uide Diosc. ca. 59. quinti, & Gal. 9. de fac. simp. & Alex. trallianum, cap. 22 lib. 1. & Plin. cap 6. lib. 35.

Aron siue ἄρον, est species dracunculi siue serpentariæ, & paßim cognoscitur, uocaturq; in hetruria uulgo gingaro, & fit ex eius radicibus aqua ad dealbandam faciem, Diosco. capi. 157. secundi, & Gale. 6. de fac. simp. Plin. lib. 19. cap. 5. & lib. 24. cap. 16 Et Gal. 2. de fac. alim. Pau. libro septimo, calore & siccitate est primi ordinis ex terrestri calida & adstringente substantia.

Artemisia siue ἀρτεμισία, uulgo cermisia palam agnoscitur, in hac deceptus est Brasauola confundens Artemiam cum partenio uulgo matricaria appellato, cognosco ego primam & tertiam speciem, & est apud Regienses in usu. Diosco. capi. 118. & 119. tertij, Plin. cap. 7. lib. 25. Gale. 6. de fac. simp. calida in secundo, & sicca in tertio ordine.

Asaron siue ἄσαρον est id quod uulgo dicitur bacchara, sed quid deinde sit bacchara, lege eius caput Dioscor. cap. 9. lib. 1. Gal. 6. de fac. simp. Plin lib. 21. cap. 6. Paulus libro septimo, similem acoro uirtutem habet.

Asclepias siue ἀσκληπιάς, nisi ea sit herba quam uocant hederam terrestrem, aut uincetoxico ut Fuchsius, certe nescio quid sit, hoc scio Empiricos pro mirabili potione in uul-

neribus ſanandis hedera terreſtre uti. Dioſc.ca.97.li.3.et Gal.
6.de fac.ſimp.Plin.cap.5.lib.27.Pau.libro ſeptimo,calida &
ſicca tenuisq; ſubſtantiæ.

Aſpalathus, ſiue ἀσπάλαθος, quid ſit ignoro, quum in Italia
non habeatur. ſunt qui dicant eſſe ſandalum rubeum, Ruellius
tenet quod ſit agallochon uulgare, ſed quum non præ manibus ha
beatur, iuxta Galeni placitum in ſuccidaneis pro eo utemur
ſemine uiticis. Dioſc cap.19.lib.1. Pau.libro ſeptimo, conſtat
uirtute acri & adſtringente.

Aſparagus, ſiue ἀσπάραγος uulgo notus, duplex domeſticus
& ſilueſtris per ſe naſcens. Gale. 6. de fac.ſimp. ſunt abſterſi=
ui, Plin.10.ca.lib.20.uiſum corroborat & doloribus thora=
cis & rhenum medetur. Auic.fen.ulti.lib.4. bonum odorem
in toto corpore inſpirant, urinam uero male olere faciunt,
Pau.lib.ſeptimo,medius in calore & frigiditate.

Aſphodelus ſiue ἀσφόδελος, uulgo apud ſeplaſiarios dicitur
affodilo, a latinis uocatur haſtula regia, notus eſt, huius Gale.
meminit. 6. de fac ſimp. ubi habet quod cinis eius radicis facit ua
lenter renaſci pilos, Dioſc.ca.159 lib.1. Pli.lib.22.ca.22. Paul.
lib.ſeptimo, uim habet detergentem diſcutientemq;.

Aſplenon ſiue ἀσπλήνον, eſt uulgare citrach, etiam lingua
ceruina eſt phyllitis apud Dioſ huius meminit Gal.6. de fac.
ſimp. & Dioſc.cap.142.lib 3.ait Gal. & ſi ſubtilium ſit par=
tium nihilo minus non eſſe calidum frangit lapidem minuit
lienem, Plin.lib.27.ca.5. Pau.lib.7. eſt uirtute tenue, ſed non
calidum, ut ſupra Galenus.

Aſter atticus ſiue ἀστὴρ ἀττικός, a multis cognoſcitur, in pra
tis naſcens, Serapio non diſtinxit hunc ab iringo, quoniam
utrique flores in modum ſtellæ habent Dioſc cap.115 lib.4.et
Gale.6.de fac.ſimp.uocatur & bubonium eo quòd bubones
ſanat, & uocatur a Plin.lib.22.cap.ſeptimo, & octauo, cen=

tum capita, Pau.lib.septimo, mixtæ est uirtutis digerentis et refrigeratoriæ, iccirco bubonibus prodest.

Astragalus, siue ἀστράγαλος, nunquam a me uisus, nec in usu est, huius meminit Diosco.cap.60.quarti, & Plin cap.8. lib 26. Gal.6.de fac.simp.Pau.lib.septimo, non ignauiter desiccat & eius radix adstringit.

Athara græce ἀθήρα, quid sit, declarat Diosc.cap.83.secundi, esse genus pulticulæ quod apud teutonicos paratur ex farina lacte & butyro in conuiuiis & in cibandis infantibus, Gale.etiam primo de fac.alimen.

Attractyllis siue ἀτρακτυλλίς, a Theodoro interpretatur fusus syluestris, ego certe quid sit nescio, scio Hermolaum uelle carthamum syluestrem, cnicum dictum esse atractilidem, Diosco.cap.98.tertij, Plin.cap.15.lib.21. & Theoph.cap.4. libro.6. Pau lib.vij ui siccante & mediocriter callida pollet.

Attriplex Græce ἀτράφαξυς, notissima res est, uulgo trepesse dicta, quãquam non defuerint, qui hanc herbam esse illam quæ uulgo dicitur spinachia, uoluerint, Diosc.cap.110.secundi, & Gal.6.de fac simp.facit eius semen uomere, & purgare corpus per inferiora. Razes refert se uidisse hominem acceptis eius duabus drachmis assellasse usque ad magnam debilitatem Pau.est humidum & frigidum in secundo.

Auellana græce κάρυα ποντικά, nota est, syluestris & domestica. De ijs, Diosc.cap.146.primi.Gale.septimo de fac.simp. & .2.de fac.alim.uulgo dicitur niciola, Pau.lib.septimo, frigidiores sunt, & austeræ in cæteris iuglandibus æquales.

Auena græce βρῶμος, res est notissima sic quoque uulgo dicitur de hac meminit Diosco.ca.85.secundi, & Gal.6.de fac. simp.Plin.cap.25.lib.22.Paul.lib.7. siccat & modice discutit alicuius adstrictionis compos existens.

Baccharis, non est asaron ut hucusq; putatum est a sepla-

stiarijs, nec est scarlegia ut uoluit Brasauola de mente Leoniceni, quum in radicibus scarlegia bacchari non respondeat ut uideri potest ex Dioscori. cap. 46. tertij. quare dicendum est baccharem nostris in partibus non haberi, Paul. lib. 7. βάκχαρις, acris est & odorata eius folia adstringunt.

Ballote siue βαλλωτη, id est marubium nigrum est ualde notum adeo simile est mellissophijllo, ut nisi per odorem malum agnosceretur, uix id per uisum scires discernere, Dioscori. cap. 109. tertij, & Paul. lib. 7. acris est & abstersoriæ facultatis.

Balsamum siue βάλσαμον, uerum non habetur, sed oleum antiquum pro balsamo uendunt, de balsamo lege Plin. cap. duodecimo lib. uigesimoquinto & Theoph cap. 6. lib. 9. & Iustinus hystoricus lib. 36. & Dios cap. 18 primi, Gal. 6. de fac. simp. desiccat & excalefacit in secundo excessu & est tenuium partium, itidem asserit, Paul lib. 7.

Barba hirci græce τραγοπώγων. in hetruria uulgo dicitur sassefrica, herba nota est. sunt qui uelint similem esse scandici, huius aqua chymico more stillata mirabiliter uulnera recentia carnis cum syndone applicata sanat. Theoph. ca. vij. lib. vij. Diosc. cap. 132. lib 2.

Bbdellium siue βδέλλιον, res nota est, uerum quod pingitur a Diosco. non habetur, quod magis nicrescit & resinum est, magis mollit, duplex reperitur Scicilianum quod folijs & radicibus palmæ assimilatur & uulgo neapoli dicitur cephaleone, cuius germen adhuc molle comeditur. Et iudaicum quod describitur a Dioscoride capite. 61 primi, de primo loquens, Gale. 8 de fac. simpl. dum de palma mentionem facit, dixit, medullam encephalon uocari, unde corrupto uocabulo uulgo cephaleone uocatur, Paulus libro septimo, emollit, maturatq;.

Beta græce τεῦτλον, nota eſt, nam ubique paßim naſcitur, nigra eſt & alba, & tertia ſpecies, ut refert Mathiolus in agro Trentino inuenitur, quæ rubea eſt & radices habet carotis ſimiles, comeditur non minus inſuauis quàm ceteræ radices in acetarijs, Galenus octauo de fac. ſimpl. Plinius libro 20. capite octauo, & Dioſcorid. capite. 112. ſecundi. ſuccus betæ albæ per clyſterem infuſus mirum in modum uĕtrem conſtipatum ſoluit etiam ſi per alia enemata ſolui non poſſet, Paulus libro ſeptimo, nitroſam uim habet abſtergit iccirco & diſcutit.

Betonica græce κέστρον, notißima res eſt, habet multas uires quæ ab Antonio muſa Cæſaris Auguſti medico exarantur, uide Dioſcorid. capite primo quarti, & Galenus octauo de facul. ſimpli. Paulus libro ſeptimo, duas ſpecies enumerat, ſunt qui uelint calidam & ſiccam eſſe ob id quod incidit & ſubacris eſt.

Bitumen quod græci ἄσφαλτον uocant, eſt quædam mixtura cum pice & alijs miſcellis, quare ad eam non confert, quæ a Dioſcor. recitantur: Naſcitur bitumen in Iudea in eo lacu, quo Iordanus fluuius ingreditur, ſed de his latius uide cap. de Naphtha, Dioſcorides capite. 84. primi, Plinius libro. 35. capite. 15. Galenus ſecundo de fac. ſimp. Bitumen in mari mortuo inuentum, uim reſiccatoriam & excalfactoriam habet in ſecundo ordine, ad glutinationes uulnerum cruentorum idoneum, itidem ait Paul. lib. 7.

Blatæ græce σίλφη, ſunt animalia quæ circa molas, & in piſtrinis inueniuntur ſimilia grillis uocatis, ualent ad dolores aurium, uocantur etiam blatæ quæ in carnibus porci ſalſis inueniuntur, ſed non ſunt quæ a Dioſcoride cap. 35. ſecundi, recitantur, quæ uero circa molas inueniũtur, ab aliquibus uulgo pintole uocantur, uide Pau. lib. 7.

Blitum, siue βλῆττον, uulgo dicitur Biedone, duas habet species alteram caloris rubei alteram albi, nullum ferè usum obtinet in re medica, peruertit stomachum, Dioscorides cap. 108 secundi, & Plinius libro. 20. capite 22. Galenus sexto de fac. simp. Paulus libro septimo, frigidum & humidum in secundo ordine.

Botrys herba, siue βότρυς, aliquibus nota est herbarijs, quæ nisi sit artemisiæ species haud scio plane quid explicem, meminit Dioscorid. capite. 121. tertij, Plinius libro. 25. capite septimo, & libro. 27. capite. 8. Paulus libro septimo, planta est insigniter odorata.

Braßica, græce κράμβη, nota & uulgaris est, uulgo dicitur, cauolo, siue uerza, cuius multæ sunt species, ut refert Theo. capite quarto, libro septimo, & Plinius capite octauo libro nono, prima braßica est, quæ magnum habet tyrsum cum longis folijs, est & altera quæ crispa habet folia, & dicitur apiana, alia est quæ caulem habet subtilem cum teneris & tenuibus folijs, est & apud Plinium lagotoria braßica, quam nonnulli uolunt esse id quod dicitur uulgo il capuzzo, sunt & aliæ quã plures braßicæ species, quas narrare longum foret, semina braßicæ inueterata si seminantur in rapas transeunt, & econuerso, braßica marina est uulgaris soldanella, Vide Dioscorid. capite. 111. secundi, Galenus tertio de facult. simpli. capite. 14. & settimo eiusdem & secundo, de facul. alim. Paulus libro settimo, quæ comeditur siccat & abstergit, ualentius tamen syluestris.

Britanica, siue βρετανική, nisi sit bistorta, aut betonica, quæ nunc est in usu certe nescio quid sit, Dioscorides capite secundo quarti, Galenus sexto de fac. simp. Plinius libro. 25. capite tertio, uocatur ab Auicen. Bertanich. Paulus libro septimo adstringit & conglutinat quidam dixerunt esse lapatium acu-

tum, ſed decipiuntur.

Bromos herba, ſiue βρῶμος ἡ πόα, *ſimilis eſt auenæ, & eſt auena ſylueſtris, meminit* Plin.lib.22. cap.25. *&* Dioſcorid. 135. *quarti, Galenus ſexto de fac. ſimp. deſiccat & digerit mediocriter & ſine morſu, & primo de facul. alimen. itidem* Paul.lib.7. *aſſerit.*

Buccinæ Græce πορφύρα, *ſunt animalia oſtracodermata, id eſt duri corticis & naſcuntur in mari ſicuti & purpuræ, ſunt ſimiles buccinis ſiue tubis unde dictæ ſunt, maiores iis ſunt purpuræ & habent liquorem in gulæ uenis, quo infecto res in tingendis ueſtibus purpureum colorem efficiunt, lege* Plin.lib.9. *&* Dioſcor. *capite quarto ſecundi.* Galenus *ſecundo de facul. ſimpl. deſiccant ſine morſu dum uruntur & in polinem conteruntur.*

Bugloſſum, *ſiue* βούγλωσσον, *id eſt lingua bouis, nil aliud eſt, quàm noſtra uulgaris borago, de hac meminit* Galenus *ſexto de facul ſimp. &* Dioſco. *capite.* 123. *libri quarti.* Pau. *libr.* 7. *humidum calidumq; temperamento eſt.*

Bulbus *ſiue* βολβὸς, *uomitorius, niſi narciſsi ſit ſpecies, & bulbus qui edendo eſt, niſi ſit* Aſcalonia *uulgaris, neſcio profecto quid ſint,* Dioſcorides *cap.*160. *&* 161, *ſecundi, Scio noſtras Aſcalonias non eſſe Galeni bulbos quum acerrimæ ſint, nec quales a Galeno ſcribuntur.* Vide *Galenum quinto de facul. ſimp capite.*22. *& ſecundo de facul. alimen.* Paulus *libro ſeptimo. Amari ac adſtringentis saporis modice eſt ſiccat glutinat uulnera & abſtergit.* Vomitorius *uero multo calidior, uide &* Galen *ſexto de facul. ſimp.*

Bunium, *ſiue* βούνιον, *uulgo nauone ſaluatico, duæ eius ſunt ſpecies, ut* Plinius *capite quarto libro.*20. *bunion & buniada, huius meminit* Galenus *ſexto de facul. ſimp. &* Dioſcor. *cap.* 119. *quarti,* Paulus *libro ſeptimo, bunium calidum eſt urinam*

& menses ducit.

Buphthalmos, siue βυφθαλμον, id est oculus bouis, non est cotula, ut Fuchsius, sed flos similis chamomillæ luteus est, nõ circumcirca albus, ut nonnulli huius meminit Dioscor, cap. 147 tertij, Et Galenus sexto de faculta. simpl. Plinius libro uigesimoquinto, capite octauo, Paulus libro septimo, discutit ac durities emollit.

Cacalia, siue κακαλία, quum semen, ut ait Plinius, capite secundo, lib. 25. paruum producat, ac sunt margaritæ paruæ, nescio profecto diuinare quid sit, uide Dioscorid. capite. 117. quarti, Galenus septimo de facul. simpl. Paul. libro septimo, ualet sicuti cancamus.

Cadmia, siue καδμεία, fit ære in fornacibus accenso adherente fornacum parietibus, & est res quæ nunc uulgo tutia dicitur. Dioscor. cap. 42. quarti, Plinius libro. 34. capite. 13. uide Gale. 9. de fac simp. Paul. lib. 7. desiccat abstergit & concaua ulcera explet.

Calamintha, siue καλαμίνθα, est id quod uulgo dicitur calamento, huius sunt tres species, ut refert Dioscorid. capite. 38. tertij secunda species, uulgo dicitur neueda, nec est ea uulgaris herba quæ dicitur herba gatta, ut refert Brasauola, nec ista herba gatta est tertia species, ut Ruellius putat, quoniam similis est mentastro, non autem urticæ uel melissæ, ut herba gatta, Galenus de calamintha meminit septimo, de faculta. simplic. Paulus libro septimo, nepita calida & sicca in tertio ordine.

Calamus aromaticus, siue κάλαμος αρωματικός, id est, odoratus uerus non habetur, sed pro eo accipitur radix acori, meminit Theophrastus non, de historia plantarum, & Plinius capite uigesimosecundo, libro duodecimo. Et de uiribus cannarum, capite undecimo, libro uigesimoquarto. Et Galenus li-

bro ſeptimo, de faculta. ſimplic. & Dioſcorides capite decimo ſeptimo primi, Paulus libro ſeptimo calefacit & deſiccat in ſecundo ordine.

Calx uiua græce ἄσβεςος, præſertim quæ ex fluminum excoctis lapidibus fit omnibus nota eſt, hæc ſi diu lota fuerint omnem mordacitatem amittit, & malignis ulceribus prodeſt Dioſcorides, capite. 87 quinti, & Galenus nono de facul. ſimpli. Paulus libro ſeptimo, adeo uehementer urit, ut cruſtam inducat.

Cancamon, ſiue κάγκαμον eſt lacha, & lacha eſt lachryma arboris Arabiæ, quæ ad nos non affertur, quare caueant, qui dialacha componunt, quid per lacha imponere debeant, nam gumi rubrum quod demoſtratur, non eſt lacha, quum odore careat, nec debent ſeplaſiarij lacha artificiali uti, quæ componitur ex uerzino grana & cremeſi, nec uti debent quod uulgo dicitur ſangue di draco in lachrima, quoniam uires lacæ contrarias habet, hic adſtringit, illa aperit, Dioſcorides capite uigeſimoquarto primi, Paulus libro ſeptimo, extenuat, abſtergit, aperit.

Cannabis ſiue κάνναβις, nota omnibus eſt, duplex ſatiua & ſylueſtris, ſed ſylueſtris non ſic nota, ſemen domeſticæ genituram extinguit, ſed in gallinis contrarium agit, nam quæ ex huius ſemine paſcuntur multa oua pariunt. Dioſcorides capite. 156, &. 157. Et Galenus ſeptimo de facul. ſimpli. Paulus libro ſeptimo, ſemen diſcutit flatus & ita ſiccat ut genituram areſaciat.

Camphora eſt arboris indici, ſtatura maximi, quoddam gumi, frigida & ſicca in tertio ordine, bona cognoſcitur, ſi intra panem calidum repoſita reſoluatur, uide Auicenna libro ſecundo, & Serapionem lib. aggre. cap. de camphora, huius rei nõ memini quicquam me legiſſe apud Græcos au-

thores, multas hæc habet species ex locorum diuersitate sumptas.

Capparis, siue κάππαρις omnibus notus, quicunque ex Alexandria afferuntur excellẽtiores sunt, de ijs Galenus septimo de facul. simp. & secundo de facul. alimen. capite. 24. Dioscorides capite. 164. secundi, Theophra. capite quinto libro. 6. Et Plin. capite octauo, libro. 19. Paulus libro septimo, radix extergit, purgat, incidit, discutit & sua acerbitate, contrahit, stringit, & densat.

Cardamomon, siue καρδάμωμον, uerum non habetur, sed quod per cardamomo uenditur triplex est maius, & minus quod nielam dicunt, Tertium uocatur ab aliquibus mele geta aut granum paradisi, arabice dicitur cordumeni. Dioscor. capite quinto primi, & Plinius capite. 13. libro duodecimo. Et Galenus septimo de facul simp. pro cardamomo accipitur cyperus, uel myrtus, ut Gale. in succidaneis. Pau. lib. 7 acre est & lumbricos interimit.

Carduus græce σκόλυμος, habet multas species, nam domestici & syluestris sunt diuersæ species, sunt domestici cardones appellati, qui in postrema cena crudi & cocti cum pipere & sale comedũtur, uulgo dicti carchiofoli, de quibus mentionem facit. Theophr. capite quarto, libro sexto, & Galen. 8. de fac simp. ubi habet quòd sunt calidi & sicci in secundo ordine, Diosco. cap. 14. tertij.

Carum, siue κάρος. semen est notum, uulgo carui dicitur, meminit Dioscorides capite 59. tertij, & Galenus septimo de facul. simp. calidum siccum in tertio ordine, &. 2. de fac. alim. itidem Pau lib. 7. asserit.

Casia siue κασσία, duplex uera quæ cinnamomum & falsa quæ caßia lignea uocatur, Casia uero siliqua est casia solutiua ex Aegypto proueniens, sed nuspiã a græcis de hac quicquam

proditum est, quum uero apud græcos legitur cassia, intellige de ea quæ nunc cinnamomum dicitur, Dioscorid. cap. 12. primi, Galen. de antidotis, & 7. de fac. simpl. exiccat & calefacit in tertio ordine.

Castoris siue fibri testiculi, græce κάστορος ὄρχις in usu sunt & cognoscuntur, uerum qui iuxta seplasiarios cernuntur, nõ sunt ueri, sed compositi ut refert Plin. ex renum partibus et testiculis in uesicis repositi, Dioscorid. cap. 23. secundi, & Pli. 30. cap. 8. lib. & cap. 3. lib. 32. Gal. 11. de fac. simp. de castoreo lib. scripsit Archigenes, Paul. lib. 7. calefacit siccatq; cum extenuandi uiribus eximijs.

Castanea siue κάστανα, res nota est, Galen. 4. de facul. simp. capite septimo, & secundo de facul. alimen. Diosco. cap. 126. primi, uocantur etiam græce λόπιμα, & connumerantur inter glandes.

Caucalis siue καυκαλίς, secundum aliquos est id quod uulgo dicitur petrosello saluatico, eo q; apio similia folia habeat Dioscorid. capite 128. secundi, & Galenus septimo de fac. simpli. Pau. lib. 7. dauci modo calefacit & siccat sunt qui uocent caucalim uuam lupinam.

Cedrus siue κέδρος est arbor ut iuniper, sed quid sit cedrinus liquor nisi sit uernix, certe nescio quid dicere debeã, Dioscorid. capite nono primi, & Galenus septimo de facul. simp. Plinius libro. 13. capite. 5. maior & minor & minoris sunt duo genera lycea & fænicea. Pau. lib. 7. calefacit & siccat in tertio ordine.

Centaurium maius, siue κενταύριον τὸ μέγα, nil aliud est q̃ rhaponticum uulgare, meminit Plin. cap. 6. lib. 25. & Gale. 7. de faculta. simpl. & Dioscorides capite sexto, libro tertio, Paulus libro septimo, Radix est acris calida, & terreæ adstrictionis.

Centaurium minus notum est, nam id esse quo paßim utimur, certe scio, apud hetruscos dicitur uulgo biondella, ob affectum quem circa mulierum capillos facit, Centaurium hoc uentrem soluit, non aut maius, ut Arabes, Diosc. cap. septimo tertij, & Gale. ultra particularem tracta. 7 de fac. simp. etiam mentionem facit, Pau. lib. septimo, radix inefficax, sed colliculi ualide & citra morsum siccant.

Chalcanthum, siue χάλκανθον, id est, atramentum sutorium, est id quod nunc uulgo dicitur uitriolo, uide Dioscor. cap. 68. quinti, & Gale. 9. de fac. simp. Pau. libro septimo, carnes humidas absumit siccatq;.

Chamecissos, siue χαμαίκισσος, nisi sit hedera terrestris, ut Fuchsius, haud scio quid sit, uerum quum tot hederæ terrestris genera demostrentur, certe nescio quæ uera sit, Diosco. cap. 121. quarti, & Galenus octauo de fac. simp. Plin libro. 24. capite decimo, & decimoquinto, Paulus libro septimo, flos eius insigniter amarus.

Chamædaphne, siue χαμαιδάφνη, est Dioscor. laureola, sed laureola non est mezereon, un putarunt nonnulli, sed potius chamælea Dioscor. Plin. lib. 21. cap. 11. id uocauit chamædaphnen quod uulgo dicitur uinca per uinca, sed postea cap. 15. libro. 24. chamedaphnen appellauit, ut Dioscor. cap. 144. quarti, de qua Galenus sexto de fac. simp. uerba facit, Paul. libr. 7. calida & acris est.

Chamedris siue χαμαίδρυς, est herba satis nota, uulgo dicitur Calamandrina, recens comesta hominem a peste perseuerat, huius meminit Theoph. cap. 10. lib. 9. Gale. 8. de fac. simp. & Diosc. cap. 103. tertij, Plin. lib. 24. cap. 15. Pau. lib. 7. in tertio ordine calefacit, exiccatq;.

Chamelea, siue χαμελαία, & Thimelea apud Arabes est mezereon: Dioscorides cap. 166. quarti, & 167. quarti, Ga-

lenus octauo de faculta. ſimplic. uincentem habet qualitatem amaram.

Chamæleon albus & niger, ſiue χαμαιλέων ὁ λευκὸς καὶ ὁ μέλας, albus eſt id quod uulgo dicitur carlina, niger uero in medicinis quæ per os aſſumuntur, non eſt mittendus, nam teſte Galeno octauo de facul. ſimpl. neſcio quid mortiferi in ſe habet, Arabes ſæpe confundunt chamæleonem cum chamelea, in chameleonis nigri radice naſcitur uiſcus qui dicitur ixia, & eſt uenenum, unde quum in Plinio legeris remedia contra uiſcum, intellige contra ixiam, Dioſco. capite octauo & nono tertij, Gale. 8. de facul. ſimp. calefacit in ſecundo & ſiccat in tertio ordine.

Chamæpitys ſiue χαμαίπιτυς, uulgo dicitur Iua & Regij orbica, cuius tres ſunt ſpecies a Dioſcoride recitatæ, uide Dioſcoridem capite. 166. tertij, & Galenus octauo de faculta. ſimplici. expurgat, abſtergit, calefacit in ſecundo, ſiccat in tertio ordine.

Chamæſyce, ſiue χαμαισύκη, niſi ſit ſpecies pepli haud ſcio quid ſit, interpretatur enim humilis, & terreſtris ficus, lege Dioſcorid. capite. 164. quarti, Galenus octauo de faculta. ſimplic. abſtergendi ſimul & acrem uim poßidet itidem Paulus libro ſeptimo.

Chelidonium, ſiue χελιδόνιον, duplex maius quod uulgo dicitur cerdogna & minus quod uocatur a quibuſdam ſcrophularia minor ob ſimilitudinem, quam cum ſcrophularia in radicibus tenet, in hetruria uulgo dicitur fauoſcello. Dioſcor. cap. 172. & 173. lib. 2. Plin. cap. 8. libro. 25 Gale. 8. de fac. ſimp. chelidonium minus calefacit & ſiccat in quarto ordine abſoluto. Pau. lib. ſeptimo chelidonium maius calefacit in tertio & ualenter abſtergit.

Chryſanthemon, ſiue χρυσάνθεμον, quem Romani caltam

dicunt, putaui ego olim corrupto uocabulo id esse quod nos uulgo dicimus colta, & est similis chamomillæ, sed quia non omnes conditiones seruat, quas chrysanthemo tribuit Dioscoridi, nunc certe haud scio quid sit Dioscorides capite quinquagesimosexto, quarti, differt autem chrysantemus a buphtalmo ea quippe differentia, quæ est in capite. 147. lib. 3. & capite. 56. quarti.

Chrysocolla, siue χρυσοκόλλη, uulgo dicitur borace, & est duplex artificialis & mineralis, quæ uero paratur ex alumine roche & sale ammoniaco, uocatur borace refacto, uiridior est in medicinis excellentior. Dioscorides capite. 58. quinti. Gale. 9. de fac. simp. & Plin. cap. 5. lib. 33. Paul. lib. 7. abstergit, discutit, siccatq;.

Cichorium, siue Σέρις ἀγρία καὶ κιχώριον, intibum ue notum est omnibus endiuia uulgo dicitur, siue radechij, & sunt uera endiuia, uide Dioscorid. capite. 121. libri secundi, & Galenus octauo de fac. simp. Vbi inquit endiuia est herba amara, sed multo plus syluestris, quæ ab amaritudine picris, siue cichorium dicitur, Paulus libro septimo, siccat, refrigeratq; in primo abscessu.

Cicuta græce κώνειον est herba notißima similis ferulæ, sed mali odoris, huius meminit Dioscorides capite. 77. quarti, & capite undecimo, libri sexti. Plinius capite decimo, lib. 21. Galenus octauo de fac. simp. Paul. libro septimo, habet uires summæ refrigeratorias.

Cinnabaris siue κιννάβαρι, nil aliud est, quàm id quod uulgo dicitur sangue de draco in lachrima, qui est gumi cuiusdam arboris aphricæ stillans sanguini humano similis, unde nomen habuit, Cinnabaris uero quo nunc utuntur seplasiarij, duplex est mineralis & artificialis, mineralis nascitur in mineris ubi argentum uiuum foditur, artificialis fit ex sub-

limatione argenti uiui, & sulphuris, minium uero Dioscorid. est nostrum cinnabrium, Vide Dioscoridem, capite. 63. quinti, Gale 9. de fac. simp. modice acrem facultatem habet, et adstrictionis quippiam.

Cinnamomum, siue κιννάμωμον, uerum non habetur, sed nostrum duplicatum eosdemmet effectus, quos uerum cinnamomum efficit, Dioscorid capite decimotertio primi, Vide de caßia Galenus septimo de faculta. simp. calefacit in tertio, non tamen ita desiccat, itidem Paulus lib. 7. ait.

Circea siue κιρκαία, nondum a me cognita, nec uisa est huc usque, de hac loquitur Dioscorides, capite. 125. tertij, Galenus septimo de faculta simpli. Paulus libro septimo, calida est eius radix & odorata eius semen lac generat.

Cirsion, siue κίρσιον, nisi sit nostra uulgaris buglossa, nescio profecto quid sit. Dioscorides capite decimo quarto, libri quarti.

Cistos κίστος, & hipocistos, apud seplasiarios uocatur corrupto uocabulo hipoquistidos, & est succus radicis tragoponi, id est barbæ de becho dicti ad solem inspissatus, & non est id quod habet Dioscorid. capite. 111. & 112. primi, nam est herba saxosis locis nascens, Galenus septimo de faculta. simplicium. Paulus libro septimo, adstringit, & modice refrigegat.

Citria græce μῆλα μηδικά, siue citro mala, omnibus nota sunt, in quorum numero ponuntur, quæ nos uocamus limonia & aurantia poma, unde Virg. aurea mala decem misi, uulgo dicuntur arantie, quasi ac dixeris aurantia, Dioscorides capite. 136 primi, Plinius capite tertio, libri duodecimi, Galenus septimo de fac. simp. Pau. libro septimo, semen tertij refrigerantium siccantiumq; ordinis habetur, cortex siccat in secundo.

Clematitis, siue κληματῖτις daphnoides, est herba quæ uulgo dicitur uinca pro uinca sed altera clematitis, nisi sit uitis alba, aut flamola uulgo dicta, nescio quid sit Dioscor. capite septimo & octauo quarti, Galenus septimo de faculta. simplicium. Paulus libro septimo, clematitis daphnoides siccandi uirtute pollet, Altera uero clematitis acri & caustica facultate donata est.

Clymenon, siue κλύμενον, sunt qui uelint esse uulgarem saponariam, sicuti & periclymenon, matrisyluam, decipiuntur uero qui credunt matrisyluam & caprifolium esse unum & idem, quum caprifolium sit pixiacantha. Dioscorid. uide de clymeno Dioscorid. capite decimoquarto quarti, & de periclymeno. capite. 15 quarti, & Galenus octauo de facul. simpl. Plin. lib. 25. cap. vij.

Cnicus siue κνίκος a seplasiarijs dicitur carthamo, & ab aliquibus uulgariter zafarano sarasinesco, Dioscorid. cap. 182. quarti, & Galenus septimo de facul simplic. & Theoph. capite quarto lib. 6. Pau. lib. 7. Tertij ordinis siccantium est semen purgat aluum.

Condrilla, siue κονδρίλλη, est species cichorij, est & alterum condrillæ genus, quod uulgo ab ipsius lacte lattarola nuncupatur, uide Dioscorid. capite. 122. secundi, & Galenus octauo de faculta. simplicium, cap. de endiuia & cichorio. Plinius libro. 22. capite. 22.

Conyza, siue κόνυζα, uulgo dicitur pulicaria, eo quòd pulices enecet, Dioscor. capite 127. tertij, Theophr. cap. 2. lib 6. & Galenus septimo de facul. simplic. Paulus libro septimo, siccat & calefacit in tertio ordine.

Corallium, siue κοράλλιον, album & rubrum omnibus notum est lithodendron etiam dictum, album rubro frigidius, Dioscorid. cap. 93. quinti, & Plin. capite secundo, lib. 32. Auic.

de uiribus cordis, Paul. lib. 7. ualidam ſiccandi uim habet, adſtringendi uero mediocrem.

Coriandrum græce κόριον, omnibus notum, in uiribus eius diſſentiunt, Dioſcorid. & Gale. nam tenet Dioſcorides, capite. 64. tertij, quòd habeat uires frigidas, & ſimiliter Auicen. At Galenus ſeptimo de faculta. ſimplicium, quòd ſit tepentis facultatis cum pauxilla adſtrictione, itidem Paulus libro ſeptimo tenet.

Cornu cerui, ſiue ἐλάφου κέρας, ceruus animal eſt omnibus notum, de cuius uita & natura legit apud Ariſtot. 6. & 9. de natura animalium, & Plin. cap. 22. libro. 8. Dioſco. cap. 52. ſecundi, Galenus lib. 9. de facul. ſimp. uim habet exiccatoriam, itidem ait Pau. libro ſeptimo.

Cornus arbor græce κρανία, omnibus nota, mas & fœmina reperitur, non plantantur apud apum aluearia, ne apes corni floribus ueſcentes moriantur, Dioſcorides capite. 140. primi, & Galenus ſeptimo de faculta. ſimplicium, exiccat ualenter, ac uulnera conglutinat. Paulus libro ſeptimo itidem.

Coronopos, ſiue κορωνόπους, id eſt cornicis pes eſt, ut placet Manardo, id quod dicitur uulgo herba ſtella, & non ut Leonicenus eſt la ſanguinella, quæ eſt ſpecies graminis ſpinoſæ, ut placet Plin. capite. 19. lib. 24. & uocat dattilus. Dioſcorides capite. 119. ſecundi, & Plinius libro. 22. id ait, quod Dioſcor. Gale. 7. de fac. ſimpl. Paulus libro ſeptimo creditur prodeſſe ad colicos cruciatus manducata.

Coſtus, ſiue κόστος, uerus non habetur, ſed pro coſto quædam uulgaris radix uenditur, nec inuenitur dulcis & amarus ut uulgus putat, ſed bene albus & niger, nunc Venetijs optimus uenditur, uide Dioſcorid. cap. 15. primi, Galenus ſeptimo de faculta. ſimp. plurimam acrem & calidam qualitatem

ſimul & facultatem adeo habet, ut etiam exulceret. Paulus lib. 7. itidem refert.

Cotonea mala ſiue μῆλα κυδώνια, uulgo pome codogne forte a cydone cretenſi oppido oriunda, quæ minora & in partes diuiſa citrina & lanuginoſa ſunt, cæteris meliora, nam odo rem longe alijs ſuauiorem reddunt ſtruthia uero a Galenus appellata, ſunt quæ in magnitudine maiora ac carnoſiora, habent corpora nec ſic citrina ut prædicta conſpitiuntur, mu liana uero a Plinio dicta ſunt cotonea, uulgo pome baſtarde appellata, Dioſcorides cap. 136. primi, Paul. lib. 7. frigidi & terreſtris temperamenti ſunt, Gal. 2. de fac. alimen.

Crimnon ſiue κρίμνον, eſt ex tritico uel zea, granũ, craßius trituratum quàm farina, quo antiqui uice panis ueſcebantur, lege Dioſcorides cap. 81. ſecundi, & Plin cap. 8. lib. 18. Gal. 7. de fac. ſimp. & primo, de fac. alim. ubi de zea loquitur Paul. lib. 7. ualde nutrit, ægre conficitur.

Crithmon ſiue κρίθμον, plures exiſtimarũt id eſſe quod uulgo dicitur fenochio marino, ouer hrrba di ſan Petro, ego cre- derem eſſe mentam florentinam. Dioſcorides cap. 118. ſecun- di, Gal. 7. de fac. ſimp. uis eius eſt exiccatoria & abſterſoria, Paul. lib. 7. idem refert.

Crocodiliõ ſiue κροκοδείλιον, eſt ſpeties chamæleõtis, ſed nõ eſt carlina ut aliqui, at quæ ſit uera, demoſtrare neſcirem, Dioſcorides cap. 10. tertij, Plin. cap. 8. lib. 22. & Gal. 7. de fac. ſimp. Paul. lib. 7. calidam ſiccam & diſcutiendi uim obtinet.

Crocus ſiue κρόκος ab omnibus cognoſcitur, is melior exiſti matur qui ex aquila Abruci affertur Venetias, naſcitur mul- to præcioſior in multis Lombardiæ locis, ſed rarior, Dioſco rides cap. 25. primi, & Galenus 7. de fac. ſimp. Paulus lib. 7. calefacit in ſecundo & deſiccat in primo ordine.

Cucurbita græce κολοκύνθα uulgo dicitur zucha et eſt in tri

plici differentia, nam uel est longa rotunda uel lata, ex semine colli cucurbitæ fiunt longæ, & ex semine in parte rotunda contento, rotundæ, sicut & in parte lata latæ oriuntur, crassiores euadunt cucurbitæ si semen cum acumine uersus terram plantetur Dioscorides cap.123. secundi, & Plin. capi. 5. lib. 18. & Gale. 7. de fac. simp. Paul. lib. 7. humida & frigida in secundo abscessu.

Cucumis Græce σικυς ἥμερος, est id quod uulgo dicimus cucumere ouer cedrone, ut probatur ex Plin. cap. 5. lib. 19. & ex Dioscorides nec est anguria ut uolunt aliqui, omnes tamen species cucumerum melopeponum & peponum ut affirmat Gal. 2. de fac. alimen. uocantur nomine peponis, melopepones sunt nostri uulgares melones, sed quid sint pepones, nisi forte sint quos Venetiis uulgo uocant peponi, haud scio quid sint scio hos non esse angurias, quum seorsum Serapio capita de omnibus faciat, Dioscor. ca. cap. 124. secnndi, Paul. refrigerat & humectat in secundo ordine, semen abstergit & incidit, uide etiam Gal 8. de fac. simp.

Cucurbita syluestris, siue κολοχυνθὶς uulgo dicitur coloquintida, ualet mirabiliter in asthmate & tussi antiquæ & iuncturarum doloribus, oleum in eius concauitate bullitum nigros efficit capillos, nec sinit canos fieri & prohibet eorum casum, auribus sibilantibus medetur, Diosc. cap. 171. quarti, & Gal. 7. de fac. simp. uide etiam Mesuen. Paul. lib. vij. ualidam habet uim purgandi.

Cucumis syluestris. siue σικυς ἄγρια, est id quod uulgo dicunt cucumere asinino ex quo fit elaterium, decoctum radicis & eius foliorum & succus eius ualet sumopere hydropicis, cum melle abstergit maculas liuidas ex percussione, ualet etiam ad lentigines & maculas faciei. Dioscorid. cap. 149. quarti. & Galenus octauo de facul. simp. Paulus libro septimo, ra-

dix detergit, dißipat, & emollit, ſuccus uero ſiccandi ui-
res habet.

Cupreſſus græce κυπάριασος, arbor nota eſt, quæ formicis familiarißima eſt, non naſcitur ubi ſit aqua, nec eius lignum marceßit. Dioſcorides capite.87.primi. & Plini.cap.15. libro.24. & Galenus ſeptimo de fac.ſimp. Pau.lib.ſeptimo, ſiccandi uires habet abſque calore conſpicuo.

Curmi ſiue κοῦρμι, ut refert Plin.ult.cap. lib.22.eſt potus, ue luti ceruiſia uide Dioſco.cap.79.lib.2.

Cuſcuta tantum iuxta arabes memoratur, & eſt ſatis nota herba, habet uim adſtringendi confortandi, ualet obſtructionibus hepatis, & lienis & ſanguinem purificat.

Cyclaminus, ſiue κυκλάμινος, eſt id quod uulgo dicitur pan porcino, & eſt omnibus nota una tantum ſpecies, altera uero cyclaminus dicta a Dioſcor. haud certe ſcio quid ſit. Dioſco.cap.153.ſecundi. & Gale.ſeptimo de fac.ſimpl. Paul.libro ſeptimo extergit, incidit, aperit, attrahit, & dißipat. Plini. capite nono lib.21.

Cyanon ſiue κυάνος, puto eſſe lapidem lazuli inuenitur in ærarijs fodinis, & in quibuſdam maris littoribus Dioſcor. cap.60.quinti, Gal.9.de fac.ſimp.

Cyminum, ſiue κύμινον, ſatiuum omnibus notum, uulgo cumino dicitur ſylueſtre uero ut ſciam non cognoſcitur, niſi ſit quod uulgo dicitur rucheta, calidum eſt, ut placet Gale. 7. de facul.ſimp. Dioſco.cap.61.tertij, Pau.lib.7.in tertio ordine calefacit flatus diſcutit.

Cynocrambe, ſiue κυνοκράμβη, id eſt canina braßica, niſi ſit ſpecies mercurialis herbæ, certe neſcio quid ſit. Dioſco.capite.184.quarti, Galenus quinto de faculta.ſimplicium. Paulus libro ſeptimo, lethalis homini eſt fœdi odoris, citra ſiccitatem digerit etiam.

Cynogloſſa,

Cynoglossa, siue κυνογλώσσον, id est lingua canina, duplex est altera a plin. descripta, altera uulgaris quæ uera non est Dioscorides capite.124. quarti, & Plinius capite octauo, libro uigesimoquinto.

Cyperus, siue κύπειρος, duplex alter cognoscitur quum passim in Lombardia inueniatur, altera angulosi iunci radix similis zingiberi, nascitur in India & est uulgaris nostra curcuma uero Serapionis non est curcuma nostra, sed radix chelidoniæ uide Dioscorid. capite quarto primi. & Galenus septimo de faculta. simp. paulus libro septimo, siccat, calefacitq; citra morsum.

Cytisus, siue κυτισος, est herba uulgo dicta trifolio caualino, ouer tribolo impinguantur æqui cytiso, & a quocunque morbo liberantur, libentius quàm hordeo æqui cytiso uescuntur. Diosco. cap.108 quarti, & Gale. septimo de facul. simpli, & plin lib. 13. cap. 24. paul. libro septimo, tepidæ naturæ & leniter discutientis.

Daphnoides, siue δαφνοειδὲς, est quam uocamus laureolam, nec laureola est mezzereon, quum sit chamælea Dioscoridis ut dictũ est, chamedaphne postea est species daphnoidis, Diosco. cap. 143. quarti, Plin. cap. 15. libro uigesimoquarto, & Galenus sexto de facul. simp. Paulus libro septimo, calida, acris, & subamara est.

Daucus est secundum aliquos pastinaca syluestris, uerus daucus nondum habetur, quoddam aliud a seplasiarijs pro dauco uenditur græce δαῦκος. Dioscor. cap. 66. tertij, Gale. 6. de fac simp. pau. libro septimo.

Dictamnus, siue δίκταμνος, nuper inuentus habetur Venetijs, uerũ q; uendunt pro dictamno est species fraxinellæ, quæ nec dictamno Cretensi, uel falso conformis est, sed quæ sit fraxinella nuncupata, quum nullibi ab antiquis mẽtio fiat haud

ſcio quid explicare debeam, de dictamno ſcribit Dioſc. ca.32. & .33. & .34. tertij. Gale.6. de fac. ſimp. Theoph. cap.16. lib.9. Paul lib.7. uirtutem habet pulegij.

Dipſacus ſiue δίψακος, ſiue labrũ ueneris uulgo dicitur ſcarzo da ſcarzare li panni, uocatur & inepte a ſeplaſiarijs uirga paſtoris, ſic etiam pandectarius, ubi dipſacum confundit cum ploygonio qui eſt centinodia ſiue corrigiola ouer ſanguinaria de dipſaco Dioſcorides cap.11. lib.3. Gale.6. de fac. ſimpl. Plin. cap.13. lib.24. & cap.9. lib.27. Paul. libro ſeptimo deſiccat in ſecundo ordine & nonnullam adſtringendi uim obtinet.

Dracunculus ſiue δρακοντία, duplex maior & minor, & eſt res ab aro differens & alia, uulgo dicitur ſerpentaria maior & minor, adeſt alia herba nomine ſerpentina ſiue herba argentina quæ in recentibus conſolidandis uulneribus mirabilis eſt & in inteſtinorũ rupturis, de dracũculo, Dioſc. ca.155. & 156. ſecundi, & Gal.6. de fac. ſimp. magis calefactoriũ & tenuioribus partibus conſtat ipſo aro, itidem, Paul. lib.7.

Dryopteris ſiue δρυοπτερίς, nil aliud ſonat quàm quercuum filix, nam ſimilis eſt filici, ſed multo minoribus foliorum inciſuris, depilat hæc cum radicibus emplaſtri modo impoſita, Dioſcorides cap.181. quarti. & Galenus 6. de facul. ſimpl. Plin. cap.9. lib.27. Paulus uim habet ex edentem, deceptus eſt Pandectarius credens eſſe polypodium.

Ebenus ſiue ἔβενος eſt ſpeties ut aliqui putãt ligni guaiaci, uel ſancti appellati, in quorum ordine id melius ac excellentius eſſe exiſtimarunt, quod minus nigricat, ebenus olim in multa fuit ueneratione ut teſtatur Plin. cap. 4. lib.12. & de eius uiribus ſcripſit Plin. cap. 11. lib.24. Galenus.6. de facul. ſimp. Dioſco. cap. 114. primi. Paulus lib.7. uis eſt ex calefactoria deterſoria & ſubtilis.

Ebulus & sambucus græce ἀκτῆ, res sunt notißimæ, aqua ex eorum floribus elicita dolores capitis a uaporibus calidis factos mitigat, succus ebuli ad solem cõcretus ac siccatus pondere unius drachmæ cum decocto iuæ datus dolores podagricos & iuncturarum & morbi gallici tollit, & in enemate positas sciaticis prodest, Diosco cap. 168. quarti, & Gale. 6. de fac simp. Plin. cap. 8. lib 24. Paul. lib. 7. uterque desiccandi faculta. habet, digerit, conglutinat & aquã per aluũ educit.

Ebur græce ἐλέφας, uulgo auorio, & est dens elephantis, de quo scripsit Aristo. 6. de natura animalium. ebur ualet fluxui albo mulierum cum lacte ex seminum lactucæ extracto cum aqua calybeata bibitus, Diosco. cap 50. lib. 2.

Echion quid sit nescio uolunt aliqui esse buglossum syluestre, flores iuxta folia purpureos in quibus semen est uiperino capiti simile, habet Diosco. cap. 28. quarti. Plin. ca. 19. li. 25.

Echinus græce ἐχῖνος χερσαῖος, uulgo dicitur riccio terrestre, uide eius uires iuxta Dioscor. cap. 2. lib. 2. & apud Razem in tract. 6. animalium. Gale. 2. de fac. simp. Plin. lib. 9 cap. 25. & lib 32. capite. 1. Paul. lib. 7. fel eius pilos fluentes glutinat, caro discutit & siccat.

Echinus herba Gal. nisi sit species spinæ albæ, eo quod capitellum simile echino pisci habeat certe diuinare nescirem quid esset Plin. cap 8. lib. 23. Gal. 6. de fac. simp. acerba repellit & siccat, itidem Pau. lib. septimo.

Electrum siue ἤλεκτρον, latini succinum, arabes charabe, & idem est, uulgo dicitur ambra da corone, habet uim retinendi fluores stomachi & uentris. Diosco. cap. de populo nigra. cap 98. primi, nec est gumi albæ populi ut brasauola, Plini. cap. 2. & 3. lib. 37. post longam improbationem fabularum Ouidij, inquit certum esse electrum gigni in insulis septentrionalibus & cæ.

Elleborus græce ἐλλέβορος, duplex, albus & niger, uocatur etiam ueratrum, & est omnibus notum, cuius usum damnauit Mesues sed communiter non solum eius infusio, sed etiam puluis nunc in usu est absque alicuius patientis incommodo, radices quum extrahuntur statim purgantur, & abiecta parte interiori cortices tantum ad solem exiccantur, ex quibus deinde fit puluis, uide de eius uiribus actuarium. Gale. 6. de facul simp. & Diosc. cap. 145. & 146. quarti. ualet suffusis felle, scabiei lepre uolaticis. Pau. libro septimo, uterque calefacit & siccat in tertio abscessu.

Ephemeron, siue ἐφήμερον, duplex colchicon & ephemeron nuncupatum agrestis iris, cholchicum uero, id est quod nunc dicitur hermodactilus, & est res uenenosa, sed ephemeron dictum est id quod uulgo dicitur giglio matto Hermodactilus uerus ac legittimus non inuenitur, nec ephemera est lilium conualium, ut Fuchsius, Paul. mixtæ potestatis est repellentis & discutientis. Diosco. cap. 82. & 83. quarti. Galenus sexto de simp. fac.

Epithymon, siue ἐπίθυμον est thymi inuolucrum apud seplasiarios res notißima, & est uerum ephithymon quo nūc utimur: Diosco. cap. 172. quarti, & Plin. capite octauo, libro. 26. Galenus sexto de facul simp. pau. libro septimo, siccat & calefacit in tertio abscessu.

Ἔρινος græce, ocimum aquaticum uocatur, Dioscor. ca. 30. quarti, & est forte apud Galen. echinum dictum, sexto de facul. simplicium.

Eryngium, siue ἠρύγγιον, notum est uulgo dicitur Rinzzo, nec eryngium est secacul Serapionis, imo nec istud secacul adhuc cognoscitur, iccirco qui eryngio uim excitandi uenerem tribuunt, quum nullibi a Galeno, uel Dioscoride hoc dicatur, summopere decipiuntur, uide Dioscori. capite. 22. ter=

tij, & Galenus sexto de facul. simp. plinius capite secundo, libro. 25. pau. lib. septimo, calefacit quidem non manifeste, siccat uero nec modice.

Eruca græce εὔζωμον, duplex satiua & syluestris & ab omnibus cognoscitur, uulgo dicitur Ruchetta in Hetruria, & Ruchula in Lombardia & comeditur in acetarijs. Semen tritum & cum felle bouino mixtum cicatrices nigras, albas reddit, & cum melle maculas faciei & lentigines delet, uide Diosco. cap. 129. secundi, & Galenus secundo de facul. alim. & sexto de fac. simp. cap. de uitice, plin. cap. 13. lib. 20. Paul. libro septimo, flatulenta est & uenerem instigat, sed syluestris ualentior est.

Eruum græce ὄροβος, uulgo orobo inuenitur intra uarias segetes & species uitiæ esse prosumitur. Orobum uero quod ex Alexandria Venetias affertur uon est uerum orobũ, Brasauola putauit id esse Eruum quod uulgo dicitur Ruuione, quod a Galeno uocatur ochron, sed decipitur, nam non prouocat sanguinem cum urina ut orobum, Diosco. cap. 100. secundi, Et Galenus octauo de faculta. simplicium. Plinius capi. 25. libro. 22. Paulus libro septimo calefacit in primo, siccat in secundo gradu.

Eupatorium, siue ἐυπατωρίον est nostrum uulgare agrimonium apud græcos, sed apud Arabes & maxime apud Auic. & Mesu. sunt diuersa eupatoria, nam quod ab Auic. describitur, id esse uolunt quod uulgo dicitur canuarola, Eupatorium Mes. est quod in Hetruria dicunt herbam Iuliam, quæ uementer uermes interficit, idcirco in compositionibus Auicennæ uterer suo eupatorio & similiter in Mesu. herba Iulia, & iuxta græcos agrimonio uulgari. Diosc. cap. 39. quarti, Gale. 6. de fac. simp. Pau. lib. 7. tenuem uim & incidentem sine conspicuo calore habet.

Euphorbium ſiue εὐφόρβιον, res notiſsima, & eſt quo uulgari ter utimur, uide de eius uiribus Meſ. & Dioſcor. cap. 87. tertij, & Gale ſeptimo de fac. ſimp. Plin. ca. 7. lib. 25. Pau. lib ſeptimo uim adurentem habet.

Faba græce κύαμος omnibus nota, Aegyptia uero ea eſt quæ uulgo dicitur colocaſia, uide Dioſco cap. 96. & 97 ſecundi, & Theoph. cap. 4. lib. 4. & Gale 1. de fac. alimen. Pau lib 7. non recedit multum a medio temperamento in refrigerando & ſiccando.

Ferula græce νάρθηξ in Apulia maxime cognoſcitur ubi lignorum loco comburitur, uide Theophr lib. 6 & Gale. 8. de facul. ſimpl. & Plinius capite. 24. lib. 20. & Dioſcorides capite. 82. tertij.

Ficus græce σῦκα omnibus notæ, ſatiuæ & ſylueſtres ſunt, uide Dioſco. cap. 149 primi, & Gale 2 de fac. alim. & 8 de fac. ſimp. Pau lib. 7. aridæ ſiccant in ſecundo maturant detergunt ac diſcutiunt, Ficus uero arbor calidi tenuiſq; temperamenti, adeo ſuccus foliorum abſtergit ut etiam exulceret.

Filix græce πτέρις, uulgo dicitur feleſe, mas & fœmina habetur uide Dioſco cap. 178. quarti, & Theoph. cap. 20. lib. 9. & Plin. cap. 9 lib. 27. & Galenus octauo de facul. ſimp. Pau. lib. 7. uim ſiccandi & amaram habet fœtus corrumpit lumbricos enecat.

Flos æris res eſt diuerſa a uiridi ære, quo paſsim utuntur ſeplaſiarij pro flore æris, nam eſt pars æris tenuiſsima ex uapore æris fuſi eleuata, quæ uero ui quædam excutitur, ærugo æris dicitur & eſt æs uiride. Dioſcorid. cap. 45. quinti, Plin. cap. 2. lib. 34.

Fæniculum græce μάραθρον duplex, domeſticum, & ſylueſtre, Domeſticum omnibus notum, uide Dioſcor cap. 74. tertij, & Gale. ſeptimo de faculta. ſimp. Plin libro. 20. cap. 23. &

Gale.2.de fac.alim.Paul libro septimo calefacit in tertio, siccat in primo ordine.

Fænugræcum græce τῆλις omnibus notum, buceras a corniculis suis a Theoph.uocatur, Gale 8.de facul simp. Dioscor. cap.93.secundi, Plin cap 19 lib 23 pau.lib septimo calidum in secundo, siccum in primo.

Fraxinus græce μελία, res est notißima, ualet uenenis serpentium Dioscor.cap.93.primi, Theoph cap.11.lib 3. uide de eius uiribus plin.cap.8.lib.24.paul.lib.7.Morsui uiperarum folia succurrunt, ligni ramenta ferunt esse læthalia.

Fumaria græce καπνὸς uulgo dicitur fumus terræ, omnibus nota, uide Mes.de eius uiribus, & Dioscor.cap.105. quarti, Gale.septimo de facul.simp.pau.lib.septimo, acris, & amara est eo dicta q lachrymas eius succus eliciat.

Fungi græce μύκητες omnibus noti, de quibus agitur iuxta Dioscor.cap.81.quarti, Gale.septimo de facul.simpl. frigidos & humidos eos appellat.plin cap.3.lib.19 pau.lib.7.frigidi & humidi, nonnulli exitiosi præcipue putridæ qualitatis participes.

Galbanum siue χαλβάνη, uulgo galbina liquor est cuiusdam plantæ nascentis in syria ferulæ, Dioscorid cap.88.tertij, & Galenus octauo de faculta.simpl.calidum in primo, tertij, & siccum in primo, secundi ordinis.plin.cap.26.lib.12.

Galiopsis, siue γαλίοψις, herba est similis urticæ, & est secundum aliquos urtica fætida, uulgo urtica mortua, ouer quel la ortica che ha le machie bianche, At secundum Fuchsium est scrophularia, sed reuera scrophularia non fætet ueluti urtica mortua. Vide Dioscoridem capite.90. quarti, Plinius libro 27 capite.9.paul.libro septimo, dißipat & emollit scirrhosos humores.

Gallion, siue γάλλιον quo lac coagulatur, herba est similis

lis rubiæ minori, quæ aparine dicitur, alia certe a præsura uocata Dioscor. cap. 91. quarti, & Gale. sexto de facul simpl. Paulus libro septimo, siccandi uim cum mediocri acrimonia habet.

Garrus, siue γάῤῥος est iuxta Diosco. quod uulgo dicit salamoia, sed apud Plin. capite septimo, lib. 31. erat condimẽtum ex interioribus gari piscis maceratis & cum sale resolutis, paul. lib. 7. calefacit & exiccat.

Genista græce σπάρτιον, uulgo genestro, & est herba satis nota ex quo aliqui funes parant. Dioscor. cap. 152. quarti, Galenus octauo de facul. simp. & Mesues inter alia sua solutiua. Plin. cap. 9 lib. 24. Paulus libro septimo, semen & flores per inferiora purgant.

Gentiana, siue γεντιανή, herba omnibus nota, aqua eius radicis per balneum mariæ elicita, febres opilationum sanat, uermes interficit & sæpe lauando maculas faciei omnes repurgat, Dioscor. capite tertio, tertij, Plin. capite septimo, lib. 25. Gale. 6. de facul. simp. Paul. libro septimo, extenuat, perpurgat, abstergit, & aperit.

Geranion, siue γεράνιον, est herba gruaria, quæ in sumitate habet caput gruis, cuius species sunt tres, una latinorum, quæ est id quod uulgo dicitur rostrum gruis, & aliæ duæ græcorum inter quas est pes columbinus, & alia quæ folia maluæ similia habet, Diosco. cap. 122. tertij, Plin. cap. 6. lib. 16. paul. libro septimo, radicem habet esculentam, quæ inflammationes uteri dissoluit.

Gingidium, siue γιγγίδιον, nisi sit quod uulgo cerofoglio, ut putat Ruellius & Fuchsius, nescio certe quid sit, nam in Cilicia & Syria nasci traditur Dioscor. cap. 126. secundi, Gale. sexto de fac. simp. & secundo de facul. alimentorum. Paul. libro septimo, non habet calorem manifestum, sed siccat in

tertio, & adstringit.

Git græce μελάνθιον, siue nigella idem sunt Brasauola uult id esse quod uulgo dicitur gitone, aliqui uolunt esse, quod uulgo dicitur rosola, aut id quod pro nigrella a seplasiarijs uenditur, nam omnia indicia præter colorem habet, uide Dioscor. capite. 84. tertij, Galenus septimo de faculta simpli. plin. capite decimoseptimo, libro uigesimo, Paulus libro septimo, in tertio calefacit & desiccat.

Gladiolus Plinij est acorus, sed gladiolus Dioscor. est, cuius flores in Hetruria dicuntur Monacaccie græce dicit ξιφίον, Dioscorid. cap. 22. quarti, & Galenus octauo de facul. simp. Pau. libro septimo, radix trahit, discutit, & siccat.

Glaucium, siue γλαύκιον est, quod Arabice dicitur memithe a Serapione & ab Auicen. Nota tamen duo esse in Serapione capita, alterum de glaucio græcorum, alterum de celidonia minori, Diosco. cap. 91. tertij, Galenus sexto de facul. simplicium. Plinius cap. 10. lib. 27. Paulus libro septimo, adstringit, & manifeste refrigerat.

Glaux, siue γλαῦξ, nisi sit, ut Ruellius quod dicitur uulgo galega, siue ruta capraria, quid esset profecto nescirem, ualet enim galega in peste, & ad uenena serpentum epilepsiæq;, si eius succus ad mediam ontiam bibatur, sed quia galega lac non facit multiplicari, dicere possem non esse glaucum, uide Dioscoridem cap. 136. quarti, & Galenus sexto de facul. simpli. Pau. libro septimo, calida & humida temperamento est, unde lac generat.

Glycyrrhiza græce γλυκυρριζα, uulgo regolitia omnibus nota Theoph. uocat eam sciticam, cap. 13. lib. 9. & Galenus sexto de faculta. simp. Diosco. cap. 5. tertij, Plinius capite nono lib. 22. Paulus libro septimo, tepidi, humidiq; temperamenti alicuius adstrictionis particeps.

Gramen græce ἄγρωστις, multas habet ſpecies, ſed apud nos duæ tantum inueniuntur. Altera .ſ. communis, altera quæ uulgo dicitur ſanguinella ouer capriola, nota tamen non habere proprietatem ullam contra uermes ut communis erat opinio, Dioſcor. cap. 31 & .32 quarti, Gale. 6. de facul. ſimp. Plin. cap. 19. lib. 24. pau. lib. 7. ſiccat & modice refrigerat tenuis & ſubacerbæ ſubſtantiæ.

Halicacabus eſt apud Arabes Alchechengi, & eſt ſpecies ſolatri, uide igitur fuſius de ſpeciebus ſolatri, ca. de ſolatro.

Halcyonium, uulgo ſpuma maris a ſeplaſiarijs dicitur. cuius ſpecies quinque enumerantur a Dioſcor. cap. 90. quinti, plin. capite nono, lib. 32, non niſi quatuor ſpecies recenſuit, ego quum eſſem Venetijs uix duas ſpecies uidi. Gale. 11. de facul. ſimp. quinque etiam memorat pau. lib. 7. abſtergit, diſcutit acri qualitate præditum.

Harundo græce κάλαμος quinque ſpecies habet, ut Dioſcor. ſed plin. ſpecies. 29. enumerat, cap. 36. lib. 16, & cap. 11. lib. 24. uide Theophr. cap. 12. lib. 4 & Gale. ſeptimo de facul. ſimpl. Dioſco. cap. 99. lib. 1.

Hedera græce κισσὸς, tres habet ſpecies, & omnes cognoſcuntur, qui maiorem de hedera lectionem cupiunt, legant Theophr. cap. 18. lib. tertij, & plin. cap. 34 lib. 16, & Galenus ſeptimo de fac. ſimp. & Dio ſcor. cap. 171, ſecundi, De hedera terreſtri lege chameciſſos, paul. libro ſeptimo, hedera contrarijs conſtat uiribus adſtringit refrigerat, acris eſt et calida aqueæ ſubſtantiæ & tepidæ.

Hedyſaron, ſiue ἡδύσαρον, eſt herba quæ inter aphacen, id eſt uitiam naſcitur, unde Theophr. cap. 8. lib. 8. inquit, q̃ hedyſaron eſt, ueluti aphacæ peſtis, ſicut lolium tritico, uocatur ẽt ſecuridaca eo quòd ſemen in ſiliquis contentum ancipiti ſecuri ſimile habeat. Dioſcorid. cap. 137. tertij, plinius capi. 17.

libro decimooctauo, paul. libro ſeptimo, amarum eſt & leuiter adſtringit.

Heliochryſon, ſiue ἑλίχρυσον, niſi ſit quod a nobis dicitur garyophillum hiſpanicum, haud ſcio quid ſit, uide Dioſco. ca. 55. quarti plin cap 25 lib. 21. Galenus ſexto de facul. ſimp. ſub nomine amaranthi, facultatem habet incidentem & extenuantem unde grumos ſanguinis liquat, ac diſſoluit, paulus libro ſeptimo, itidem aſſerit.

Heliotropium, ſiue ἡλιοτρόπιον, duplex maius & minus, maius apud nos uulgo dicitur Miraſole, apud hetruſcos dicitur uerucaria, & uulgo herba da porri, quoniam porros diſſipat, ualet etiam mirabiliter cancris idcirco dicitur etiam herba cancri, uide Dioſcor. cap. 185, & 186 quarti pau. lib ſeptimo. Maius calidam, ſiccam & abſtergentem uim habet, minus uero lumbricos interimit.

Helxine, ſiue ἑλξίνη, uulgo uitriolo ſecundum aliquos, alij dicuntur eſſe ſpeciem inuolucri, quod flores in modum campanæ albos fert, Dioſcor. cap. 37 quarti. credo ego uere q. ſit paritaria, uide Gale. ſexto de facul. ſimp. & plin. cap. 15. li. 21. pau. libro ſeptimo, uis eſt abſtergendi & leuiter adſtringendi cum humiditate ſubfrigida.

Hemerocallis ſiue ἡμεροκαλλίς, eſt lilium ſylueſtre, non autem lilium conuallium, ut uolunt nonnulli, Germani utuntur lilio conuallio in corroborando cor cerebrũ & omnia membra ſpiritualia, ualet etiam tremori cordis epilepſiæ & apoplexiæ morſibus & puncturis uenenoſorum animaliũ, Dioſcor. cap. 128 tertij, Gale. 6. de fac. ſimp. Pau. lib. 7. radix uiribus lilio reſpondet, uide etiam Plin. cap. 21 lib. 21.

Hemionitis ſiue ἡμιονῖτις, herba eſt apud me incognita, nec eſt ſcolopendria illa quæ dicitur lingua ceruina, quũ ſit phyllitis apud Dioſcor. uide de hemionite, Dioſcori. cap. 143. ter-

tij, Paulus libro ſeptimo, adſtringit & ſimul amara, lienoſis ſuccurrit.

Hiberis ſiue ἰβηρὶς, duplex, altera Democratis, altera a Paulo & a Plin. recitata, quæ habet folia lauro ſimilia, Prima eſt lepidion Dioſco. Secunda uocatur piperitis, ſiue piperella a ſapore piperis acuto, uide Dioſco. cap. ulti. primi, & Plin. cap. 8. lib. 19.

Hieracion, ſiue ἱεράκιον, id eſt lactuca erratica, eſt herba ſpinoſa ſimilis ſoncho, id eſt, cicerbitæ, de qua Plin. cap. ſeptimo libro. 20. multa habet ualet cum lacte mixta infirmitatibus oculorum præſertim cicatricibus ſuffuſionibus caligini cum aqua uero & aceto bibita uentrem purgat, ualet cum uino morſui ſerpentum & uulneribus, ſi folia cum caule terrantur, ſomnum excitat uenerem prohibet, refrigerat & ſanguinem auget, uide Dioſcorides capite. 65. & . 66. tertij. Plinius capite. 7. lib. 20.

Hippogloſſon, ſiue ἱππόγλωσσον, uulgo bislingua, uel bonifacia, ualet præfocationibus uteri ſi cochleare eius radicis ſumatur, ualet etiam mirabiliter ruptis, ſiue crepatis, ſi pulueris chocleare cum brodio carnis quotidie ſumatur, uidentur tamen in primis diebus eorum uelle inteſtina exire, nihilominus poſtea conglutinantur, idcirco diligenter in primis illis diebus ligentur, Dioſco. cap. 127. quarti, Plin. cap. 10. lib. 77 Pau. lib. ſeptimo, molliendi uirtute pollet.

Hippuris, ſiue equiſie tum, græce ἵππουρις duplex eſt, altera quæ uulgo dicitur cauda equina, altera aſprella etiam dicta. ualet ut teſtatur Gale. 6. de fac. ſimp. omnibus uulneribus, etiam ſi nerui eſſent præciſi, Dioſco. cap. 44. quarti, pau. li. 7. adſtringit & ualenter citra mordacitatem exiccat.

Hordeum græce κριθὴ, res eſt notiſſima, ex qua paratur ptiſana, Dioſcor. capite. 78. ſecundi, Galenus ſeptimo de facul.

ſimpli. & primo, de facul. alimen. refrigerat & ſiccat in primo ordine cum pauxilla adſtictione, itidem pau. lib. 7.

Hordeum murinum id græce φοῖνιξ dicitur uulgo loliũ ſylueſtre uocatur, notum eſt, nam ubique naſcitur ac ipſum frumentum, Dioſcorid capite. 40. quarti, plin. cap. 22. lib. 29.

Hyacinthus, ſiue ὑάκινθος, eſt ſecundum aliquos id quod uulgo dicitur cipolla ſeluatica, nec eſt ille hyacinthus, de quo fabulantur poetæ ex aiacis ſanguine natus, nam ille producit florem rubeum iridi ſimilem. Dioſcorid. cap. 61 quarti, Galenus octauo de faculta. ſimplicium. paulus libro ſeptimo refrigerat in ſecundo, ſiccat in primo, ſemen leuiter abſtergit & adſtringit.

Hydropiper ſiue ὑδροπέπερι, non eſt, ut Ruellius uulgaris canaruola, ſed potius quædam ſpecies perſicariæ, quæ nullam in folijs maculam per ſe fert, hæc enim ſeruat omnes illas conditiones, quas illi tribuit Dioſco. cap. 150. ſecundi, Galenus. 8. de fac. ſimp. Pau. libro ſeptimo, acquaticum piper calidum, ſed piperi modo.

Hyoſcyamus, ſiue ὑοσκύαμος, albus & niger non inuenitur, ſed tantum qui flores flauos profert uulgo dicitur iuſquiamo ouer dente cabalino, Dioſco. capite. 67. quarti. latine dicitur apollinaris herba, ſiue altercum, Galenus octauo de faculta. ſimp. plinius capite quarto, lib. 25. paul libro ſeptimo, eſt ex tertio refrigerantium ordine.

Hypecoon, ſiue ὑπήκοον, eſt herba quæ uulgo dicitur ruta ſeluatica, Dioſco. ca. 66 quarti, Gale. 8. de fac. ſimp. plin. ca. 11. lib. 27. pau lib. 7. refrigerat in tertio.

Hypericon ſiue ὑπερικὸν, aſcyron androſemõ, & cori una & eadem res eſt, & ſi aliqua in folijs caule & floribus differentia adſit, uocatur hypericon uulgo perforata, nec eſt ruta ſylueſtris, ut opinatur Braſauola, ſed eſt uera perforata,

qua uulgariter utimur, Dioſcor.cap.162.& .163.& .164.& 165.Galenus octauo de facul.ſimp.Plin.cap.8.lib.26. Paulus libro ſeptimo,tertias ſpecies calefacit & ſiccat tenui ſubſtantia prædita. De alijs dictum eſt in Androſemon.

Hyſſopus, ſiue ὕσσωπον, uulgo etiam hiſſopo dicitur, aliqui putarunt gratiolam eſſe hyſſopum montanum, ſed decipiuntur, nam gratiola in locis humidis naſcitur & ſoluit uentrem educens bilem & pituitam & ulcera conglutinat. de hyſſopo lege Dioſcor.cap.27.tertij.Gale.8.de fac.ſimp calidus & ſiccus in tertio ordine.

Iaſpis græce λίθος ἴασπις, uulgo dicitur diaſpro, meminit Dioſcor.cap.160.lib 9.& Galenus nono de fac.ſimp. Paulus libro ſeptimo, confert non continẽtibus cibum in ſtomacho.

Indicus lapis, ſiue λίθος ἰνδικὸς, uulgo endego, naturalis non habetur quo uero utimur fit ex iſatide ſiue guado, Dioſcorid. cap.61.quinti.Plin.cap.6.lib.35.Paulus libro ſeptimo, contra hemorrhoidas ualet.

Inula græce ἑλένιον, eſt uulgaris planta, quæ dicitur uulgo euola ouer iola, Dioſcor.cap.27.primi. & Plin.cap.quinto, lib.19.& Galenus ſexto de fac.ſimp.ualet pectoris humoribus uiſcidis, item ſciaticis in modum cataplaſmatis & luxionibus paruis ab humiditatibus factis, Pau.lib.7.calida eſt & ſicca cum excrementitia humiditate.

Irion græce ἐρύσιμον, quid ſit, quum modo inter ſegetes modo inter herbas acuta, ac eſt naſturtium, connumeretur, certe puto quòd res ſit ſimilis ſyſamo, naſcitur ubique cũ folijs erucæ floribus paruis & flauis, a quibus cornicula quædam, in quibus eſt ſemen, proueniunt, Dioſcor.cap.147.ſecundi.Plin. duobus in locis 7.& .10.cap.lib.28.& cap.25.lib.22 ſimiliter Gal.6.de fac.ſimp.& primo, de fac.alim.Pau.lib.7.Eriſmi ſemen igneum calefactoriumq; eſt.

Iris, siue ἶρις, apud seplasiarios dicitur irios, & uulgo zilio morello, de hac nullibi iuxta Gal. nisi in Andromachi theriaca, ubi illyrica commendatur Dioscori cap. 1. primi libri. & Plin. cap. 7 lib. 21. Paulus libro septimo, affatim calefacit extergit & maturat tenuis svbstantiæ tußi utilis.

Isatis, siue ἰσάτις, uulgo guado da tingere, nam colores in sua uiuacitate omnes conseruat, Dioscor. cap. 107. & 108. secundi. Gal. 6. de fac. simp. paul. lib. 7 siccandi uires & adstringendi habet.

Isopyron siue ἰσόπυρον, huc usque non uidi ne qui uiderit, uel cognouerit adhuc intellexi, quare aliorum iudicio hunc relinquam Diosco. cap. 116. quarti. Gale. sexto de facul. simpl. Pau. lib. septimo, abstergit, incidit semen eius Iuncus odoratus græce, σχῖνος, est quod uulgo dicitur squinanto prouocat urinam & menstrua. Vide Diosc. cap. 16. primi. Gal. 8. de facul. simp. Plin. cap. 18. lib 21.

Iuncus siue ὀξύσχινος, est id quod uulgo dicitur zuncho. Dioscor. cap. 50. quarti, & Galenus octauo de facul. simpl. duas species iunci memorat, ut oxyschenon & oligoschenon Paulus, libro septimo oxyscheni semen somnificum est utriusque semen frixum desiccat & fluxus cohibet.

Iuniperus græce ἀρκευθίς, est res notißima, gumi eius sandaraca, siue scriptorum uermix est, sandaraca inquam arabũ, nam sandarax Diosco. est res mineralis similis auri pigmento, fit ex hoc gumi & oleo de semine lini artificialiter uermix liquida, qua utuntur pictores ad illustrandas picturas, ualet combustioni ignis & doloribus ac tumoribus hemorrhoidarũ. gumi uero iuniperi ualet catharrhis, cohibet mẽstrua, fistulas exiccat, uermes interficit & resolutis neruis cõfert, Diosco. cap. 89. primi, Gal. 6. de fac. simp. ualet etiam scissuris manum ac pedum ex frigore factis & fluxum sanguinis &

hæmorrhoidarum constringit.

Ixia uiscus est radicibus chamæleonis adhærens, quo pennæ sagittis adglutinantur, Dioscor. cap. 21. lib. 6.

Ixus siue ἰξός, est uiscus quercinus qui paratur a pueris in capiendis auibus, Dioscor. cap. 94. tertij. Galenus sexto de facul. simpli. Pau. lib. 7. calefacit cum acrimonia & humores ex alto elicit.

Lactuca græce θριδαξ ἥμερος, res nota est Galenus sexto de facul. simp. frigida & humida sed non excessiue, tollit sitim, & semen eius fluxum spermatis cohibet, & secundo de fac. alim. generat sanguinem quàm aliæ herbæ meliorem, sed nõ omnino laudabilem, Diosco. cap. 125. secundi.

Lambrusca græce ἄμπελος ἀγρία, est uitis syluestris omnibus cognita, Diosco. cap. 2. quinti, plin. cap. 29. lib. 12. paulus libro septimo, germina habent uim abstergendi nonnihil & adstringendi.

Ladanum, siue λάδανος, aromatarij laudanum dicunt, plin. cap. 17. lib. 12. & Gale. septimo de fac simp. Diosco. ca. 113. primi, paul. lib. 7. calidum in secundo, emolliens mediocriter discutiens & maturans.

Lagopus, siue λαγώπους, id est pes leporinus, nisi sit garyophillata, ut Pandectarius, nescio certe quid sit, ualet in potionibus pro uulneribus & menstruis & sputo sanguinis dysentericis & ramici per os sumpta & emplastri modo imposita, est calida & sicca. Dioscor cap. 19. quarti. Gal. septimo de fac. simp. pau. lib. septimo, desiccat.

Lanaria herba, græce στρούθιον, siue radicula, res erat tempore Dioscoridis multum in usu, sed apud nos quid sit, nescio, ualet enim sumopere in dealbandis lanis, cuius semen condisi dicitur, quod etiam minime habetur, Diosco. cap 152. secundi, plin. cap. 3 lib. 19. & Gale. octauo de fac simp. calida

in quarto

in quarto quodammodo ordine ſiccæq; eſt.

Lapathum, ſiue λάπαθον, ſiue rumex, uulgo dicitur romice, de quibus plura Dioſcor. cap. 106 ſecundi, Oxylapathon, enim & hippolapathon & oxalida ſunt ſpecies lapathi, uocatur primum, lapatium acutum, ſecundum magnum lapatium, quod folia rheubarbaro ſimilia habet, & oxalida, quā acetoſam et uulgo, herba bruſca uocant, plin. cap. 21. lib. 20. & Gale. ſeptimo de fac. ſimp. pau. lib. 7. oxylapathum diſcutit & pauxillum repellit.

Lapſana, ſiue λαμψάνη, res eſt incognita, ſed iuxta plini. eſt ſpecies braßicæ ſylueſtris. Dioſco. cap. 107. plinius capite octauo lib. 20. Galenus ſeptimo de fac. ſimp. pau. libro ſeptimo, abſtergit, diſcutit.

Laſer, ſiue laſerpitium, græce σίλφιον, uulgo aſſa, quæ in fœtidam & odoratam diuiditur. aſſa fœtida eſt, quæ habetur apud aromaterios, odoratus uero laſer, eſt quod uulgo dicitur belzoino, nota tamen non haberi aſſam dulcem, nec eius loco ſuccum glycyrrhicæ poni, ſed potius belzouinum uocatum. Dioſco. cap. 85. tertij. Galenus octauo de faculta. ſimplic. paulus libro ſeptimo, probe calefacit, extrahit, emollit. plin. cap. 3. libro. 19.

Lathyris, ſiue λαθυρὶς eſt, quæ uulgo dicitur cataputia, ſiue cazzapuza maior, nam minor eſt riccinus Dioſco. cap. 171. quarti, Gale. 7. de fac. ſimp. plin. cap. 11. lib. 27. pau. lib. 7. purgandi uim obtinet.

Laurus arbor notißima, græce δάφνη. olim in precio habita. Sunt qui uelint per ſe laurum ignem accendere, dummodo rami ſimul coufricentur et ſulphur ſurſum probijciatur, Dioſco. cap. 91 primi, Gale. 6. de fac ſimp. paul. libr. 7. folia ſiccant & calefaciunt inſigniter.

Laurus Alexandrina, ſiue laureola græce δαφνοειδὴς, & ſi

rusco et hypoglosso similis sit imo pro hyppoglosso a Fuchsio accipiatur, quum reuera non sit, mihi incognita restat, Dioscor. cap. 142. quarti, Gale. 6. de fac. simp. paul. libro septimo, calida, acris, & subamara est.

Lemnia terra græce λιμνιὰς γῆ, est uerus bolus armenus orientalis dictus, si bene consyderetur Galeni locus lib. 9. de facul. simp. nec est terra illa sigillata, quam tanti faciunt, Diosc. cap. 67. quinti plin. cap. 6. lib. 35. Paul. lib. septimo, siccat, & adstringit mediocriter.

Lentes siue lenticulæ, græce φακὸς, uulgo dicitur lentichie, Diosco cap. 98. secundi, Galenus octauo de facul. simp. paul. libro septimo, siccant in secundo ordine, medio caloris & frigiditatis temperamento.

Lens palustris, siue φακὸς ἐπὶ τῶν τελμάτων, uulgo dicit zen, uel lenticularia, oritur in aqua. Diosco. cap. 34. quarti, Galenus octauo de fac. simp. Paul. lib. 7. humectat, & refrigerat in secundo abscessu.

Lentiscus arbor græce σχῖνος τὸ δένδρον est, quæ mastichen producit, Diosco. cap. 77. primi, Galenus octauo de fac. simp. Plin. cap. 6. lib. 13. Paul. lib. 7. siccat in secundo medius in calefaciendo & refrigerando.

Lepidium, siue λεπίδιον est piperitis, ut dictum est de Iberide Diosco. cap. 165. secundi, Ruellius Hermolaus & Manardus putant, q sit raphanus. Plin cap. 8. lib. 19. Gale. 7. de facul. simp. calefacit in quarto, & est simile nasturtio. Paul. libr. 7. idem refert, sed ipse inquit in tertio.

Lichen, siue λειχὴν est herba a seplasiarijs hepatica uocata. Plin cap. 4. lib. 26. duas species commemorat, alteram quæ solum latifolium apud radices habet, alteram quæ petris adhæret, ueluti muscus, ualet hæc herba lichenis. i. uolaticis, Dioscor. cap. 51. quarti, Gale. 7. de fac. simp. Paul. lib. 7. exterendo

purgat, mediocriter siccat & refrigerat.

Ligusticum, siue λιγυστικόν ab aliquibus pro leuistico accipitur, sed si litera Diosco. bene ponderetur, non est uerum ligusticum, uide Dioscor. cap. 53. tertij, Galenus septimo de fac. simp. paul lib. septimo, excalefaciunt ac probe flatus discutiũt semen & radix.

Lilium græce κρίνον, res est uulgaris & notißima, id inter liliorum species facile connumeratur, quod uulgo martegone dicunt, Dioscor. cap. 107. tertij, Gale. septimo de fac. simpli plin. cap. 5. lib. 21. Paulus libro septimo, flos lilij discutiendi ac emolliendi uireis habet.

Limonium, siue λιμώνιον, res est similis betæ syluestri, ut Plinius capite octauo lib. 20. quanuis affirmet Gale. se nunquam betam syluestrem uidisse, Diosco. capite. 18. quarti, Galenus septimo de fac. simp.

Linum, siue λίνον res uulgaris est, oleum ex eius semine omnes neruorum & iuncturarum durities mollit, & est mirabile hemorrhoidibus, ignis combustionibus cum aqua rosacea lotum, sumuntur & in principio morbi lateralis ex eo unciæ quatuor, & sanat, Dioscor. cap. 94. secundi, Gale. septimo de fac. simp. calidum, quasi in principio, medium inter siccum & humidum.

Lithargyros, siue λιθάργυρος res est ex plumbo & ære proueniens dum argentum & aurum depurant, uide Dioscorid. capite. 56. quinti, Plin. capite sexto, libro. 33. & Galenus nono de facul. simp.

Lithospermon, siue λιθοσπέρμον, seplasiarij milium solis uocant crederem ego id esse, quod uulgo dicitur lacrime da corone miratur Plin. cap. 11. lib. 17. de lithospermo, Diosco. capite. 149. tertij, Paulus libro septimo, calculos frangit & urinas elicit.

Lolium græce αἶρα, uulgo dicit loio, nec est pseudomelanthium ut fuchsius Galenus 6. de facul. simplicium Dioscorides cap. 191 secundi, Paulus lib. 7. calidum in primo tertij, & siccum in fine secundi.

Lotus ægyptia siue λωτος αἰγυπτιος, uocatur a Serapione handacoca ex cuius semine paratu oleum ad dolorem iunꝺurarum, uerum de utraque loto intelligit Serapio, Diosco. cap. 109. quarti, Gale. 7. de facul. simpl. Plin. cap. 17. lib. 13, & cap. 31. lib. 15. Paulus lib. 7. lotus arbor extenuat & siccat ac mediocriter adstringit.

Lotus satiua siue λωτὸς ἥμερος, nisi sit melilotus uulgaris haud scio quid sit, lotus syluestris ignota est, Diosco. cap. 106, & 107, quarti, Paulus libro septimo, lotus domestica a nonnullis triphillon appellatur, abstersorias uireis & modice siccanteis obtinet.

Lupini græce θέρμος, sunt omnibus noti, amari dulcorantur & comeduntur, maxime domestici, Dioscorid. cap. 101. secundi, & Gale. 1. de. facul. alimen. & 6. de facul. simpli. Paul. lib. 7. esculentum obstruit, amarum abstergit dißipat & sine morsu desiccat, lumbricos occidit & uiscera purgat.

Lychnis siue λιχνις, nisi id sit quod uulgo dicitur rosete, profecto nescirem quid sit, nam Plin. cap. 4. lib. 21. inquit rosarum spetiem esse in aquosis locis nascentem cum quinque folijs Diosc. cap. 105, & 106. tertij, Gale. 7. de fac. simp.

Lycium siue λυκιον, aliud est quo seplasiarij utuntur, aliud quod a Diosco. cap. 117. primi, recitatur, Quod uero in officinis uenditur, alij componunt ex baccis lygustri, alij ex matrisylua, alij ex utrisque simul sed uti possumus pro lycio sumach. uide Gale. 7. de fac. simp. nam ex pixiacantha arbore fieri inquit, ualens ulceribus oris malignis & serpentibus, Plin. cap. 7. lib. 12. & cap. 14. libro. 24. Paulus libro septimo

calefaciendo & refrigerando medium eſt, deſiccat uero in ſecundo abſceſſu.

Lycopſis, ſiue λυκοψις, niſi ſit ſpecies anchuſæ, aut cynogloſſa uulgaris, neſcio profecto quid ſit, uide Dioſcorides capite.27. quarti, plinius capite undecimo, libro. 27. paulus libro ſeptimo, radix adſtrictoria.

Lyncurion eſt electrum, ſiue ſuccinum plumas, ſiue paleas trahens, ut refert Dioſcor. cap. 73. ſecundi, unde pterygophoron dictum uide de electro.

Lyſimachia, ſiue λυσιμάχιον, a Lyſimacho rege nomen capiens noſtris temporibus nõ cognoſcitur, nec eſt lyſimachia ut Ruellius quæ uocatur cereta, ſed alia longe diuerſa herba, nam cereta folia lino ſimilia habet non ſalici, ut Dioſco. capite tertio quarti, plinius capite ſeptimo, libro. 25. Galenus ſeptimo de fac. ſimp.

Macer, ſiue μάκιρ, niſi ſit macis qui eſt cortex nucis indicæ neſcio qoid ſit, nec aliud coniectari poſſum, Dioſcor. cap. 95. primi, Galenus octauo de facul ſimp. interpretatur a Pandectario cortex mali punici, ſed qua de cauſa, neſcio paul. lib. 7. inter frigiditatem & calorem medium obtinet ſiccat in tertio ordine & adſtringit.

Malabathron, ſiue μαλάβαθρον, uulgo folium indicum, nobis ignotum, pro quo utimur caſia, uel nardo indico, ut Galenus in ſuccidaneis Dioſcor. cap. 11 primi, Plinius capite. 27. libro duodecimo.

Malua græce μαλάχη, res notiſsima omnibus. Dioſcorides capite. 109 ſecundi, Galenus ſecundo de faculta. alimen. Theophraſtus capite quinto primi, plinius capite. 21. lib. 20. paulus lib. 7. ſylueſtris mediocriter diſcutit & mollit, hortenſis uero imbecillior.

Mandragora, ſiue μανδραγόρας. Pluribus in locis Italiæ na-

ſcitur. Vanum eſt credere mandragoræ radices habere formam hominis, uerum propter pomum quod cum radicibus euellitur, formam hominis ſine brachijs præ ſe fert, unde Pythagoras ἀνθρωπόμορφον appellauit: Dioſcor. cap. 74. quarti, & Galenus ſeptimo de fac. ſimp. frigidum eſt in tertio, ſed poma eius aliquid caliditatis in ſe habent, plura habet Serapio in lib. aggre.

Manna ſiue μάννα, non dico thuris, ſed ſolutiua eſt in multiplici differentia, ut referunt Arabes, nec aliud eſt manna q̃ ros, ſiue liquor ſuauis noctu cadens ſuper arborum folijs, aut ſuper terram, uel petram, uel herbas, quæ deinde condenſata in modum gumi euadit, Duplex eſt quæ ad nos affertur maſticina ſ. & bombicina, maſticina dicta, quia ſimilis grano maſticis eſt, & eſt excellentiſsima, ſed bombicina nullius ferè precij, quæ uero Calabrenſis dicitur, ualidior eſt, quæ in folijs, quàm quæ in ramis arborum colligitur, unde uulgo dicitur manna di foglia, quæ minutis granis tranſparens grauis alba dulcis & ſuauis, Arabes duas mannæ ſpecies aſsignant, Mannam. ſ. & Tereniabim, nec inter ſe hæ duæ differunt, niſi ꝙ Tereniabim eſt altera manna liquidior, uide de manna Galenus tertio de fac. alim. ad eorum confuſionem, qui Gal. mannam non cognouiſſe affirmant in capite de melle, ubi multa de manna pronunciat, eſt & manna thuris, & eſt quidã pul uis, ut teſtatur Dioſcor. cap. 69 primi, uide de manna Auic. & Serapionem cap. de tereniabim & menh.

Marrubium græce πράσιον eſt planta notiſsima, uide Galen. octauo de fac ſimp. & Theophr. ca. 2. de hiſtor. plant. & Dioſco. cap. 110. tertij, Eſt & alterum marrubium nigrum, balote dictum, quod adeo melliſſæ eſt ſimile, ut uix ab ipſa, niſi malus odor adeſſet, agnoſceretur, Dioſcor. cap. 108. tertij, Paulus libro ſeptimo. Nigrum eſt acris & abſterſoriæ facul-

tatis, prasiō uero calefacit in secūdo siccat, & uiscera laxat.

Marum, siue μάρον, nisi sit quod uulgo dicitur maiorana fina, haud scio quid sit, nam bene redolet, ut marum, uide Gale. de antidotis cap. de comp. hedicroi, & Diosco. cap 44. tertij. Medica herba in Hispania abundantissima in Italia non habetur, uocatur arabice alfasafat, Ruellius hanc nasci in Gallia adserit, uocariq; trifolium maius, cap. 136. secundi, Plin. ca. 16 lib. 18, a medis inuenta dicitur & græce dicitur μηδική.

Medion, siue μήδιον, quum nec uiderim, nec apud me de eo aliqua sit imago, in Media enim tantummodo nascitur, nescio quid affirmare debeam. Dioscor. cap 20 quarti, Plinius cap. 12. lib. 27. Galenus septimo de facul. simpl contrariam semini eius habet temperiem, nam menstrua herba constringit, quæ semen prorsus elicit.

Melilotus, siue μελίλωτος, quem etiam sertulam campanam uocant affertur ex Neapoli Venetias, quo uero utuntur seplasiarij, uerus non est, sed species trifolij, sunt tamen qui dicant melilotum uulgare esse lotum Dioscor. Plin. cap. 9. lib. 21. Et Gale. 7. de facul. simp. Dioscor. cap. 41. tertij, Pau. lib. septimo, diuersis facultatibus pollet adstringendi. s. & discutiendi & concoquendi.

Melissophyllon, siue μελισσόφυλλον, uulgo dicitur moliferno ouer cedronella, res nota est, Cardiacis & tristibus, ut referunt Arabes & passionibus cordis ualet, & aperit opilationes cerebri, Dioscor. cap. 109. tertij, Galenus septimo de fac. simp. Pau. lib. 7. uiribus marubio respondet.

Menta & mentastrum, græce ἡδύοσμος ἥμερος καὶ ἄγριος, res sunt manifestæ excitant uenerem, ut Gale. & Dioscor. quanuis contrarium sentiat Plin. cap. 14. libro. 20. uide in hoc Gale. 6. de fac. simp. & Dioscor. cap. 36. & 37 tertij, uermes etiā interficit, Paul. libro septimo, calida in tertio ordine tenuis

acris cum humiditate ſemicocta.

Meon, ſiue μῆον, & ſi multa copia naſcatur in Hiſpania, nullibi tamen quod ſciam in Italia habetur, nam quod paßim oſtenditur pro meo, eſt radix ſapori paſtinacæ ſimilis, eius uice funguntur myrhobalani, uulgo dicti ben delli profumeri, unde etiam ſub nomine nucis unguentariæ appellantur. Dioſco. cap. 3. primi, plinius cap. 23. lib. 20. Galenus ſeptimo de facul. ſimpli. paulus libro ſeptimo, calefacit in tertio ordine, in ſecundo ſiccat.

Mercurialis herba græce λινόζωστις, ob enematum uſum notißima, uide plin. capite quinto, lib. 25. Galenus. 7. de fac ſimp. & Dioſco. ca. 183. quarti, pau. lib. 7. aluum liberaliter ſubducit & illita diſcutit.

Millefolium græce μυριόφυλλον, eius duo capita habet Dioſcor. alterum de ſtratiote millefolio, & alterum de myriophyllo, ſunt qui uelint ſtratiotem eſſe millefolium uulgare noſtrum, quum in myriophyllo unus tantum coliculus & in noſtro uulgari plures inueniuntur, de ſtratiote loquitur Gal 8. de fac. ſimp. & Dioſc. ca. 110. quarti, de myriophyllo ca. 100. quarti, et Gal 7. de fac ſimp. in fine, plin. cap. 16. lib. 24. paul. lib. 7. uim ſiccandi adeo obtinet ut conglutinet uulnera.

Mora græce μορέα ἢ συκαμινέα, tam alba, quàm nigra cognoſcuntur, habent uim ſoluendi & conſtringendi, Dioſcori. capite. 147. primi, Galenus octauo de facul. ſimp. paul lib. 7. itidem adſerit.

Muſcus arborum græce βρύον, uulgo dicitur uſnea, quæ ut refert Serapio ſomnum prouocat, uomitum & fluorem uentris cohibet, & eſt medicina cordis, ut Auic. Dioſco. cap. 20. primi, Galenus ſexto de faculta ſimplicium. paulus libro ſeptimo q cedris adheret diſtrahendi ſimul & molliendi uim moderatam habet.

Muſcus odoratus eſt res quæ in gazellarum foliculis continetur, recens & immatura grauis ac peßimi odoris, ſed quum maturuerit tanquam ſanies e foliculis egrediẽs eſt gratißima ac pretioſißima calida & ſicca in ſecundo ordine, lege Serapionem lib. aggre.

Muſcus marinus eſt uulgaris corallina, quæ pro enecandis uermibus datur pueris, infrigidat, ut Gale 6. de fac. ſimp. Dioſc ca. 94. quarti, pau. lib. 7. infrigidat & adſtringit, græce dicitur βρύον θαλάσσιον.

Mumia uera non habetur, ſed poſſet parari uera, ſi corpora mortuorum ex aloe, myrrha, & croco condirentur, deinde id liquoris ad tempus excerperetur, ualet ita parata doloribus capitis frigidis paralyſi, oris torturæ, uirtigini ſi extrahatur per nares cum aqua maioranæ & doloribus aurium cum oleo uiolaceo albo, eſt calida & ſicca in tertio ſecundum Arabes.

Myos otis græce μυὸς ὦτα i. muris auricula, niſi ſit quod uulgo dicitur lentone, haud ſcio quid ſit. Galenus. 6. de facul. ſimp. Dioſc. cap. 175. ſecundi, plin. ca. 12 lib. 27. pau. lib. 7. refrigerat & humectat & uocatur ab ipſo alſine.

Myrrha uera, græce σμύρνα, non habetur, niſi forte noſtra cõmunis ſit, quæ a Dioſco. dicitur caucalis, ſiue ergaſime, nam noſtra cunctis cõditionibus requiſitis indiget, quum nec ſit uiridis, nec craſſa, nec acuta, nec odorata, nec colore unita, quare caueant qui in potionibus ac catapotijs eam imponunt, Dioſco. cap. 69. primi, Galenus octauo de facul. ſimp. & in libro Antid. in compoſ. Theriacæ. paulus libro ſeptimo, calefacit in ſecundo, & ſiccat, uide etiam Plinium capite. 16. & 17. libri. 12.

Myrrhis herba, ſiue μύῤῥις, niſi ſit cicutaria, ut cõmunis eſt opinio, uel cerefoliũ ut manardus, neſcio quid aliud ſit, qui

tenent hanc esse angelicam herbam ualde decipiuntur, siquidem angelica cicutæ folia non habet, sed potius pastinacæ, Diosco cap. 111. quarti, Pau. lib. 7. calefacit in secundo, et non nihil extenuat.

Myrtus græce μυρσίνη, nota est omnibus, eius facultas frigida & terrestris, ut refert Gale. septimo de facul. simp. Quod uero myrtidanum dicunt est quoddam gibbosum ueluti adnatum myrto, Dioscor. cap. 33. primi, Paulus libro septimo, ualentior siccat.

Naphtha siue νάφθα, est ueluti oleum petreolū, uel de monte zibio appellatū, reuera bituminis genus, quod in mari mortuo, quod est stagnum minoris syriæ, nascitur, calefacit exiccat & uulnera recentia conglutinat Diosc. cap 86. primi.

Napellus Auicennæ, nisi sit toxicon Dioscoridis, ut putat Manardus, nescirem profecto in Dioscoridis capita hunc referre, est enim mortiferum uenenum, Auic. lib. 2. calidum & siccum est in summo.

Napum græce βουνιάς, uulgo Nauon, & est res notissima, ex cuius semine oleum in Aegypto extrahitur. Diosc. ca. 103. libro secundo.

Narcissus est res nota, similis est hermodactilo folia habet porracea, tenuiore tamen & angustiora caulem sine folijs concauum, in quo candidus flos existit, Dioscori. cap. 155. quarti. Theoph. cap. 6. lib. 6. Plin. cap. 3. lib. 21. Gale. octauo de fac. simp. Pau. lib. 7. uim habet aliqualem attrahendi & abstergendi græce ναρκισσος.

Nardus siue ναρδος est, quam spicam nardi seplasiarij uocant, & est syriaca spica & non indica, sed non mirari satis non possum, quòd si ab una, eademq; radice multæ ac numerosæ spicæ pullulent, ut inquit Dioscorid. Quur non spicas sed radices esse Gal. dixerit in Andromachi theriacam. De indi-

ca Dioſcoridis ſunt uerba. ἀσθενεστέρα κατὰ δύναμιν ὑπάρχει διὰ τὸ ἐφ' ὑδατωδῶν τόπων εἶναι καὶ ἔτι μηκεστέρα πλείονας τε ἰσχύσα τὰς στάχυς ἀπὸ τῆς αὐτῆς ῥίζης καὶ πολυκόμους καὶ περὶ πεπλιγμένους & cæ. Nec ſatis eſt dicere mõtanam ſpicam non ita oriri, quũ ipſa.teſte Dioſcoride non niſi bonitate odoris toroſioreq; ſpica differat, quare caueat Mathiolus Senenſis quomodo in Manardũ, alioqui doctiſſimum tam aperte latret, nã & Gale. in eodem loco iubet in his & alijs Dioſco. conſuli. paul. libro ſeptimo, calefacit in primo, ſiccat in ſecundo. Vide & Gale. 8. de fac. ſimp. & Plin. cap 12 lib. 12.

Nardus gallica ſiue νάρδος κελτικὴ, uulgo ſpica celtica non habetur apud nos, uide Dioſcor. cap. 7. lib. 1. quod uero non ſit ſaliunca Plinij, non eſt ut probem Gale. 8. de fac. ſimp. Paulus libro ſeptimo, calidior ſuperiori minusq; adſtringit.

Narcaphton ſiue νάσκαφθον, uulgo dicitur tignamo, acſi diceretur thymiama, quod nihil aliud ſonat q̃ ſuffumigium, uide Dioſco. cap. 22. primi.

Naſturtium græce κάρδαμον, uulgo agretto, & eſt familiariſſima herba & notiſſima, de qua Gale. 7. de facul. ſimp. loquitur, calida eſt, Dioſco. cap. 144. ſecundi, Pau. libro ſeptimo ſemen modo ſinapis urit.

Nerion, ſiue νήριον, uulgo dicitur oleandro eſt, ueluti uenenum, ut Gale. 8 de fac. ſimp. Enecant etiam inquit Dioſco. capi. 80. quarti, flores & folia omnes quadrupedes, ualent etiã emplaſtri modo morſibus uenenatorum, non autem ſumptũ, ut putarunt nonnulli. Plin. cap. 2. lib. 24. Pau. lib. 7. extrinſecus uim habet diſcuſſoriam, & ſi intus aſſumatur, occidit, dicitur etiam alio nomine rhododaphne.

Nymphea, ſiue νυμφαία, uulgo nenupharo, potentior eſt, quæ radicem albam fert, uide Gale. octauo de facul. ſimplic. Dioſco. cap. 140. & 139. tertij, Plin. capite ſeptimo, libro 25.

Pau.lib.7.uires habet sine erosione siccas uentrem reprimit, & genituram arefacit.

Ocra, siue ὤχρα, est terra gialla q̃q̃ alij uelint esse terram rubeam, uide Diosco. cap. 62. quinti.

Ocymoides, siue ὠκυμοειδὴς, uulgo basilico saluatico, res est notißima, uide Diosco. cap 29. lib. 4. inuenitur inter frumenta, Gale. 8 de fac. simp pau. lib. 7. radix inutilis semẽ sine erosione siccat.

Ocymum, siue ὤκυμον, uulgo basilico domestico, Diosco. capi. 130. secundi, & Gal. 2 de fac. alimen. & . 8 de fac. simp. calidum in secundo ordine cum superflua humiditate, itidẽ, pau. lib. 7. adserit.

Ocimum aquaticum græce ἔρινος, uocatur, Dioscor. cap. 30. quarti, & est forte apud Galenum, echinum dictum. 6. de faculta. simpli.

Oenanthe, siue οἰνάνθη, nisi sit filipendula, ut Fuchsius, nescio quid sit, uide Theophr. cap. 7. lib. 6. & Plin. cap. 24. li. 21. Diosc. cap. 126. tertij, oenanthe etiam accipitur pro flore uitis syluestris qui insigniter adstringit stomachum & aluum firmat, sed oenanthe Diosco. eijcit secundas, stillicidio urinæ & morbo regio medetur, uide pau. lib. 7.

Olosteon, siue ὀλόστεον, est species consolidæ & non est pilosella, ut nonnulli putarunt, nam pilosella est herba ualde adstrictoria, ita ut uulnera conglutinet cohibet fluores uentris & sputum sanguinis & fluxus muliebrum albos de olosteo, uide Diosc. cap. 12. quarti, Gale. 8. de fac. simp.

Olyra. siue ὄλυρα. est species zeæ uulgo spelta nominatæ, nec est segala, ut Virgilius Marcellus, nã ex olyra panis dulcißimus conficitur, & ex segala amarus, nec siligo est segala, ut aliqui putarunt, sed potius species grani, ex cuius flore panis albißimus & optimus olim conficiebatur, quòd con-

trarium omnino accidit nostræ segalæ, seu ferragini, ut a Plinio uocatur capite. 16. libro. 18. uide Dioscorid. de olyra, capite. 82. secundi, & Galenus primo de faculta. alimen. et octauo de facul. simp.

Opium est papaueris liquor, unde græce dicitur ὀπὸς μηκωνος, fit ex lacte quod a papaueris capite destillat, ut Dioscor. ca 63. quarti, Paulus libro septimo, tenet q̃ sit frigidũ in quarto, nihilo minus eius amaritudo non frigidum simpliciter, sed aliquatenus calidum, potius affirmaret, quare diligentius res consideretur, uide Galen. septimo de facul simp. ubi de papaueris specie agit.

Opopanax, siue πάναξ, fit ex panacis herculei liquore, ui de Diosco. cap. 50. tertij, & Gale. octauo de fac. simp. calidum in tertio, & siccum in secuudo, Mesu. cap. de opo. pituitã crassam & uiscosam in remotis partibus corporis contentam soluit, pau. lib. 7. Mollit etiam & discutit.

Origanus, siue ὀρίγανον, quo utimur, ut refert Brasauola est heracleoticus, sed iuxta aliorum opinionem est origanus syluestre, & heracleoticus & onitis nostro tempore non inueniuntur, uide Dioscorid cap. 29. tertij.. Theoph. capite secundo, libro sexto. Plinius capite. 17. lib. 20. Galenus. 8. de fac. simpli. habet uim incidendi extenuandi, siccandi, & calefaciendi in tertio abscessu.

Orminum, siue ὅρμινον, nisi ut Ruellius sclarea, nescio certe an reperiatur, Diosco. cap. 126. tertij, plin. cap. ulti. lib. 22. Gale. in fine primi, de fac. alim alteram speciem ormini memorat, pau. lib. 7. marubio simile calidum mediocriter, siccum, & abstergens.

Ornithogalos, siue ὀρνιθόγαλον, quamuis ubique inter segetes nascatur, nedum a me uisa est radices habet, quas edunt pueri, ut refert Ruellius, sunt in Veronensi agro quædam

radices dulces & in sapore castaneis similes, quæ thrassæ uocantur Diosco. cap. 133 secundi.

Orobanche, siue ὀροβάγχη, est herba quæ non solū orobum strangulat, sed omnes quæ uicinæ sunt, plantas sternit, unde ab aliquibus herba lupa, ab alijs cauda leonis, ab alijs uero herba taurina, eo quòd a bobus comesta ad coitum eas promouet, Diosco. cap. 131. secundi, Theophr. 8. de histor. planta. & quinto de causis plant. Plin. cap. ult. lib. 22. Pau. libro septimo est temperamenti sicci & frigidi ad primum ordinem.

Oryza, siue ὄρυζα, uulgo riso, nascitur palustribus & uliginosis locis aluum compescit, uide Diosco. cap. 86. secundi. Plinius libro. 18. capite septimo, Paulus libro septimo, uim habet adstrictoriam.

Osyris, siue ὄσυρις, uulgo linaria dicitur, uide Diosco. cap. 138. quarti. Galenus octauo de facul. simp. plinius capite duodecimo, libro. 27. paulus libro septimo. Amara est & uires iecoris laxat.

Oxyacantha, siut ὀξυάκανθα, est id quod Arabice dicitur berberi, nec est si bene huius plantæ notæ consyderentur, quod uulgo dicitur crespini. Dioscor. cap. 107. primi. Galenus octauo de facult. simpli. paulus libro septimo, fructus ipsius mirti baccis respondet, Auic. tenet quòd sit frig. & sic. in tertio.

Peonia, siue παιονία, fœmina est notissima, sed mascula non inuenitur, Gale. sexto de fac simp. est tenuium partium, sed non nimis calida, imo magis temperata, aut a temperie parum in calore distans Dioscor. cap. 148. tertij. plinius lib. 25. capite. 4. pau. libro septimo. Radix acris leuiter subamara et siccans cui nonnihil adstrictionis inest.

Paliurus, siue παλίουρος, quid sit, reuera nescio, nisi nomen sit ad placitum, nam omnes antiqui in paliuro discrepant, Theophr. cap. 17. libri tertij, & cap. 4. lib. 4. Diosco. cap. 113.

primi, plinius cap. 19. lib. 13. & cap. 13. lib. 24. Pau. lib. 7. adstringit & semen incidit.

Palma græce φοίνιξ, res nota est, nam dactilis, quos ipsa fert libenter uescimur, in quorum numero ponuntur etiam tamarindi, qui nil aliud sunt quàm dactili indiani. Diosco. cap. 129. primi. Galenus octauo de facul. simp. & secundo de facul. alimen. pau. libro septimo, fructus iam maturus calefacit reliqua palma ualde adstringit.

Panax, siue πάνακες, quum triplex sit Aesclepium. s. ab Aesculapio, chyronium a chyrone & heracleum ab Hercule, & si aliquibus cognitum dicatur, reuera tamen ego non uidi, sunt qui pro panace Aesclepio monstrant mille folium uulgare, & pro chyronio inulam campanam, uide tamen Diosco. cap. 50. & . 51. & . 52. tertij. Galenus octauo de fac. simp. plin. cap. 27. lib. 12. & cap. 4. lib. 25 pau. libro septimo. Herculeum calidum in tertio, & siccum in secundo, mollit, & discutit ex hoc fit opopanax Aesclepiũ et chironiũ priori sunt calidiora

Pancration siue παγκράτιον, est minor & rotundior scilla, uide Dioscorid. cap. 165. secundi. uide etiam de scilla. Galenus octauo de faculta. simp. paul libro septimo, specie & uiribus scillæ simile est.

Panicum omnibus notum, Galen. 6. de fac. simp. pau. lib. 7. siccat, & refrigerat.

Papaueris genus, siue μήκων, duplex est, alterum syluestre, alterum domesticum syluestre est id quod flores puniceos, siue rubeos habet, cuius flores inquam a uulgo in laterali morbo sicci habentur pro efficaci remedio, domesticum uero rursus duplex album. s. & nigrum, quãquàm horum a Diosco. tertia species aßignetur, uide Diosco. cap. 62. & . 63. quarti, Gale. septimo de fac. simp.

Papauer cornutum, siue μήκων κερατῖτις, sæpius a me uisum,

sed spumeū, quod prope mare nascitur haudquaquā. Theoph cap. 13. lib 9. Qui dicunt glauciū ex hoc papauere fieri, quod & memithe Arabes uocant, reuera decipiūtur Diosco. c. 64. & . 65. quarti, Gale. septimo de fac. simp. Pau libro septimo, adstringendi uireis habet.

Papirus, siue πάπυρος, in Italia non habetur, ut Theoph. capi. 9. lib. 4. & plin. ca. 11. lib. 13. sed tantum in Aegypto, olim ex papyro cartæ conficiebantur, unde etiam nomen adhuc retinet, Diosc cap. 100. primi, Gal. 8. de fac. simp. pau. lib. 7. siccat, cartæ crematæ modo.

Paronychia, siue παρωνυχία, & si a multis herbarijs cognita, nunquam a me uisa est. scio tamen folia iuxta radices rotunda habere similia peplo, uide Diosco cap. 52. quarti, Gale. octauo de fac. simp. Pau. lib. 7. extenuat, siccat paronychijs medens citra erosionem.

Parthenium, siue παρθένιον, uulgo dicitur matricaria, ouer amarella, nomen adhuc seruans amaraci, nec est secunda species artemisiæ, ut Brasauola & Fuchsius, nec est coltula fætida, nec helxine quam paritariam dicunt, ut nonnulli sunt qui dicant athanasiam uulgo daneda uocatam esse speciem matricariæ, Dioscor. cap. 146 lib. 3.

Pastinacæ græce σταφυλῖνος, tam domesticæ quàm syluestres sunt cognitæ, uulgo pastonache dicuntur, nec sunt carubiæ, siue carotæ, ut Ruellius, quum non habeant radices sanguineas, ut carobæ. Decipiuntur etiam qui pro dauci semine, semē pastinacæ accipiunt, quum alia res sit daucus a pastinaca, Diosco. c. 54 tertii, Gal. 8 de fac. simp. Pau. lib. 7. urinas & menses mouet adstringēdi uiribus prædita, syluestris tñ est ualētior.

Pastinaca piscis græce τρυγὼν est qui uulgo dicitur pesce columbo, in cauda habet spinam acutißimam & uenenosissimam, unde plin. cap 8. lib. 32. pastinacæ quoq; radio scarificare

care gengiuas & in dentium dolore utilißimũ conteritq; is et cũ elleboro albo illitus, dẽtes sine uexatiõe extrahit. Diosc. ca.19 2.ex oleo in quo hepar huius piscis sit decoctũ, scabies non solum in hominibus sed etiam in beluis probe expellitur.

Peplis, siue πέπλος, a seplasiarijs esula rotunda dicitur & est herba lacte plena, Peplis uero quũ in maritimis locis nascatur, nunquã a me uisus est, Diosc cap. 162, & .163 quarti, Gale. 8.de facul.simp pau.lib.7.eius liquor tithymalorum modo purgat.

Peucedanum siue πευκέδανος olim Dioscoridi familiare, mihi incognitum est, nec quod pro peucedano mostratur est uerum peucedanum, si diligenter res examinetur sed quum optimum in sardinia oriatur, non esset forte difficile, ut cognosceretur, Diosc cap.83.tertij, Gal.8. de fac.simp plin.ca 9.li.25. Pau.lib 7.calefacit, discutit & siccat in tertio ordine.

Phalaris, siue φάλαρις est species lithospermi, quod a seplasiarijs dicitur miliũ solis, nam maius & minus reperitur, Diosc.ca.150 tertij, plin.cap.12.lib 27 pau.lib 7.calida est & tenuis doloribus uesicæ prodest.

Phaselus, siue φασίολος uulgo fasolo, cuius spẽs plures enumerantur coloribus distinctæ, nam aliqui sunt rubri, albi, alij citrini flauiq;, & ex diuersis coloribus picti, Diosco ca 99.secundi, uide de smilace Auerroim, declinant ad calidum et humidum impinguant corpus.

Phu. siue φοῦ est ualeriana maior, nam minor etiam reperitur, quæ similis est maiori, nisi quòd lanuginosior & breuior est, flores fert albos & purpurecs simul mixtos, multas radices tenues habet. maior autem similis olusatro caulem habet cubitalem & maiorem & cætera, quæ in ualeriana uisuntur demptis floribus, qui Narciso nõ sunt similes, q̃q̃ locũ hunc in Diosco.corruptũ putat Ruellius, quod fieri potest,

quum cætera sint satis manifesta. Diosc. ca. 10. primi, Galen. 8. de fac. simp. uim habet nardo similem.

Phycus marinus, siue φῦκος θαλάσσιον, quid sit nescio interpretatur latine alga a Theodoro, sed non est alga, quæ Venetijs in seruandis uitris reponitur Diosc. cap. 95. quarti, Gal. 8. de fac. simp. pli. ca. 23. li. 13. pau. lib. 7. refrigerat, siccat in secundo & mediocriter adstringit.

Phyllitis, siue φυλλῖτις, est lingua ceruina olim pro scolopendria habita olim inquam, quum reuera nunc sit asplenon, siue citrach arabice dictũ, nec est hemiotitis lĩgua ceruina, ut Manardus Leonicenus et Fuchsius et Ruellius adserũt, si locus recte ꝓpẽdatur. Diosc. c. 112 tertij, Gal. 8. de fac. simp. diarrheã cohibet phyllitis. Pau. lib. 7. acerba qualitate constat.

Phyllyrea, siue φυλλυρέα, non est tilia, ut Hermolaus Ruellius et Marcellus Florẽtinus interpretãtur, nã tilia græce φυλλιρα, & non φυλλύρεα dicitur, de tilia scripsit Theoph. cap. 10. lib. 4. cuius cortex modo emplastri recentia uulnera conglutinat & folia eius trita inflammationes pedum resoluunt, et facit capillos renasci prohibens etiam eorum profluuium, Phyllyrea arbor ignota est nostro tpe, uide Diosc. c. 110. primi, pau. li. 7. tiliæ folia adstrĩgũt iccirco ulceribus oris medẽtur.

Phyllon, siue φύλλον, uulgo folio, nisi sit persicaria maior, ut Ruellius, nescio profecto quid sit, uide Diosc. ca 131. tertij, nullibi a Gale. nec a Paulo mentio habita est.

Pityusa, siue πιτύουσα, a seplasiarijs Esula maior uocatu, cuius radices ab ijs qui a monte Gargano siue sancti angeli ueniũt, pro turbit uenduntur a peritis tñ medicis neglectæ, hæc uero Esula maior alscebrã, & scebrã a Mesue noĩatur, cuius rei fidem facit Serapio ca. de scebrã, uide Diosc. cap. 160. lib. 4.

Plantago græce ἀρνόγλωσσος res notißima, maior et minor inuenitur q̃q̃ non desint, qui lanceolam herbam esse planta=

ginis affirmant, maior constat septē neruis, media quinque, minor tribus, habent facultatem, aqueam frigidam cum aliquali austeritate, ut Gale. 6 de fac. simp. Diosc ca. 115. secundi. pau lib. septimo, refrigerat & desiccat in secundo temperata ex aquea & terrestri substantia.

Platanus, siue πλάτανος in Italia, ut refert Theoph. non nascitur, uide tamen Diosc. de eius uiribus, ca. 92. primi, plin. capi. 7. lib. 15. & Gale. 8. de fac. simp. exiccat & infrigidat, a latis folijs platanus dictus est, habet instar fici folia, pau. lib. 7. frigidiore & humidiore ui constat.

Polemonia, siue πολεμώνιον, nisi sit galega, siue gearcha dicta, ut refert Brasauola, nescio quid sit, non habet tamen in summitate corymbos, ut refert Diosco. cap. 9. quarti, uide Gal. 8. de fac. simp. & plin. cap. 6. lib. 25.

Polium, siue πόλιον, sunt qui pluries uidisse affirment, scio ego in hoc seplasiarios decipi, nā herbam pro polio ostendūt quæ caules ualde tenues & lino similes ex seminibus rotundis onustos habet, quæ polium reuera non est, uide plin. c. 7. li. 21. et Theoph. ca. 21. li. 9. Gal. 8. de fac. simp. et Dios. c. 115. tertij, pau. lib. 7. tertij, calefacientium & siccantium ordinis est.

Polygonon, siue πολύγονον i. herba sanguinalis tam mascula q̄ fœmina omnibus nota, uulgo corrigiola, siue centinodia dicitur, Diosc. ca. 4. & 5. lib. 4. pli. ca. 12 lib. 27. Gale. 8. de facul. simp. pau lib. 7. habet uim adstringendi frigida & humida in secundo ordine.

Polygonaton, siue πολυγόνατον, uulgo frasinella, siue ginochiella dicitur, cuius radicibus libenter mulieres ad fucum utuntur, ab aliquibus etiam uocatur sigillum sanctæ Mariæ, et sigillū Salamonis, Manardus in hoc deceptus est credēs polygonatū esse secacul arabum, nā Serapio scribēs de secacul nihil refert quod ad polygonatū attineat, Gal. 8. de fac. simp.

Diosco.ca.6 lib.4. Paul.lib. septimo, uariæ facultatis est adstrictoriæ acris & amaræ.

Polypodium, siue πολυπόδιον, oĩbus notũ, attuarius purgat bilem nigrã & pituitã, Manardus soluit sine molestia, Mesues extenuat corpora quod et Gal 8 de fac simp ualẽter exiccare inquit sine mordacitate Diosco.cap 179 quarti plin.capi.8.lib 26 siccat abunde citra morsum.

Pompholix siue πομφόλυξ, qua utuntur seplasiarij non est põpholix sed potius cadmia quod uero tucia non sit, apparet quũ tucia uera leuißimus quidam puluis sit, non autem ut lapis ac nostra uidetur, quare apud pharmacopolas nõ inueniri tuciã nunc affirmarẽ, nisi aliã habere forte inuestigauerit, uide Diosc. cap.43. 5. nec ausus est aliquis qđ sciã hãc in catapotijs siue pharmacis, quæ p os degluiiũtur tuciã imponere. Gal.9. de fac.sim.pli c.13 li.34 pau li.7 siccat sine erosione.

Populus siue αἴγειρος tam alba q̃ nigra nota est oĩbus uulgo ab Hetruscis dicitur oppi, a Longobardis Pi pe ex quibus fabulantur electrũ oriri sed reuera ab insula quapiã olim Austrauia dicta a quibusdam arboribus nostro pino similibus effluit et ad Germaniã p maris inũdationẽ aliqñ perfertur, hoc uulgo dicitur a seplasiarijs charabe, nec est gumi populi ut nõ nulli retulerũt Diosc.c.94, et.98 1. pli.ca.24 lib 16 pau li.7. Nigra calefacit in primo modice siccat tenuis substãtiæ, alba aquosa est tepida terrestrisq; substantiæ & absteısoria.

Porrũ capitatum græce πράσον κεφαλωτόν oĩbus notum sed quõ capitatũ euadat etiã nostro tẽpore cognitum est, nã in tẽpore transplantationis si folia et radices porris incidãtur, & aliquid quod illud descendere prohibeat in plantando subter ponatur facile capitatũ euadit, Diosc.cap 38 lib.2 de porro uero agresti lege ampeloprasõ. pau.lib.septimo, mali succi est & acris extenuat & abstergit.

Portulaca, græce ἀνδράχνη, uulgo porcellana. Gal. 6. de fac. sim frigida in 3. et humida in 2. biliosos ac calidos humores cohibet et ut refert pli. c. 21. li. 20. rupturas umbilici constrin git, Dios. c. 113 2. pau li. 7. refrigerat in 3. humectat in secũdo.

Potamogeton, siue ποταμογείτων, uulgo dicitur beta aquatica, nascitur in lacustribus & aquosis locis, pruritibus ac uetustis & depascẽtibus ulceribus prodest, Diosco cap. 96 quarti, Gale. 8 de fac. simp. pau. lib septimo, refrigerat et adstringit.

Psylium siue ψύλλιον res notissima est, cuius semine in refrigerandis corporibus sæpe utuntur Medici, nam ut refert Gal 8 de fac. simp. frigidum est in secundo, humectat, & desiccat mediocriter. Plin. ca. 9. lib. 25. Diosco. cap. 68 lib. 4.

Ptarmice siue πταρμική, uulgo oliuella, caplerięꝫ pro scopis utuntur & dicitur ptarmica, eo q̃ odorata planta statim sternutamenta irritat. Diosc. ca. 151 secundi, Gal. 8. de fac sim. uiridis calida, & sicca in secundo, siccata uero in tertio ordine.

Pulegium græce γλήχων omnibus notum, inuenitur masculum cum floribus albis, & fæmellum cum floribus purpureis, qui dicunt speciem calamenti esse id quod in usu est ualde decip untur, siquidem calamẽti species per se omnes inueniuntur Diosc cap. 31. tertij, Gale 6 de fac. simp. pli ca. 14. lib. 20. extenuat, calefacit concoctionesq; adiuuat ut Gal.

Pumex græce κίσηρις est lapis combustus ex monte Aethnæ uel uesuuino monte campaniæ, qui si iterum comburatur non erit smyra inferior. Diosc cap. 79 quinti, & Gale. 9. de fac. simp habet uim exiccandi & abstergendi.

Pyrethrum siue πύρεθρον res est quo ad suas radices notissima habet folia ueluti daucus & fæniculus agrestis, Diosc. cap. 78. tertij, Gale. 8 de fac simp facultas eius est caustica.

Pyrites lapis siue λίθος πυρίτης, uulgo dicitur Marchesita, & ob excellentiã pyrites dictus, probatur qui est aeri similis.

Diosc.cap.96 quinti,Gale.9. de fac.simp.Pau.lib.7. ualide discutit tumores sanguinemq; in grumo concretum.

Quercus græce δρῦς res notissima,connumeratur inter arbores glandiferas,sicuti etiam Elix,Fagus,Cerus,Suber, Farnia,Ischia,uide Diosco.ca.126.primi,Gal.6 de fac.simp.pau. lib.7.folia & fructus siccante ac tepida ui pollent.

Quinque folium,siue πεντάφυλλον,habet plures species, quarum prima est maior,quæ folia mentæ similia & florem in pallido candidum habet secunda species a prima tātum in colore differt,tertia per terram serpit,quarta quæ folia similia uiti tenet,ab aliquibus diapensia,uel sannicula dicitur, uide Diosco.cap.40.quarti,Gale.8.de fac.simp.radix eius exiccat in tertio,nec euidentem habet caliditatem , pli.ca.9.li.25.

Radix græce ῥάφανος, uulgo rauanello,Gale.8 de fac.simp. calida est in tertio,& sicca in secundo. Diosc.cap.104. li.2.

Radicula græce στρούθιον,siue herba lanaria sicuti tempore Diosc. cognita,ita nunc maxime restat incognita. Diosc.cap. 153.secundi, Gale.8.de fac.simp. Pau.lib.septimo, calefacit in tertio,siccat in secundo.

Ranunculus græce βατράχιον,est apium raninum, cuius species quatuor enumerantur.s. apium , quod est pes columbinus pes paipi,pes milui & apium risus , quod herba sardonia alias appellatur,unde uirg. immo ego sardonijs uidear tibi amarior herbis,hæc si ab homine deuoretur , ita interficit,ut contractis neruis instar ridentis moriens uideatur.Diosco.cap.166.secundi,plin.cap.ult.lib.25 pau lib.septimo, omnia genera sunt excellenter calida,sicca,acria,urentia.

Rhamnus,siue ῥάμνος,nisi sit quod uulgo dicitur spin ceruino,aut id quod Hetrusci dicunt marucho, nescio si alio nomine illum agnoscam.Diosc.ca 104.primi,Gale.8. de fac simp. exiccat & digerit in secundo,pli.cap.14 lib.24.

Rhaponticum græce ῥᾶ, *uulgo dicitur Rapontico, notum eſt omnibus Dioſc. cap. 2. tertij. plin. ca. 11. lib 27. Gal. 8. de fac. ſimp. pau. lib. 7. compoſitum ex terreſtri frigida & tenui ſub ſtantia aereaq; calida & leuiter acri.*

Rhabarbarum, uulgo reubarbaro, cognoſcitur differenter ab omni rhapontico, de quo ſatis ample tractauit Meſue.

Rhodia radix, ſiue ῥοδία ῥίζα, *niſi ſit quæ garyophyllata dicitur, certe neſcio ſi unquam uiderim, hoc ſcio, eam, odorem roſarum, a quo nomen accepit redolere. uide Dioſco. cap. 43. quarti. Gale. 8. de fac. ſimp. pau. lib. 7. calefacit in ſecundo, tenui & diſcutiente ui prædita.*

Rhus obſoniorum græce ῥοῦς, *uulgo dicitur ſumacho, in condiendis enim cibis antiqui hoc, loco ſalis utebantur, ueluti etiam nunc in Syria & Aegypto obſeruatur, Dioſco. capi. 128. primi, Gal. 8 de fac. ſimp. pau. lib. ſeptimo, conſtringit, & exiccat in tertio, detergit in ſecundo.*

Ricinus frutex græce κίκι, *uulgo miraſole, dictus eſt ricinus ab animale ricino, uulgo zecca quæ in equis & canibus ſæpe uiſitur, q̃q̃ heliotropios ſit miraſole, dicitur a ſeplaſiarijs cherua maior, & a Meſ. granũ regis, Gale. 7. de fac. ſimp. Dioſc. 158. quarti, pau. li. 7. purgat abſtergit & digerit.*

Roſmarinum græce λιβανωτίς, *habet duas ſpecies, quæ a me nondum uiſæ ſunt, roſmarinũ coronarium eſt, quo paßim utimur, & uulgare noſtrum, Dioſc. cap. 79. & 80. tertij, Galenus ſeptimo de fac. ſimp. habet uim incidendi & abſtergendi, plin. cap. 11. lib. 24.*

Roſæ, ſiue ῥόδα, *omnibus notæ, excellentiores ſunt rubræ, poſt has minus rubræ demum albæ, componuntur ex diuerſis ſubſtantijs, ut Gale. putarem ego earũ infuſionem, potiorem fieri, ſi ex damaſcenis roſis pararetur. Dioſco. cap. 115. primi, Gal. 8. de fac ſim. pau. lib. 7. iuxta cõſtãt ſubſtãtia aquoſa. ſ. ca-*

lida adstringēti et amara, flos aūt magis adstrīgit et desiccat.

Rubus caninus, græce κυνόσβατον, non est rosa syluestris, ut nonnulli putarunt, quum cynorhodon a Cynosbato sit aliud, teste Theoph qui diuersa capita ægit, nam de cynosbato loquitur ca. 18 tertij, & de rosa canina cap 6 lib 6. Diosco. capi. 108 primi, Gal. 7 de fac. simp fructus adstrictorius &c.

Rubia græce ἐρυθρόδανον, omnibus nota, cuius caulibus & folijs ob suam asperitatem, utuntur fœminæ ad illustrandum stagnum, Dioscor. cap. 151. tertij, Gale. 6. de fac. sim p pau. lib. 7 radix acerba & amara ita iecur & renes purgat ut sanguinem & menses euocet.

Ruscus græce μυρσίνη ἀγρία, apud Seplasiarios bruscus dicitur, & est herba spinosa similis myrto, quam et syluestrē mirtum dicunt, eius germina in acetarijs comesta ualenter urinam prouocant & obstructiones aperiunt. Dioscor. cap. 141. libro quarto.

Ruta græce πήγανον, duplex est syluestris montana & satiua hortensis & ambæ species cognoscuntur. Gale. 8 de facul. simp. calida in quarto, est syluestris & satiua in tertio, contra fascinationes eam comendauit Arist. in suis problematibus. Diosco. cap. 47. tertij.

Ruta syluestris græce πήγανον ἄγριον, hanc harmel Arabes uocant sed quum ex Cappadocia & Galatia herba afferatur, nimirum si nostris partibus non habeatur, qui uero pro harmel semen cicutæ accipi consulunt, ualde decipiuntur quum res sint diuersæ, uolunt aliqui geargam esse rutæ speciem uulgo galega dictam, cui attribuunt, in peste, & contra ueuena miram quandam uirtutem, uide tu tū Diosc. ca. 48. tertij, Gale. 7 de fac simp. uocat eam moli.

Sabina græce βράθυ, uulgaris est planta, tam quæ similis est cupresso, q̄ quæ Tamarisco, cognoscitur. Diosc. ca. 89. primi,

Gal. 6. de fac simp. plin. cap 11 lib. 24. pau. lib. 7. calefacit & siccat in tertio.

Saccharum, siue σακχαρον, Dioscoridis & Galeni quid sit, nonnulli esse ex eodem liquore quo nostrum affirmant, nec ab nostro differre dicunt, nisi arte & natura alij uero longe, a nostro differentem existimant, nec eodem liquore cōfici, sed ueluti ex rore factū credunt, Diosc. c. 74. ad finē lib. 2. Gal. ca. de Melle pau li. 7. c. de melle Sacchar minus dulce nostro, sed æquales uireis obtinet, nec nocet stomacho, nec sitim efficit.

Sagapenum siue σαγάπηνον, uulgo serapino, liquor est feru laceæ herbæ electißimum habetur Venetijs potetius est orien tale, de eius uiribus uide Mesuen, & Diosc. ca 85. tertij, Gal. 8. de fac. simp suffusioni oculorū, et debilitati uisus ualet pau. lib. 7 calidum & tenue cui absterforia uis inest.

Salix arbor græce ἰτέα, nota est, cuius species recitantur a Theoph. & pli. de tribus succis eius mentionem facit. s. de gumi, & de eo qui fit inciso eius cortice, & de eo qui incisis ramis tempore autūnali per se destillat habent n. uim extergendi quæcunq; claritati oculorum officiunt. plin. ca. 38 li 16. Gal. 6. de fac. simp pau lib. 7. folia & flores siccant citra rosionem, & nonnihil adstringunt.

Saluia græce ἐλελίσφακον, omnibus nota, ab Agrippa herba sacra uocabatur, eius succus bibitus facit, quæ steriles sunt mulieres prolificas, & confert sputo sanguinis, uide tū de his Aet. & Diosc. cap 35. tertij, Gale. 6. de fac simp. pli. ca 6. lib 26. inquit, q; succus foliorum capillos generat, pau lib. 7. euidenter calefacit & leuiter adstringit.

Sambucus & ebulus græce ἀκτῆ plantæ notißimæ, succus corticum radicum hydropicis succurrit & semen ebuli in de cocto iuæ dolores iuncturarum podagræ & morbi gal ici tollit, succus etiam eius in sole exiccatus & in clysteribus

iniectus sciatica medetur, fomentum etiam ex eorum radici bus factum tumores pedum qui ex longo morbo prouenerunt, optime resoluit Diosco. cap. 168. quarti, Gal. 6. de facul. simp. exiccat & conglutinat, plin. cap. 8. lib. 24. pau. lib. septimo, desiccat, modice digerit & conglutinat.

Sampsuchum, siue σάμψυχον, uulgo maiorana, nec miretur quispiam, si per diuersa capita mentio fiat a Gale. & a Diosco. de sampsucho & amaraco, nam hoc fieri potuit, ut rem melius exprimeret Diosc. nam in Gale. creditur in eo textu esse menda, ubi pro amaraco legi debeat maro & non amaraco. Diosc. ca. 42. tertij, Gal. 8. de fac simp pau. lib. 7. calefacit & siccat in tertio, tenuis ac discussoriæ naturæ.

Sandaracha, siue σανδαράχη, non est uermix, ut aliqui putarunt, quum uermix sit gumi iuniperi, sed est potius res mineralis, quæ ab auripigmento non differt, nisi in coctura, nam siquis diu auri pigmentum coxerit, facile illud in sandaracham conuerti efficiet, nec arsenicum crystalinū ex auri pigmento per sublimationem paratur, ut nonnulli crediderunt, sed potius est res mineralis per se oriens, uerum quod uulgo dicitur risagalū ex arsenici, & auri pigmenti pari portione per sublimationem bene conficitur, uide Diosc. de sandaracha ca. 76. 5. & Gal. 9. de fac. sim. pau. li. 7. adurētis est facultatis.

Sarcocolla, siue σαρκοκόλλα, est gumi cuiusdam in perside ar boris, mire conglutinat recentia uulnera, & ulcera antiqua mundificat glutinat & carnem inducit, & est mirabilis in oculorum destillationibus, optima cognoscitur si sit amara & alba, ualet ēt ulceribus aurium si in mellicrato bōbix intingatur, deinde pulueri sarcocollæ inuolutus auri imponatur. Diosco ca. 90. tertij, Gal. 8. de fac simp. plin. cap. 11. lib. 13. paul. lib. septimo, siccandi ac opplendi uires habet.

Satyrion, siue σατύριον, non habetur nostris tēporibus, sed

eius loco utimur testiculis canis, nec Satyrion habet duas radices, ut putarunt nonnulli, sed unam tantum bulbosam pomo similẽ plures sunt, deinde testiculorũ canis species, inter quæ palma christi reponitur. Diosc. ca. 134. & 135. tertij, Gal. 8. de fac. simp. pau. li. 7. calidi & humidi tẽperamenti est, unde ueneris appetentiam facit.

Saxifraga, uulgo saßifragia, uulgaris herba est, in frãgendis lapidibus, & in prouocanda urina sumopere comendatur. Diosc ca. 17. primi, & pau. lib. septimo, urinam mouet et calculos conterit.

Scãmonia, siue σκαμμωνία, uera & optima erat, quæ ex Mysia Asiæ olim afferebatur. sed quæ a Diosc reprobatur in Iudea & Syria oriens, tantũmodo nũc in usu est, nec uera sic alacriter soluit ac nostra, nã olim drachma scamoniæ cũ duobus hellebori pro dosi tribuebatur, sed nostra si ad pondus decem, uel quindecim granorũ exhibeatur, adeo uentrẽ exonerat, ut etiã q̃ maxime superq; euacuet Diosc ca. 165. quarti. pli. cap. 8. lib. 26. pau. lib septimo, calefacit, digerit, & biliosa extergit magisq; eius liquor.

Scilla, siue σκίλλα, uulgo deflexa uoce a seplasiarijs dicitur squilla, referũt nonnulli ut si minutim incisa in uase uitreo melle pleno per totã æstatem soli exponatur, deinde epilẽptico colata tribuatur, præsentaneũ esse remediũ, Gal. 8. de fac. simp incidit scilla, sed nõ adeo calida, ut scđm gradum transcendat, Diosc. cap. 102. secundi, pau libro septimo, incidit & calefacit & desiccat in secundo ordine.

Scordion, siue σκόρδιον, uerũ nunc inuenitur simile chamedrio differens tñ odore allij, Cretẽse a Gal. in lib. Anti l. laudatur, et. 8. de fac. simp. cõponitur ex diuersis substãtijs consolidat oĩa uiscera, ruptis et spasmo cõfert, ualet doloribus lateris modo emplastri et recẽs uulnera ac ulcera cõglutinat. Dio

ſco.cap. 16.tertij, pau.uarijs conſtat facultatibus quũ amarum acerbum & acre ſit purgat igitur & calefacit.

Sedum græce ἀείζωον, uulgo ſempre uiuo dicitur, cuius ſpecies tres numerantur a Dioſco. cap. 85. & .86 quarti. Maius uulgo dicitur orchiella, minus dicitur uermicularis uel pignola, & eſt maſcula & femella, Gal. 6. de fac. ſimp frigida in tertio, mediocriter adſtringit & ſiccat leuiter pli. ca. 2. lib. 25.

Senetio græce ἠριγέρον, uulgo dicitur ſpelicioſa coliculus ineſt, quodammodo rubens folijs longis & inciſis, ueluti in eruca uiſitur, flores lutei cito in pappos deſinentes, Gal. 6. de fac. ſimp. Dioſc cap 92. quarti. Nonnulli eſſe cardum benedictum affirmant pau libro ſeptimo, mixtas habet uireis refrigerat enim & modice diſcutit.

Serpyllum græce ἕρπυλλον, res eſt notiſſima. Vide Dioſco. cap 41. tertii. Gale 6. de facul ſimp. plin. cap 22. lib. 20. paul. lib. 7. adeo calefacit ut urinam & menſes moueat.

Seſamum ſiue σήσαμος, eius ſemen notum ac uulgare eſt, ſed planta a ſeplaſiarijs minime cognita, eſt enim ſimilis milio, ſed aliquantulo craßior & altior, folia fert rubra cum flore uiridi, & producit in ſiliquis ſemen ueluti papauer. Dioſco. cap. 90. ſecundi, Gale 8. de facul. ſimpl. plin. cap. 10 lib 18. pau. libro ſeptimo, mediocriter calefacit, mollit, & opplet. Auer. quinto colliget, callidum in primo, humidum in tertio.

Seſeli, ſiue σέσελι Arabice ſiſeleos dicitur, notum eſt præſertim Maxilienſe ualidiſſime urinam prouocat & epilepſiæ ac ſpirandi difficultati medetur, creditur a ceruis inuentũ, nam a partu id ſtatim comedunt, ut denuo concipiant, ſicut refert Ari. 9. de natura animaliũ, ca. 5. Dioſc. c. 55. 3. & Gal. 8. de fac. ſimpli plin. c. 5 li. 20 pau. li. 7. calefacit tenuisq; ſubſtãtiæ eſt.

Sideritis, ſiue σιδηρῖτις, quid ſit, certe neſcio quum nuſpiam illa uiderim, nec eſt herba iudaica, ut Ruelius, nam herba iu

daica est, quam uirgam auream appellamus, hæc caulem fert rubrum ad duorum cubitorũ altitudinem cũ foliis modo oliuæ circuncirca incisis & floribus in sumitate aureis, uulneribus & fistulis mire confert similiter in frangendo lapide ut Arnaldus de uilla noua, Dioscorides cap 33. quarti. Gale. 8. de fac. simpl. Paul. libro. 7. adstringit.

Sinapis siue σίνηπι, res est notißima triplex ex syluestris quæ semen habet paruum, comunis quæ folia habet rapis similia & tertia quæ uulgo dicitur Rugetta album semen ferens & eo utimur, in seruanda uinorum dulcedine Dioscor. cap 143. lib. 2. Gal. 8. de fac simp. Plin. cap. 8. lib 19. Auic lib. 2. calida & sicca in quarto.

Siser siue σίσαρον, res est propemodũ similis pastinacis domesticis, nascuntur in Germania & uocantur rapæci rinæ, uide Plin ca 5. lib 19. Dioscor. cap. 106 secundi, Gal 8 de fac. simp. Paul. lib 7. cal in tertio ord. Radix cocta stomacho utilis urinam cit, semen tenue & discussorium cum uino ualet singultui.

Sisymbrium siue σισύμβριον, est seplasiorum balsamita, uulgo menta romana uel menta florentina, Sisymbrium uero aquaticum est id quod uulgo dicitur crescione, Diosco cap. 117. secundi, Theoph cap. 7 lib. 6 & cap 8 lib 5 de plan causa & Plin. cap. 10 lib. 19. Gal 8. de fac simp. Paul lib 7. calefacit siccat q; in primo, humidum in secundo abscessu.

Siõ siue σίον, non est quod uulgo dicitur crscione, sed aliud, uerum unum absque altero raro inuenitur, sion habet folia lata olusatro similia, sed crescionus habet quales in eruca uisuntur, Dios cap. 116 secundi, Plin confundit utrumq; siũ i. sium uerum & sisymbrium aquaticum, ut apparet cap. 22. lib. 22. Gale. 8 de fac simp Paul. lib 7. calidum est urinam citat discutit & renum calculos frangit.

Smilax aspera & leuis, græce σμιλαξ τραχεια κὶ λεία, inuenitur aspera quæ folia habet periclymeno similia, arboribus ad uoluitur, & habet innumerosas uiticulas spinosas cum fructu uuæ racemi modo rubenti, lenis uero hederæ folia habet similia & uiticulas similes antedictæ, sed non spinosas uulgo uiluchio & a seplasiarijs uolubilis dicitur flores habet orbiculatos, ueluti cãpana, Theoph. cap. ult. tertij, Diosco. ca. 139, & 140. quarti, Gal. non smilacẽ. sed milacem uocat septimo, de fac. simp. plin. cap ij. lib. 16, & ca. 10. lib. 24.

Smilax arbor, uulgo de flexa uoce, a taxo sic a Romanis appellato. Nasso dicitur. Vide Diosc. cap. 78. lib. 4. caue tñ ab huius fructibus, quoniam interficiunt, Plutarchus inquit, ꝙ sola umbra interficit, sed de ea tu intellige, quæ in carbonia nascitur, paul. lib. septimo, est uirosæ uirtutis.

Smilax hortensis. siue σμιλαξ κηπαῖα sunt qui illum esse existiment phasellum rubeum, qui uulgo fasolo turchesco appellatur, Manardus tenet ꝙ sit Galeni dolicus & uulgo quod dicitur rouiglione, sed credo illum decipi, quoniam quod dicimus rouiglione, Gal. & pau. non dolicum uocant, sed potius ocrum Diosc. cap. 135. lib. 2. Gal. 1. de fac. alim.

Smyrnium siue σμύρνιον uulgo dicitur Macerone, nec est imperatoria, ut nonnulli quæ commendatur in omnibus frigidis ægritudinibus, sicut in doloribus colicis & stomachi, menstrua peruocat & urinam, dolores dentium tollit & cum uino strangulatui uuluæ medetur, cerebrũ masticata purgat, & eius puluis ad epilepsiã spasmum, paralesim, et ad febrẽ quartanam ante eius paroxysmum per horã utiliter cũ uino bibitur, ualet in peste, et ad oĩa uenena spiritum redolere et membra sensuum roborare põt, datur insuper, asthmaticis ictericis hydropicis & lienoris utiliter, De smyrnio loquitur Dio sco. cap. 72. 3. Gale. 8. de fac. simp. plin. cap ult. lib. 19 pau. lib. 7.

calefacit & siccat in tertio ordine.

Solanum, græce στρυχνος, uulgo dicitur solatro, cuius species a Diosc. quatuor enumerantur, ut solanum hortense halicacabum, somnificũ, & Furiosum, Hortense & halicaccabum, nunc paßim cognoscãtur, nam halicaccabum est id quod Arabes uoce parum deflexa Alchachengi dicunt, plures etiam species inueniri dicuntur, sed de his quasi per somniũ loquũtur Authores, uide Dios. ca. 69. 70. 71. & 72. lib. 4. Gal. 8 de fac. simp. pli. ca 31. lib. 21. pau. lib. septimo. Hortense & Halicaccabum adstringunt, & in secundo ordine refrigerant.

Soncos, siue σόγχος sunt qui scariolam esse dicũt, Scio apud hetruscos uocari Cicerbita. Diosc. c. 120. 2. Gal. 8. de fac. simp. pau. lib septimo, Adstringit & manifeste refrigerat.

Sparganium, siue σπαργάνιον hucusque non uidi, et si ab aliquibus reperta esse dicatur, hoc scio non esse spatulam fætidã, ut Ruellius, ex cuius succo sanatur scabies & uolaticæ, de sparganio uide Diosc. cap. 23. 4. Gale 8. de fac. simp. pau. lib. septimo, siccandi uireis habet. plin. cap. 9 lib. 25.

Spina alba, græce λευκάκανθα, uulgo bedeguar, dicitur, sicuti Arabice sunt: qui pro spina alba accipiunt carduum benedictum, alij carduum carlinam dictum, alij, alium carduũ, Aduerte tũ tu bedeguar tantum nasci in montibus & syluosis locis. Diosc. ca. 12 3. Gal. 6. de fac. simp. Radix desiccat et modice adstringit, semen est tenuis essentiæ, et calidæ facultatis.

Spina Arabica, siue ἄκανθα ἀραβική est similis albæ, ego eam non uidi: hoc scio non eam esse, ut Ruellius putat spinam arboris acatiæ. Diosco. cap. 73. 3. Gale. 6 de facul. simp. Validius adstringit & desiccat.

Spondylion siue σφονδύλιον non uidi. Audiui ab aliquibus esse inuentum, ualet epilepsiæ eius fructus & orthopneæ, uide Diosco. ca. 81. 3. Gal. 8. de fac. simp. pau. libro septimo, con-

stat uirtute acri & discussoria.

Stachys, siue στάχυς, nisi sit Marubium album, nescio quid sit Diosco cap.3 .Gal 8. de fac. simp. Plin. cap 15. lib. 24. pau. lib 7 3 in calefaciendo ordinem occupat.

Stacte, siue στακτη est styrax liquida Diosco. cap 64 1.

Staphis agria siue σταφὶς ἀγρία uulgo dicitur strafusano, siue uua seluatica Diosco cap. 150 4. Gal. 6 de fac. simp.

Stibium græce στιμμι & stibi, Antimonium est, ut placet Auic. & Serap. funditur ipse, & omnia metalla facit fluida, ut ferrum &c. Diosco cap. 53. 5. Gale. 9 de fac simp. exiccat, & constringit plin. cap 6 lib. 33.

Stæchas siue στιχάς Arabice stichados, est res notißima, ut de Mes & Diosc. cap. 28 3. Gal 8. de fac simp. pau. lib. 7. Aperit, extenuat, detergit, & confirmat uiscera.

Stæbe græce στοιβὴ, quid sit nescio hoc scio non conuenire cum scabiosa, ut nonnulli affirmarunt, ex cuius decocto sanantur scabies & pulmonis uitia. Diosc. de stæbe cap. 13 4 et Gale. 8. de fac. sim pau. lib. 7 semen et folia in tertio adstringũt.

Styrax, uulgo storace calamita, Diosc. cap. 70 primi. Gale. octauo de fac. simp plin. cap. 25 lib. 12. pau. lib 7. calefacit, emollit, & concoquit.

Sycomorus, siue συκόμορον, est arbor nostro moro non dissimilis, fructum fert non ramis, sed caudice ficorum grossulis dulciorem. Diosc. cap. 148 primi. Gal 2. de alim. Theoph. cap. 2. lib 4 plin. cap septimo lib 13 pau lib. septimo, fructus nullius nutrimenti liquor arboris emollit, uulnera conglutinat & tumores discutit.

Tamarix græce μυρίκη, nota est omnibus, domestica apud nos non inuenitur, Diosco cap. 101. primi, Gale cap. ulti. 7 de fac. simp plin. cap. 21. lib 13. pau. lib. 7. Incidit, extergit, ita tamen ut manifeste non exicet, sed adstrictionis particeps sit.

Telephium

Telephium, siue τηλέφιον, nisi sit faba crassa uulgo dicta, certe nescio quid sit Dioscorid. cap. ult libri secundi. Galen. octauo de facul. simp pau. lib 7. calefacit in primo, & in secundo desiccat.

Tamarindi cognoscuntur, Alias dactili indi uocati.

Terebinthus græce τέρμινθος, res est nunc nota, olim quasi incognita recesserat, Nunc eius resina non liquida, sed potius cocta ad nos affertur Diosco cap. 77. primi. Theoph. cap. 15. tertij. Inuenitur tam masc. quam fœmina. Gale. 8. de fac. simp. fructus adstrictorium quiddam habent, sed in secundo calefaciunt & desiccant.

Teucrium siue τεύκριον adhuc non uidi plin. cap. 5. libro. 25. duas species teucrij memorat, & secundum habere folia fabæ similia adserit, unde nonnulli id esse uoluerunt, quod uulgo dicitur faba crassa, Diosco. cap. 102. lib 3. Gale. 8. de facul. simp. exiccat in tertio calefacit in secundo.

Thalictron, siue θαλικτρον est secundum Ruellium herba Argentina, quæ folia coriandro similia habet. Dioscor. cap. 93. quarti. Gal. 6. de fac. simp.

Thapsia, siue θαψία, cognoscitur, sed rarò ad nos affertur, Valet liuiditati carnis cum thure & cera, ut refert plin. capi. 20. lib. 13. Gale. 6 de fac. simp. Diosco. cap. 151. quarti. Theophra. cap. 23. lib 9. est radix uomitoria. Pau. lib. 7. acris est, & uehementer cum humiditate calefacit ex alto attrahit & attractum discutit.

Thlaspi, siue θλασπι, quid sit, non possum affirmare, Nam bursa pastoris multum a thlaspi differt, si quis rationē utriusque perpendat, Diosco. cap. 145 secundi. Gale. 6. de fac. simpli. Paul. libro septimo, semen uiribus acre, ut intestinorum abscessus potu rumpat.

Thymbra græce θυμβρα, siue satureia siue cunilla, uulgo Sauorezo siue peuerella, apud Thuscos coniella, dicit, pollet ac ipse thymus. Diosco.cap.40.tertij.plin.cap.8.lib.19. & cap. 20.lib.20. Reperitur domestica & syluestris, quare non mirum si Columella inter thymbram & Satureiam, diuersitatem posuerit. pau.lib.7 syluestris præstat quæ thymus, Hortensis uero imbecillior.

Thymus, siue θύμος, Inuenitur albus & niger, At niger iuxta Aetij placitum est malus. Diosco.cap.39.tertij. Gale.6.de facul.simp. Theoph.cap.2 lib.6. Pau lib.7.calefacit in tertio, & desiccat, & glutinosos humores incidit.

Tithymali genera sunt septem, siue τιθυμαλων ἑπτὰ εἴδη, ut charatias & myrtites quæ sunt nobis incognita, Paralius uero ab aliquibus cognoscitur, & uulgo uocatur herba mora, ex qua pisces moriuntur, Cyparisius est esula minor, dendrodes, a me nundum uisus haud scio quid sit, Platiphillos, apud Tuschos dicitur tortomaglio. Nota tamen q; cyparisius uocatur a Mesue alscebram & ab Auicen.scebram & est esula minor, ut dixi, alscebram uero mezeheregi est pityusa a Diosc. lac eorum depillat oleo in sole inunctum & ortum tandem prohibet Diosc.cap 159. quarti, Gale.8. de fac.simp.Plin.ca.8. lib.26.paul.lib.7. Omnes e quarto ordine calefacientiũ acrimoniæ & ualidæ amaritudinis participes.

Tragacantha, siue τραγακανθα, uulgo draganti eius gumi uocatur: Planta est quæ in Creta & in Acaia nascitur Gale.8.de facul.simp.exiccat Diosco.cap.21.tertij, plin.cap.21.libro.13. pau.lib.7. Similes gumi uireis habet.

Tragion, siue τράγιον, quid sit diuinare nescio, sicuti etiam de eius secunda specie dicerem, nisi forte sit pimpinella, uel saxifragia hircina. Gale.8.de facul.simpl. Diosco.capite.47.

& .48.quarti, Plin.cap.21.lib 13.paul.lib.septimo, calidum in tertio attractorium discutiens.

Tragum, siue τράγος, nisi sit species iunci, haud etiam scio quid esse poßit, nam sine folijs plin. eam cum minimis racemis pingit cap.ult.lib.27.Dioscor.cap.49.lib.4.

Tragoriganus, siue τραγορίγανον, Herba est ut placet Leoniceno, quæ ĩ acetarijs comeditur uulgo tragone appellata, Dioscori.cap.30.tertij.plin.cap.17.lib.20. Galenus.8. de faculta. simp. Paulus libro septimo, uireis habet origani & nonnullam etiam adstrictionem.

Tribulus, uel τρίβολον habet duas species, ut Theoph.cap.5. lib.6, quarum una pro ducit fructum spinosum, cuius radices a multis pro iringo conduntur, & reuera decipiuntur Dioscо cap.16.quarti, Gale.8.de fac simp.plin.cap.16, lib.21, pau. libro septimo. Mediocriter refrigerat, sed terrestris siccando ualentior est, aquaticus leniter humectat.

Trifolium, siue τρίφυλλον, omnibus notum, cuius species apud nos tres enumerantur, Prima habet folia rotunda & magna. Secunda longa, Tertia rotunda & minuta, Vide fusius plin.cap.9.lib.21. Scripsit etiam de trifolio acuto Scribonius, & est species trifolij acetosi & uulgo dicitur Alleluia, siue pan cuculo, Decipiuntur qui pro andacocha semen trifolij accipiunt, nã andacocha, nil aliud est quàm lotus syluestris siue Aegyptius. Gal.8.de fac.simp.Dioscor.cap.114.tertij.

Trinitas herba nota ferè omnibus, habet enim folium in tres partes diuisum, simile folijs cyclaminis cum cœlestis flore coloris, Conglutinat uulnera & intestinorum rupturas, et quæ in scrotum descendunt, præsertim si medium huius pulueris cochliare, cum uino styptico sumatur.

Tripolium, siue τριπόλιον, & si ab aliquibus credatur esse

turbit, nihilo minus decipiuntur, ſiquidem noſtrum turbit odorem non habet ut tripolium, ſed creditur potius turbit noſtrum eſſe alipiam Dioſco. ſed quum uerum tripoliū non habeatur, id quod a monte ſancti Angeli affertur, eſſe cortex pityuſæ creditur Dioſcorid. cap. 130. 4. Gal. 8 de facul ſimpli. plin. cap. 7. lib. 26. Pau. libro ſeptimo, calida radix eſt in tertio, & acris.

Tubera græce ὕδνον uulgo tarufi, de quibus mentionem facit Plin. cap. 2. lib. 19, Gale. 2. de fac. alim. non habet ut ipſe inquit euidentem qualitatem Auic. 2. ſuorum can. Componuntur ex terreſtri & aquea ſubſtantia & ſapore priuantur, generant humorem melancholicum craſſum & quandoque paraleſim, ſtomachum aggrauant, & male digeruntur. Dioſcor. cap. 134. ſecundi. pau. lib. ſeptimo, conſtant ex terreſtri ſubſtantia cum modica uirtute tenui.

Tuſsilago, græce βήχιον, uulgo farfara, uel ungula cabalina dicitur note eſt, eius fumus prodeſt tuſsientibus, unde nomen accepit Dioſco cap. 117. tertij, Gale. 6, de fac. ſimp. Pau. cōſtat ex calida & aquoſa ſubſtantia.

Thurbit Meſuæ eſt radix alipiæ, ut dictū eſt de tripolio.

Typha, τύφη, uulgo mazza ſorda hæc naſcitur in aquoſis, ac paluſtribus locis, Surda iccirco dicta, quia eius lanugo, ſi aures alicuius ingrediatur, facile ille ſurdeſcit, eſt nota etiā pueris, quum ſæpe illam præ manibus habeant. Dioſcor. cap. 124. tertij, Theoph. cap. 13. lib. 1. Apud Galenum, uel Paulum nulla, de hac fit mentio Plin. cap. 10. lib. 18.

Vmbilicus ueneris græce κοτυληδών, uocatur apud Tuſcos copertorium ſunt qui in Lombardia cymbaria quadam pro ueneris umbilico utuntur, Dioſco. cap. 87. quarti. Gal. ſeptimo de facul. ſimp. Plin. cap. 2. lib. 25. Pau. lib. ſeptimo, refrigerat, repellit, abſtergit, diſsipat.

Verbascum græce φλομος, uulgo dicitur tasso barbasso, & est omnibus notum, Inuenitur mas & fœmina, mas ex foliis strictis, fœmina ex latioribus, cæteræ species nondum mihi sunt cognitæ, & si Ruellius primulam ueris esse unam phlomi speciem crediderit sese profectò decipiens, quum nullibi de eius flore agat Diosco. Succus ex flore huius herbæ omnes faciei maculas abstergit. De uerbasco loquitur Gale. 8. de fac simp. Diosco. cap. 99 quarti, Plin. cap. 6, lib. 26. paul. lib. 7. folium omnium siccantem, & mediocriter adstringentem uim referunt.

Verbenaca tam recta quam supina à græcis περιστερεῶν dicta, uulgo berbena uocatur, nec uirtute hæ species inter se differunt, nisi quod altera mas quæ raris folijs constat, altera fœmina magis foliosa est Dioscor. cap. 58, & 59, quarti Plin. ca. 9, lib 25, Gale. 8, de fac. simp. uim habet siccantem.

Vetonica græce κέστρον, uulgo notissima est, quam tot uirtutes præsefert, quot Anto. musa Cæsaris medicus illi attribuit, Vide Diosco. cap. 1. quarti, & Gal. 8, de fac simp. Mundificat renes pulmonem pectus & hepar Plin. cap 8 lib. 25.

Viola alba græce λευκ' οῖον ex qua unguẽtum iasminum fit, nota omnibus est, sicuti & uiola lutea, quæ a seplasiariis uocatur Keiri, de cuius uiribus Gal. 7 de fac. simp. tractat, Dios. cap. 129, tertij Paulus lib. 7. frutex abstergendi extenuandiq; uires habet, magis autem flores. Vitex græce ἄγνος, uulgo agno casto dicitur & est duplex albus & niger, maior & minor ut testatur Plin. cap. 9. lib. 24. Gal. 6 de fac simp. calidum & siccum est in. 3. Diosc. cap. 120. primi.

Vitis alba græce αμπελος λευκὴ, uulgo brionia dicitur, siue zucha saluatica & est res notissima uide de eius uiribus Dioscorides. cap 176. 4. & Galenus 6. de facul. simp. radix resoluit splenis duritiem.

Vitis nigra siue ἄμπελος μέλαινα, uulgo dicitur uua tamina & apud fuscos tamaro, & est res nota Dioscor. cap. 177. 4. Plinius cap. 2. lib. 23. Paulus lib. 7. pollet, sed non in efficaciter ut alba.

Viticella, quæ ab alijs dicitur momordica, ab aliis balsamina, ab alijs coranzana, inuolueris herba est, florem habẽs cucumeri, similem, a quo postea fructus oritur ouo gallinæ similis, sed minor satis cum quibusdam ueluti acutis spinis uiridis existens ante maturationem, & rubens post ipsam maturationem, cuius folia neruorum uulnera conglutinant, & oleum ex infusione eius fructus uulneribus apostematibus et ulceribus mamillarum non solum prodest, sed mirum in modum dolores matricis per clystere iniectum & hemorrhoidarum uulnerum & apostematum maxime leuat ac tollit, cicatrices extenuat, &c. ut uidere poteris iuxta Mathiolum Senensem cap. de uite nigra a cart. 376.

Vitis syluestris græce ἄμπελος ἀγρία omnibus nota, longas enim ex se mittit uiticulas uinum uitis modo ferentes lignosas & asperas, Folia solatro similia latiora tamen & lõgiora, florem ceu musculosum capillum, fructum exiguis uuis similem, radices in aqua decoctæ dantur contra cutem subeuntes aqua, acini uuarum asperam & discolorem cutem, omnesq; alias maculas repurgant. Dioscorides cap. 175. quarti Gale. 6. de fac. simp. Paul. lib. 7. germina abstergũt & non nihil adstringunt.

Vrtica græce ἀκαλύφη, res notißima est, uide de eius uiribus Diosc. cap. 89, quarti & Gal 6 de fac. simp. Plin. cap. 15. lib. 21. Paul. lib. 7. tenuem habet substantiam citra rosionem siccat, tumores discutit abstergit & uentrem subducit.

Xãthion siue ξάνθιον, uulgo lappa minor dicitur, inuenitur

in pinguibus locis & in paludibus per æstatem siccatis, uide Dioscorid. cap. 133, quarti Gal. 8. de fac. simp. Pau. lib. 7. fructus discutiendi uires habet.

Xyris siue ξυρὶς, sunt qui eum esse uelint uulgarē acorum, ego eum nuspiam uidi, scio tamen ex Gale 7. de fac. simpli. q eius semen est ualidissimum in prouocanda urina & in duritie splenis, Diosco. cap. 24. quarti, Paul. lib. 7. tenuis & discussoriæ & extrahentis est facultatis ac etiam exiccatoriæ.

Zea nil aliud est q̃ nostra spelta uulgaris, dicitur etiã græce ζεὰ, Diosco. cap. 80 secundi Plin. cap. 8. lib. 18. Gale. 6. de facul. simp. pau. lib. 7. uiribus tritici respondet & medium inter calorem & siccitatem obtinet.

Zingiber siue ζιγγίβερι, res nota est seplasiarijs, & affertur ex Arabia & ex Aegypto, germinat quotannis folia habens harundini similia Diosc. cap. 149. secundi. Gale. 6. de fac. simpli pau. lib. 7. Impense calefacit.

Zedoaria radix est gingiberis similis odoratior tamen et aliquantulum amara non autem sic acuta ut gingiber impinguat, flatum discutit & comesta affert odorem allij, caparum, & uini, confert etiam morsibus animalium uenenosis, resoluit apostemata matricis, curat uomitum & dolores colicos, & ut refert Auicennas est theriaca Napelli. Serap. lib. aggr. cap. Zerũbet et Auic. lib. 2. calida et sicca est in 2. gradu.

Zythum, siue ζῦθος nihil aliud est quàm potus, qui ex hordeo & frumento paratur, quemadmodum ceruisia, uide Diosco. cap. 79 secundi plin. cap. ult. lib 12 paul. lib. 7. composita est substantiæ acris enim est & frigidus.

FINIS.

